WIDENER LIBRARY
HX J8ZT C

Digitized by Google

Bibliothèque de Mr. le comte Riant

H 27.46

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

VE RI TAS

FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT

MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST

MDCCCC

GIFT OF J. RANDOLPH COOLIDGE
AND ARCHIBALD CARY COOLIDGE

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMERCII LITTERARII

DISSERTATIONES EPISTOLICÆ

HISTORICO-PHYSICO-CURIOSÆ

CLARISSIMORUM WESTPHALIÆ DUUMVIRORUM,

JODOCI HERMANNI NUNNINGII

ET

JOHANNIS HENRICI COHAUSEN,

DE

GLOSSOPETRIS, LAPIDIBUS CORDIFORMIBUS CORNU BISONTIS PETREFACTO, CORNU AMMONIS ET OSSE FEMORIS ELEPHANTINI,

CUM

UTRIUSQUE HISTORICA BIBLIOGRAPHIA

ET

PRÆFATIONE EPICRITICA

VALENTINI ERNESTI EUGENII COHAUSEN,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS, PROTO-PHYSICI CONFLUENTINI ET PROVINCIALIS, MILITIÆ ELECTORALIS MEDICI ORDINARII, NEC NON ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM COLLEGÆ,

DICTI

CLEOMBROTUS SECUNDUS.

FRANCOFURTI ad MOENUM,

APUD JO. BENJAM. ANDREÆ ET HENR. HORT,

ANNO M DCC XLVI.

Digitized by Google

H 27.46
~~R 5251~~

Harvard College Library,
Riant Collection.
Gift of
A. C. COOLIDGE,
Jan. 27, 1902.

Digitized by Google

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO
VIRO AC DOMINO,
DOMINO
GERARDO
DE SWIETEN,
MEDICINÆ DOCTORI,
AUGUSTISSIMÆ
ROMANORUM IMPERATRICIS,
POTENTISSIMÆ AC INVICTISSIMÆ
HUNGAROR. ET BOHEMOR. REGINÆ,
MARIÆ THERESIÆ,
&c. &c. &c.
ARCHIATRO DIGNISSIMO,
SALUTEM & FELICITATEM,

SALENTIN. ERNEST. EUGEN. COHAUSEN,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR,
PROTO-PHYSICUS CONFLUENTINUS.

Digitized by Google

COgitanti mihi cujus Patrocinio hoc Clar. Weſtphaliæ Duumvirorum Commercium Litterarium, quod mea cura nunc in Lucem prodit, dedicarem, occurriſti TU ſtatim vir præſtantiſſime (utcunque mihi ignotus ſit vultus Tuus, Viros enim non fucatis & fallacibus externis ſed internis realibus qualitatibus doctrina ſcilicet & ingenio metiri didici, vera enim doctrina etiam peregrinos & ignotos & me ſemper blanda quadam vi ad ſui amorem venerationemque allicit ac impellit, cum me judice ille mihi notior de cujus virtute & doctrina vera audivi & certus ſum, quam cujus vultum vidi) præcipuè eo tempore, quo binis Tuis in Boerhaavii Aphoriſmos domeſticos exaſciatiſſimis commentariis, quibus Rempublicam Medicam

dicam TIBI ſumme obſtrinxiſti, perlegendis totus occupabar, & non diu ante Mercurius Hollandicus ad nos detulerat TE à Sereniſſima & Invictiſſima Hungariæ & Bohemiæ REGINA, nunc Auguſta IMPERATRICE, velut alterum quendam Æſculapium ad ſuæ ſalutis & ſanitatis curam vocatum Archiatrici muneris dignitatem ſuſcepiſſe, utpote cui ceu celeberrimi Boerhaavii, magni illius dum viveret Hollandorum Oraculi diſcipulo & ſcientiæ filio pridem fama publica illud laudis tribuerat, ut is in TE adhuc poſt fata vivere crederetur, ut de hoc inter Medicos illuſtriores ſcientiæ & ob hanc obtentæ dignitatis prærogativa TIBI applaudere & gratulari fas ſit.

Poſtulavit Hippocratem Artaxerxes oblatis magnis honorum titulis, atque muneribus, ſed renuit acceptare conditionem. Poſtulavit Helmontium Rex Hiſpaniarum, eique Archiatri Regii officium obtulit, ſed quoque renuit; vocavit ad

Digitized by Google

conſultationem ceu vitæ ſuæ ut ſperabat aſſertorem Boerhaavium, Regis Boruſſorum Potentiſſimi moderni parens, ſed ut terris Batavis excederet, perſuaderi non potuit.

TU judicio & ſorte felicior Relicta Patria ad remotiores ſolis orientis plagas abire & tot Europæ Regnis pretioſæ ſanitatis graviſſimas curas cum Archiatri titulo ſuſcipere non detrectaſti, ſicque re ipſa comprobaſti conſummata artis Hippocraticæ ſcientia ſeu diſciplina caput Medici ab Altiſſimo creati, ut ſacræ litteræ memorant, exaltari, ut à Regibus accipiat donationem. Alia dedicationis ratio eſt, quod ex iſtis Weſtphaliæ Duumviris alterum nempe Clar. D. Cohauſen dubio procul nomine ſaltem & fama noveris, utpote ex variis libris editis & in Tua Patria Amſtelodami impreſſis in orbe Litterato & præcipue etiam Batavo famoſum. Tua namque in libris Medicis ruminandis indefeſſa curioſitas

non

Digitized by Google

non intermiſerit ejusdem *Neotheam* in idioma Hollandicum translatam, *Helmontium Ecſtaticum*, *novum Lumen Phoſporis accenſum*, *Picam Naſi*, *Lucinam Ruyſchianam* aliosque plures in orbe Batavo impreſſos. Et nuper Auguſtiſſimo Imperatori coronato FRANCISCO ejusque Sereniſſimæ CONJUGI dedicatum *Novum Solis Coloſſum* legere, ex iisque de Viro in praxi Medica famigerato, nunc quidem octuagenario, ſed in ſenio quaſi viridi adhuc exiſtente meritam exiſtimationem concipere.

Magna fateor fortunæ eſt gratia, incomparabilis potius dico, Tuæ eruditinis effectus in hac mortalitate habere Deos terreſtres votis ſuis & Medicinæ præceptis, ubi ægrotant, obſequentes. Nam illa Archiatrorum eſt authoritas ut juxta Caſſiodorum etiam Mundi imperantes habeant ſuis præſcriptis morigeros: Cum è contra Poliatri omnis generis hominum quaſi ſervi pro parvo Lucro eſſe

 cogan-

cogantur. Æquum igitur eſt TIBI de talis fati fortuna hiſce gratulari, & in iſta ſparta Hippocratis ſaltem ætatem & artis felicitatem perennemque tantæ REGINÆ & IMPERATRICIS gratiam vovere, modo quoque id artium Regina jatrice ſibi obtineat, ut à ſtudiis & lucubrationibus Medicis non prorſus & quo ad totum hominem per tot in Aula Cæſarea alias occupationes & curas abſtraharis, ut quæ Reipublicæ Medicæ promiſiſti plura doctrinæ Tuæ opera negligere cogaris. Vale Artis Appollineæ decus & gloria. Dabam Confluentiæ pridie Calend. Martii M DCC XLVI.

PRÆ-

Digitized

PRÆFATIO
EPICRITICA
SALENT. ERNEST. EUG. COHAUSEN, PROTO-PHYSICI CONFLUENTINI.

NOn quid novum atque inſolitum, ſed ab omni ævo, quo viguerunt bonæ literæ, laudabili more receptum eſt, Virorum Eruditionis fama in Orbe Literato celebrium Epiſtolas, etſi primum privatas, demum in publicam lucem produci, præſertim ſi quid Doctrinæ ſacræ aut profanæ, vel etiam in genere morum vel in re phyſica contineant, quod valeat aut docere aut delectare. Qua cauſa incitatus ſiſto tibi, amice Lector, Clariſſimorum Weſtphaliæ Duumvirorum gloriæ ſacrum Monumentum, ære quidem labili excuſum, omni tamen ære, ut ſperare licet, perennius. Geminos hos canitie nunc venerandos Senes, licet ſub diverſa poli elevatione natos, pari tamen Palladio lacte enutritos ita colligavit ſtudiorum amor & magnetiſmus literarius, omni lapide Her-

 culeo

culeo potentior, qui non attrahendi modo, ſed & quod huic deeſt, uniendi energia eundem longiſſime ſuperat, unde licet Eosdem ſepararit quinque vel ſex horarum habitationis intervallum, indiviſos tamen fere ſemper à triginta, & quod excedit, annis tenuit non unum quot menſibus Commercium Epiſtolicum, cui quidem utrique vere competit illud, quod Celeberrima Leopoldino-Carolina Germaniæ Curioſorum Societas ſibi vendicat, Lemma: *Nunquam otioſus*, quo quidem factum, ut crebra inter Eosdem orta ſit tum de rebus antiquis hiſtoricis tum phyſicis diſceptatio, cujus jam mentis ſum publico præbere ſpecimen, nempe Epiſtolas quinque mutuas & reciprocas habiti circiter ante Decennium de Curioſis Phyſicis in titulo memoratis Commercii Litterarii.

Verum animadverto me ſuſpenſum tenere Lectoris animum, quos per prælaudatos Duumviros Intellectos velim, quos proinde celare nolo (licet libelli frontiſpicium nuda eorum nomina ſine prædicatis, adeoque externis nationibus forte incognita præ ſe ferat) unum quidem eſſe Reverendiſſimum & Clariſſimum Dominum Jodocum Hermannum Nunningium J. U. Doctorem, Illuſtriſſimi Capituli Vredenſis Canonicum - Scholaſticum & Seniorem, Proto-Notarium Apoſtolicum, Sereniſſimi Electoris Colonienſis & Principis Monaſterienſis *Clementis Auguſti* &c. &c. Conſiliarium Eccleſiaſticum; alterum vero Clariſſimum

riſſimum & Experientiſſimum Dominum Joannem Henricum Cohauſen, Phil. & Med. Doctorem, glorioſiſſimæ memoriæ Principum *Friderici Chriſtiani* & *Franciſci Arnoldi*, dum viverent, Archiatrum & ſupra quadraginta annos per Dynaſtias Horſtmarienſem & Ahuſanam Medicum Provincialem, Practicorum Patriæ nunc Seniorem, quorum illum ceu Amicum & Patronum meum veteranum ſumme veneror, Hunc vero Patruum, ceu meum ante plures annos in artis Medicæ inſtitutis primum Profeſſorem, ea qua par eſt obſervantia colo. Communicavit hic mihi laudatasCommercii Litterarii Epiſtolas,ſicuti quod ad Eruditionem & Profeſſionis Jatricæ Encyclopœdiam pertinet, non intermittit etiam in grandæva ætate per litteras mihi communicare. Cujus quoque *Hermippum Redivivum* meæ quondam Curioſitati ſubmiſſum ad prælum cum Eruditorum gratiis promovi, ut non minorem a Doctis curioſis me gratiam obtenturum ſperem, ſi Commercii hujus Litterarii Phyſici particeps redderem publicum.

Geminus hic Auctor jam variis ſcriptis editis clarus eſt, ob quæ & diverſa adhuc ad prælum jam parata & ſuo tempore edenda a me hic merito celebrandus eſt. Quare cum opportuna hic ſe præbeat occaſio de horum Duumvirorum ſcriptis hic diſſerendi, operæ pretium judicavi eorum jam impreſſorum ac ineditorum ad calcem tamen perductorum Syllogen tractatui huic addere, quorum quidem

ex

ex utraque parte is eſt numerus, ut valde metuendum ſit, ut omnes iisdem adhuc ſpirantibus lucem videant.

Sciendum vero præfatum Cl. D. Nunningium inter Manuſcripta ſua publico deſtinata magno labore compilaſſe ingens Volumen, ceu potius Volumina ſub titulo *Weſtphaliæ Doctæ*, in quibus continetur Elenchus Alphabeticus Virorum Doctrina, Litteris & Scriptis apud Monaſterienſes hoc & prioribus ſeculis illuſtrium. Inter quos & cum ipſe ſuos libros recenſuerit, neque intermiſerit D. Patruum meum tot libris editis jam famoſum referre, hisque ſingulis Elogium ſine fuco & quo eſt animi candore unice Veritati addicto tribuere, impulit me humillimus reſpectus, quo erga meum hunc veteranum Mœcenatem & Reverentia atque animi gratitudo, qua erga Senem Patruum de me non uno titulo bene meritum feror, ut utriusque ſcripta cum debita laudum Præfatione laconice recenſeam & elogia ac judicia, quæ & ipſe D. Nunningius partim ſcripſit, partim ab aliis ſcripta congeſſit, ad meas autem manus benevola D. Patrui communicatione ad illius permiſſionem ex laudato Volumine nondum edito & publicato excerpta pervenerunt, hic eruditis & præſertim iis, qui Vitas Juris Conſultorum & Medicorum hodie tanto labore colligunt, communicem, quod eo minus quis reprehendendum putabit, cum jam plures de libris alienis & ipſi quoque Auctores de ſcriptis propriis Commentaria edide-

Digitized by Google

ediderint, & in ipſis quoque Miſcellaniis Nat. Cur. ultimis anno 1684. evulgatis monitis vi legum Leopoldinarum cautum ſit, ut prolixiora Collegarum ſcripta ſeorſim edita in annuis Ephemeridibus brevi ſynopſi recenſeantur.

Nil autem hic amicitiæ, nihil ſanguini, nihil aſſentationi datum. Nihil addidi, nihil ſubtraxi elogiis utriusque viri clariſſimi. Sed quæ veritati litando & ſimpliciter ſaltem acta narrando retulit communis hic litteratorum Publicus Encomiaſtes, veluti Echo repetii, hujus Eruditorum Prædicatoris ſaltem ex merito reciprocus prædicator, cujus equidem per tot vitæ luſtra in Senium usque indefeſſum in collectandis & conſcribendis Weſtphaliæ tam Sacræ quam Profanæ, tam Religioſæ quam Doctæ Monumentis ſtudium (quod vel ex primo Monumentorum tomo jam impreſſo elucet) utut ringente invidia abunde meretur id elogii, quod cuicunque alii Biographico Scriptori & Polyhiſtori poteſt deberi. Nam qui alios doctos tam laborioſis Encomiis honorat, & ipſe præ aliis omnibus honorari meretur.

Ea eſt laudatiſſima Ejusdem cum variis Viris genere & Scientia illuſtribus (quorum pariter hic adjungetur indiculus) jam per multos annos Commerciorum Litterariorum frequentia, ut quod hic præcedit Commercium Phyſicum, proxime ſequi poſſit Commercium Hiſtorico-Criticum, Commercium

Numiſma-

Numiſmaticum, Commercium Raritheciale. Ea eſt ſingularis in Viro licet Eccleſiaſtico & Jurisconſulto Curioſitas, ut præter Bibliothecam, publicis aliquando uſibus deſtinatam, tam in Numiphylacio ſatis copioſo & pretioſo, quam Muſeo ex rariſſimis Analectis conſtruendo nulli labori nullis ſumptibus parcat.

Prodeant igitur hic in medium, qui amore & amicitia inveterata indivulſi ſunt, qui non minus prudentia quam ætate Senes, qui labore & indefeſſo ſtudio adhuc juvenes, qui tumulo proximi ſtudent immortalitati. Muſa enim eos mori vetabit. Verum Voluminis foret non Præfationis verboſius & minutatim de meritis horum Duumvirorum ſcribere. Ego ex publicato hoc Commercio Litterario (opere nempe alieno) nihil gloriolæ aucupor, niſi quod ad exemplar horum in Litteris Heroum ſemper quoque ſtudeam (abſit jactantia) publico prodeſſe, ut ſumme gaudeam ſaltem ex hoc capite me Societatis Leopoldinæ-Carolinæ & Commercii Litterarii Norici albo inſcriptum, quo eorum Ephemeridibus qualescunque obſervationes meæ inſeri valeant. Quamuis non ignorem meam eſſe meram balbutiem ad aliorum eloquentiam, meram vappam ad aliorum nectar, & umbram ad lucis ſplendorem. Satis mihi doctus videor, ſi magnorum Virorum, ſi quisquam alius, ſim admirator, imitator potius affectu quam effectu.

Scio

Digitized by Google

Scio non defuturos Sycophantas ventoſos tamen Litteriones famæ Nunningianæ & Cohauſenæ, ſi Muſæ permitterent, Veſpillones, qui arroganti ſupercilio meam hanc alieno operi impenſam Opellam non minus quam ipſum Commercium deſpicient, imo contemnent. Verum non moror iſtos Bavios ſimiles ſtatuis, in quibus præter formam & magnificum nomen nihil inveneris. Hi dum aliorum innocua ſcripta conantur etiam publice ſupprimere, eo magis contemptu ſuo faciunt illuſtria & glorioſa, ut Pindari Scripta Amphimachus, Simonidis Timacreon. Homeri non unus Mævius. Sed tales contemnere jam pridem didici cum Duumviris iſtis veræ virtutis gloriæ inſervientibus. Quare hi Blaterones me non detinent, quin & de hiſce Muſei analectis, de quibus præſens agit Commercium Litterarium, aliquid Præfationis loco commentari meamque epicriſin aperire audeam.

Permittent igitur Clariſſimi Duumviri eorum doctiſſimis lucubrationibus meam quoque qualemcunque ſententiam adjungere, eo ordine, quo ipſis viſum eſt has pertractare. Initium dabunt Gloſſopetræ. Communis hactenus fuit opinio etiam apud primæ claſſis auctores lapides hoſce, alii gemmas appellant, linguas ſerpentum referentes in Inſula Mellita dumtaxat reperiri. Cum enim ex actis Apoſtolorum Cap. 28. conſtet D. Paulum Apoſtolum perpeſſo naufragio ad hanc Inſulam appuliſſe,

puliſſe ibique ſermenta colligentis manum a vipera demorſam, ſed ingenti ſtupendoque miraculo nil mali paſſam eſſe, ſed poſtmodum Loci ejus Principem plurimosque alios incolas a morbis graviſſimis Divina virtute per eum ſanatos eſſe, ſic credunt lapillos hoſce, ut & alios, quos ſerpentum oculos vocant, quædam quaſi eſſe trophæa a venenata beſtia per Apoſtolum reportata. Nunc vero ex Cl. D. Nunningii relatione fit certum, ejusmodi linguas lapideas etiam alibi extra prædictam Inſulam, imo in ipſa quoque Weſtphalia, quod hactenus nemo adnotavit, reperiri, unde magis confirmatur Gloſſopetras non eſſe animale, ſed terreſtre productum. Sicuti enim in Melitenſi inſula in terra albicante & vel maxime circa cavernam S. Pauli, vulgo *Grotta di S. Paulo* dictam, effodiuntur, ita easdem in fundo tum limoſo tum argilloſo ortas collegit Scriptor noſter curioſiſſimus. Dico ortas. Eas namque deprehendit tam parvas imo ad attactum molles, ut pro earum embrionibus ſaltem reputarit. Eandem ſententiam fovet Joan. Fr. Habela *Lib.* 1. *de Malt. Deſcript. C.* 12. ſcribens eas creſcere in Saxo, in quo in initio generentur parvæ, dein temporis tractu augeri velut in ſeminario, creſcere autem ex peculiari quodam ſemine conformationis in illis Auctore. Domino Patruo meo plane aſſentio, quia naturaliter figuræ conicæ conum nunc acutum nunc obtuſum, hæ regularem, irregularem aliæ præ ſe ferunt. Celeberrimus

Thomas

Digitized by Google

Thomas Bartholinus *Cent.* 6. *Hiſt.* 1. teſtatur mineræ ſuæ ſeu glebæ ſaxeæ incluſas & exinde liberatas omnium generum, magnas, parvas, ſerratas & Læves, candidas & nigras ſe ipſum collegiſſe.

Qui illarum ortum miraculum Paulino adſcribunt, credunt illas neceſſario eſſe ammuleta contra varia & morborum genera efficaciſſima, ſi vel brachio alligentur aut de collo ſuſpendantur. Vidit Michaël Heberer de Britten *L.* 3. *Ægipt. Servit. C.* 16. ſe vidiſſe Gloſſopetras Magnatum Scyphis inditas & inſertas, ut a potu venenorum eſſent immunes narrante Bartholino *l. c.* quo gloſſopetrarum virtutes ad longum recenſet, ad quem brevitatis cauſa remitto. *Videri* etiam poteſt D. Joſeph. Lanzonus in Ephem. Germ. Cur. *Dec.* 3. *Ann.* 4. *Obſ.* 71. de illarum viribus ſingularia referens, ubi quoque ridiculum narrat ex Plinii *Hiſtoria Nat. Lib.* 37. *C.* 10. Nempe gloſſopetram linguæ humanæ ſimilem in terra non naſci, ſed deficiente Luna Cœlo decidere, quod quidem nec a Plinio alioquin certe nimis credulo tanquam certum acceptatur. Has enim nugas eſſe facile pateſcit. Mirari autem ſubit quare ſolertiſſimus rerum naturalium ſcrutator Paulus Buccone nobilis Siculus in libro quem inquiſitiones & obſervationes phyſicas ſed idiomate gallico inſcripſit, Fabium Columnam in Append. *L. de purpur.* & Ceſalpinum *L.* 10. *de metall. C.* 44. nec non Nicolaum Stenonem ſecutus, eas piſcium quorundam marinorum

Digitized by Google

dentes petrefactas eſſe rationibus nonnullis, quæ apud eum legi poſſunt, adſtruere cone-tur. Inutiliter ſane ad ipſum univerſi cata-clyſmum recurrit, cujus inundatione ad agrum Weſtphaliæ Wickinghovianum per-veniſſe quis ſanæ mentis crediderit? Non obſtat ſeminis ſpecifici eſſe productum, quam-vis earum figura ac magnitudo multis modis variet, & nunc denticulis parvis ſint ſerratæ, nunc crenis majoribus ornatæ, pyramidales ſæpius crenis penitus carentes, &c.

Pergo ad lapides cordiformes. Oſtentat tales in agro Paderano natos Cl. Nunningii Muſeum. Viſos quoque illos eſſe Celſiſſimo *Ferdinando* Eruditorum Epiſcoporum Phænici, ſatis teſtatur elegans ejusdem verſus ab Au-ctore noſtro allegatus, in quo mireris Epi-grammaticum acumen, ſi enim ipſa ſaxa in antiqua Saxonia corda producunt Lapidea, quid de ipſis Saxonum ſtatuas pectoribus?

Ejusmodi Lapides Cordiformes in matrice macrocoſmi potius quam corde microcoſmi generari non eſt quod dubitemus, quamvis corculum ſaxeum ex fide Miſcellaneorum German. Nat. Curioſ. in Cervi ventriculo na-tum credatur, cujus quoque commatis cen-ſetur lapis, quem in capreolo inventum tradit D. Theod. à Marwis *p.* 336. *Ann.* 1. *Decur.* 2. *Ephem. Cur.* licet enim ejusmodi Cardiolithi, cor ceu matricem habeant, cordis formam tamen non obtinent. Vidit lapidem, figuram, colorem & alia requiſita cordis imitantem in

Prælu-

Præluſtris Perſonæ Gazophylacio *David Reichius*, quem tamen pro cordis producto non habet: ſed ſtatuit, cum ejus ſubſtantia communi lapidi rubeo fluviatili penitus ſit ſimilis, potius in ventriculo Cervi quam corde eſſe inventum, ceu facile in prato ab eſuriente bruto deglutitum. Rationem addit, quod cum lapidis magnitudo cor Cervi ferme adæquet, in foro phyſico poſſibilitati repugnet, eum in altero ejus ventriculorum contineri & generari potuiſſe, cum omne continens ſuo contento majus & amplius eſſe debeat. Interim nulla obſervatione conſtat, Lapidem cordis forma donatum in corde animalis fuiſſe enatum. De lapillis paſſim in corde generatis teſtantur Medico-Phyſicorum Ephemerides, qui tamen cum cordis figura deſtituantur, ad cenſum Cardiolithorum proprie dictorum venire non poſſint. Credo figuram illam cordis mere eſſe fortuitam, efformatam a loci conſtitutione, in qua naſcitur: Sic calculum Reni, cordiformem D. Reiſelius in *Eph. G. Cur. Dec. 1. Ann. 3. Obſ.* 192. depingit. Alium veſicæ calculum cordis formam penitus repræſentantem vidit *Sebaſt. Scarabicius* teſte Exc. D. Schröchio in *Schol. ad Obſerv.* 75. *l. c. Decur. 2. Ann. 6.*

Epiſtolæ Duumvirorum ſecundæ materiam præbet *Cornu Ammonis*, ita appellatum, non quod revera naturam Cornu habeat, ſed ejus ſaltem figuram, quod jam probe annotavit Ariſtoteles *l. d. Part. animal.* ubi ait: *Per ſimilitudinem*

tudinem

tudinem & translationem quorundam aliorum dicuntur cornua, ſed nulli operationes cornuum inſunt. Unde ſane falluntur, qui ea ad animalem potius quam mineralem familiam referunt, & credunt eſſe aquis diluvianis ad locum, in quo hodie reperiuntur, delata & longiſſimi temporis tractu petrefacta. Cujus ſententiæ ſe defenſorem ſiſtit Andreas Caſalpinus; qui *L.* 2. *C.* 44. de metallicis ad figuratos lapides deveniens multis contendit rationibus, *Corpora lapidea innumerabilia eandem prorſus configurationem cum viventibus habentia, viventia extitiſſe, ſed poſtea aut ſponte aut ob aliquem ſuccum lapideſcentem concreviſſe in lapideam ſubſtantiam.* Ex quo ſequeretur Cornu Ammonis pro Cornu arietino in lapidem mutato habendum eſſe. Quod vel ex eo ſufficienter refutari poteſt, quod etiam exigui Diametri inveniantur Ammonis Cornua, quibus producendis æqualia tam parva arietum aliorumve animalium capita in natura nunquam exstiterunt. Accedunt configurationes ita variatæ, ſtriatæ, verrucatæ, undulatæ, quales alias in nullis brutorum viventium cornubus ſpectantur. Scribit D. *Scheuchzerus* in *Diſſ. Epiſtolica de Dendritis* dari in Helvetiæ regionibus Cornua Ammonis in orbe extimo foliaceis cardui impreſſionibus exornata, quæ nil aliud ſunt, quam lineamenta extrema articulorum, quibus hoc genus Cornuum Ammonis per totam ſæpe circumvolutionem diſtinguitur, quas Articulationes *Wormius* confert

cum

Digitized by Google

cum vertebris ſpinæ Serpentis, ideoque id genus Cornu Ammonis nuncupat lapidem Sceleton ſerpentis referentem, lineamenta hæc folioſa ita deſcribit: *Superficies* (lapidis) *exterior a natura crebris depicta eſt ramuſculis, quaſi & linearum dentibus folia arborum quodamodo referentibus, qui ex Articulationum anfractibus ortum trahunt.* Quod & *Martin. Liſterus* de *Cochl. Angl. ſub Tit.* 2. & 5. obſervavit. Laudatus *Scheuchzerus* ſcribit tale eſſe Cornu Ammonis fruſtum, quod ornamenta hæc foliacea eo modo impreſſa gerit, quo fere folia trina liliorum, Gallici regni inſignia pingi ſolent, *Encrinos* hinc vel *encrinon* jure vocandum. Ex quibus quoque ornamentis per univerſam Cornu ſubſtantiam ad umbilicum usque diffuſis, non obſcurum eſt, hoc Cornu Ammonis genus nunquam ad regnum animale pertinuiſſe. Scribit tamen Celeberrimus D. *Nunningius* in ſuo lapide non obſcura eſſe cervicis veſtigia, a qua Caput operariorum incuria effodiendo ſit reſectum. Circa quod notandum, quod perhibent Oryctographi, nempe hoc Cornu ſemper ad extremam ſuperficiem innatum eſſe lapidi prægrandi, ut fruſtra ſit, quisquis hoc ſeparare integrum laboraverit.

Non ſine elogio deprædicatur hujus Cornu Ammonis locus natalis ager Cœsfeldicus prope caſtrum Loburgenſe, ut inde pateat non minus apud Weſtphalos quam alias nationes naturam non eſſe ignavam in productione figuratorum lapidum, ex terra tum calcaria tum

lapidoſa, in varias formas induреſcente, quos ſæpius agricolis & foſſoribus, dum aliud agunt, & ne quidem opinantur, ſors fortuito offert.

Digreditur Cl. *Nunningius* ad Jovem Ammonem, a quo Cornu hoc, licet non Cornu, nomen accepit, hic enim tam a Græcis quam Romanis Poëtis Ariſtophane, Lucano, Ovidio, Statio, Papiniano, Silioque Corniger ſalutatur, cui cornua arietina vel ad temporum regionem vel capitis ſummitatem apponunt. Unde idem annotat in antiquiſſimis Numiſmatibus Jovem ſpectari Cornigerum, quorum diverſos recenſet. Quibus addo Trajani duplicem, unum argenteum & alterum æneum Numum Jove Cornigero ſignatum, ut & Antonini Pii, a *Seguino* celebri Gallorum Antiquario illuſtratum, & Marci Aurelii Veri a Patino elegantiſſime depictum. Ut gentis Cornuficiæ & Lolliæ numos, qui omnes Jovem cornibus ad tempora retortis ſive arietenis præditum repræſentant, ſilentio prætercam, ſi enim omnes Ammone Cornuto ſignatos enumerare vellem, plures eſſent implendæ paginæ.

A Jove ad caput Moyſis cornigerum tranſit, cujus in numis Hebræis effigiati dilucidationem in Epiſtola Reſponſoria exhibet D. Patruus, qui hac occaſione varia animalia cornuta, Lepores, Equos, Gallos gallinaceos, Anſeres, Anates, Cattos, Corvos, Viros denique & mulieres ad Cornutorum computum refert,

Digitized by Google

ſita fœcunda ubique cornuum eſt Natura, ut etiam ipſis lapidibus vitalis actionis & ſenſitivæ ac vegetativæ animæ nil continentibus illorum figuram ſingulari hactenus occulto artificio imprimat.

Verum nolo hiſce longius immorari. Quia tamen uterque Duumvirorum Ammonis Cornu eleganti Inſcriptione ornavit, licebit & mihi illam huc apponere, qua *Joannes Reiskius* in *Diſſertatione Hiſtorico-Phyſica* cornu ſuum decoravit.

Vos
Viator, Civis, Advena
Quicunque ſuas
Lector ſpectatorque
Vos ad unum omnes
Quod *Heracliti* Epheſii fuit, alloquio
Excipiam, dimittam
Introite: nam & hic Dii ſunt.
Subite mecum, quæſo
Has obſcuras terræ latebras
Has cavernas undique lapidoſas,
Nam & hic Dii Veterum ſuperſunt
Joves Ammones,
Agnoſcite, ſi vultis, reſciſcite,
Caput ex lapide uno cornutum idque Ammonium
Caput Ægyptiis, Græcis, Romanis, Lybicis
Divinum
Et
Superſtitionem, quæ ſuberat, craſſiſſimam
Ingemiſcite, indoleſcite,

Sed
Prodite paullulum collectis animis,
Obſtupeſcite, pertimeſcite
Ipſum Deum in lapidibus præſentem,
Deum ter optimum, ter Maximum,
Mirabilem tanti artificii Authorem.
Ut
Cornu ex Lapide Arietenum
Inque illo
Non baſim tantum rugoſam, ſed mucronem
etiam tortuoſum.
Admirari ſcrutarique liceat.
Igitur vel ex hoc ipſo
Lapide cornuo, aut cornu lapideo,
Niſi vobis ſit cornea fibra,
Ad laudes Deo ter optimo nuncupandas, prædicandas
Mecum facile permovebimini,
Vos
Quotquot adeſtis
Viator, Civis, advena
Lector ſpectatorque
Vos
Abite fauſto admodum gradu
Ubicunque ibitis & ibi Deus eſt.
D. V. C.

Pergo ad Muſei Nunningiani Cornu ſeu potius medullam. Inter hoſce Duumviros adhuc controverſum. Cl. D. Nunningii poſtulatum eſt, eſſe Biſontis, eſſe petrefactum, eſſe

Digitized by Google

eſſe ex univerſali mundi Cataclyſmo ſpectabiles reliquias. Dubitat de omnibus nec ſine valida ratione D. Patruus, & ſaltem pro Cornu Uri ſeu ingentis cujusdam bovis habet, qualis ſtaturæ ac molis olim etiam teſte Tacito aluit antiqua Saxonia, imprimis Friſia, ut ab eo allata confirmant exempla. Argumenta in contrarium adducta nondum refutata ſunt, neque illis aut refellendis aut confirmandis me ſatis idoneum invenio, cum Biſontem neque alat Germania, neque mihi unquam viſus ſit, ut ex confirmatione medullæ de Cornu genuitate judicare valeam, quamvis & ipſa longitudo non minorem probationem faciat. An vero ex Animali, & petrefacta ſit medulla, an mere terreum foſſile, ſpagyria juxta *Lapidem Lydium* Cl. *Samuelis Carl* optima arbitra & judex Docimaſiam facere poterit. Quamvis nondum ex eo pateſcat, an ex Uro ſit, an Biſonte, an bove majore, cujus certitudinem ſola præbebit magnitudo, & ſpecifica conformatio.

Concedamus vero eſſe medullam cornu petrefactam, nondum tamen conſtabit eſſe ex reliquiis antediluvianis, quibus Scheuchzerus aliique moderni ſibi hodie mire blandiuntur. Si enim antiqua Germania olim Alces, Uros, Biſontes, aliasque feras nunc incognitas aluit, jam tantum temporis a deleta ſylvarum vaſtitate interceſſit, ut ejusmodi brutorum ſceleta & exuviæ lapideſcere potuerint, neque

 opus

opus ſit ad Diluvium univerſale provocare. Ex Indiis Biſontis Cornu *Oedingam* Weſtphaliæ aquis Cataclyſmi provolutum eſſe, nimis duræ eſt fidei. Verum controverſiam hanc meam non facio, Benevolus Lector penſitatis utrimque argumentis reſolvere poterit, cui ſententiæ velit adhærere. Nemo Muſeo Nunningiano invidebit, ab eo Corneam Biſontis medullam poſſideri.

Prodit tandem iterum poſt annos noningentos in lucis theatrum *Abullebacius Carolo M.* a Rege Aarone in donum miſſus Elephas. Cujus Epicedium ante hos Duumviros nemo ſcripſit. Ejus vitam & mortem plures non infimi ſubſellii Scriptores ex antiquo ævo memorarunt, ſed inferias nemo celebravit, nemo mentionem facit, quo terrarum loco ſit tumulatus, tandem autem circa Rhenum effoſſum ejus os femorale prodidit locum ſepulcri, cujus ex hoc patet, quam facilis ſit jactura. Curioſa ſunt & lectu digna, quæ de illo memorat uterque Duumvir. Quo mortis genere defunctus ſit, Scriptorum nemo meminit. Ex Noſtalgia mortuum oſtendit D. Patruus, ſi modo ea in brutum cadere poſſit, mutationi aëris ejus alias vivacis & longævi præmaturum obitum magnam partem deberi ſatis probabile eſt. Experientia namque docet & pluribus aliis animalibus in aërem peregrinum inſuetum translatis breviorem eſſe vitam.

Contro-

Controverſia inter Duumviros eſt: An os illud laudatum ſit femoris Elephantini. Cujus veritas ut ſtabiliatur, ſervanda & ſequenda foret methodus in celeberrrima Academia Phyſico-Mathematica Romana quondam obſervata, quam D. Ambroſio, Hieronymo *Langenmantelio* communicavit Vir Illuſtriſſimus & Litteratiſſimus D. Joannes *Ciampinus* ſequentis tenoris. „Prope terram Vitorchiam „ Viterbienſis Diœceſeos præterito anno quædam miræ magnitudinis oſſa reperta fuere, „ ſcilicet femoris, ſcapulæ & vertebrarum „ quinque, inter quas erat ille Cervicis, quæ „ ſimul in pondere centum & octoginta noſtratum libras excedebant. Fuerunt propterea ab omnibus fere Gigantis oſſa exiſtimata, ac facta cum illis collatione, quæ in „ diverſis urbis Cimeliis, præſertim in celebri „ illo Chiſiano aſſervantur, erant omnium „ maxima. Dubitatum autem fuit, an revera „ Gigantis aut potius Elephantis oſſa eſſent. „ Propterea ad Eruditum Amicum Florentiæ „ commorantem fuerunt datæ litteræ, ut „ exemplar ſceleti Elephantis, qui in celebri „ Medicæorum Muſeo viſitur, mittere non „ dedignaretur. Qui petitioni benigne annuens optatum transmiſit exemplar, quare „ facta cum oſſibus collatione unanimi conſenſu judicatum fuit, tam illa noviter reperta quam antiqua in Cimeliis aſſervata „ Elephantum eſſe, & pro certo habuimus „ illorum Elephantum fuiſſe, quorum *Plinius* „ L. 8. „

„ L. 8. C. 2. & 6. meminit, ita *Ephem. G. Cur.* „ *Decur.* 2. *Ann.* 7. *Obſ.* 234. „

Hæc ſola methodus omne poſſet eximere dubium; ſi enim non ſit ex Elephante os, neque erit ex *Abullebacio*. Quæ collatio eo magis videtur neceſſaria, cum dicat doctiſſimus Oſſis Poſſeſſor illud ex inculto ad Rheni ripam agro fuiſſe effoſſum. Nam quomodo ſub terra ad littus Rheni dubio procul humidiori os femoris ad annos noningentos ſine carie & totali corruptione potuerit ſervari integrum atque illæſum non eſt facile conceptu, cum cæterorum animalium oſſa ſubtus humum tumulata paucis annis penitus fatiſcant. Facile tamen perſuadeor os femorale in Cl. D. *Nunningii* Muſeo ſervatum, eſſe ex Elephante, cum enim excedat pondo XVII. & quadrantem, neceſſe eſt eſſe ex bellua terreſtri maxima, jam autem nulla major eſt Elephante. Cor namque ejus habet pondus XXV. librarum Ruſſicarum, circumferentiam XXVI. pollices & longitudinem a baſi ad conum XV. pollices, ut refertur in *Commercii Litterarii Norici Tom. I. Specim.* 35. *p.* 278. In corde autem Elephantis jugulati adhuc os eximiæ magnitudinis ſe vidiſſe perhibet *Aldrovandus*. Cujus & Corporis Elephantini reſpectu os illud adhuc ſatis parvum atque leve eſt, ut ne ex Elephante quidem majore (variant enim valde magnitudine) deſumptum videatur.

Mira

Digitized by Google

Mira de Elephantibus refert uterque Duumvir, liceat illis conferre Symbolum & narrare, quod refert *Göckelius* Collegii Ulmenſis Senior in Epiſtola de mirabilibus quorundam animalium. In *Antiochia* Syriæ urbe Elephas fœminam forte non inſcitam vidit, ſed vidit & periit. Nam promuſcide faciem manusque lambere, tergere, & quocunque poterat modo blandiri ſeque inſinuare attentavit. Cum aliquando perſeveraſſet mutuus hic amor, mulier ecce ad plures abiit: Elephas vero deſiderium non tulit, nec mentis ſuæ ultra compos datus eſt in furorem, quod confirmat D. Patrui mei de *Abullebacii* morte ex Noſtalgia conjecturas, nempe brutum hoc non brutum ex apprehenſione mori poſſe. Addit, quod mirere, *Gokelius* ſub *Tiberio* Principe duodecim Elephantos decore & verecunde menſæ aſſidentes ſumma cum admiratione & cibum cepiſſe & potum hauſiſſe, ſine ulla veracitate & ingluvie. Memorat D. Patruus in Epiſtola reſponſoria ex *Oppiano* & *Chriſtophoro Acoſta* teſtibus oculatis Elephantes verba accurate expreſſa eloqui potuiſſe, quod exemplo etiam laudatus *Gockelius* confirmat. Erat in urbe *Cochin* Elephas, qui operas diurnas præbere ſolitus ad portum & res marinas, quem feſſum nihilominus urgebat Præfectus, ut liburnicam porro deduceret in mare, ille abnuere, inſtare alter multis blandisque verbis, & ad extremum in gratiam Luſitani Regis, ut id vellet, orare. Hinc

motus

motus duo hæc verba clare ingeminavit *Hoo*, *Hoo*, quod Malabarum lingua ſignificat *volo*, *volo*, & ita ſine mora navim traxit in mare.

Finire hic poſſem ſat longam meam Præfationem, niſi demum poſt quinque annos Epiſtola Calendis Aug. MDCCXL. exarata D. Patruo notificaſſet Cl. D. *Nunningius*, ſe adhuc quatuor nova majoris magnitudinis & ponderis *Ammonis Cornua* non tam figuræ ſpiralis quam ovalis à D. Fratre Canonico Vredenſi forte reperta in ſuum Muſeum recepiſſe, illa tamen non ex materia ſaxea, gryſea aut cinerea, ſed nigra penitus bituminoſa conſtantia. Unde operæ pretium fecit D. Patruus in naturam ejusmodi Reſinæ terreſtris inquirere, quam probabiliter ſimilem niſi eandem facit cum illa, quæ in Ceſpitibus bituminoſis vulgo Turfis apud Weſtphalos præcipue Hollandiæ partibus vicinos, igni fovendo familiaribus reperitur. Ut in Weſtphalia per tres & quod excedit annos apud D. Patruum ſtudii & exercitii Medici cauſa moratus ſæpius oculis uſurpavi. Turfæ ut vocant multis nationibus ignotum concretum ſunt, quod plures exterarum regionum Curioſi Chymici examini ſpagyrico ſubjicere fruſtra deſiderarunt. Non unius ſortis illæ ſunt, & pro natura locorum, in quibus effodiuntur, bitumine plus minus fœtido & gravitatem & dolores capitis excitante gravidæ, unde

Digitized by Google

unde etiam nonnullis metallis fundendis ineptæ comperiuntur, quamvis etiam ex iis carbones eadem methodo, qua ex lignis, ad uſus fabriles parentur. Verum nolo hiſce longius immorari, cum Cl. D. *Nunningius* in ſua Diatribe de hiſce foſſilibus ex autopſia & experientia propria procul dubio ad plures Germaniæ partes ignata ſit ſcripturus.

Finio Præfationem ad Diſſertationes Epiſtolares utriusque hujus Clariſſimi Viri, quarum communicatione mihi primum a D. Patruo, & viciſſim nunc a me Publico facta ſpero me curioſos Muſeorum Poſſeſſores plurimum obligaſſe, quas ſi gratas fuiſſe intellexero, plura ex horum Duumvirorum lucubrationibus & erudito *calamo ad manus* ſunt, quibus Scientiæ *phyſicæ amatoribus* poſſim inſervire. Quare ne longiori prœloquio Lectorem ab ipſarum Epiſtolarum lectione detineam, ad illas progredior inſcripto tamen prius Muſeo Nunningiano debito Elogio:

Muſea paſſim curioſo viſui deſtinantur,
Cl. *Nunningii* etiam uſui,
Et privato & maxime publico;
Quando
Cum Analectorum naturæ poſſeſſoribus
Per Commercia Litteraria
Illorum ortum, antiquitatem, naturam indagat.
Teſtis
Sepulcretum Weſtphalico-Mimigardico-Gentile

De

De Urnis Romanorum & antiquorum Saxonum
Teſtes
Hæ Diſſertationes Epiſtolares
De Lapidibus, Cornubus, Oſſibus
Quæ non tam optice quam hiſtorice & phyſice perveſtigat.
Quot annis
Et rarioribus numis ſuum Phylacium
Et variis ex refluo Rheni alveo Collectaneis
A Gente Romana relictis
Sua carithecia qualicunque pretio dotat ditatque;
Ut non modo famigeratiſſimus Juris Conſultus,
Teſtibus tot Clientibus,
Sed & doctiſſimus Polyhiſtor,
Teſtibus *Weſtphaliæ Monumentis*,
Et Phyſicus ſolertiſſimus,
Teſtibus tot rerum naturalium ſcriniis,
Cluat feliciter.
I nunc Zoile,
Et dic, inter Weſtphalos non reperiri
Viros doctos & Curioſos.

COM-

Digitized by Google

COMMERCII LITTERARII
EPISTOLA I.
DE
Gloſſopetris & Lapidibus cordiformibus.

Clariſſimo Expertiſſimoque Viro
DOMINO
JOANNI HENRICO COHAUSENO,
Medicinæ Doctori Celeberrimo &c.
S. P. D.
JODOCUS HERMANNUS NUNNINGIUS,
Vredenam.

Non amplius mihi tempero, Amicorum Candidiſſime, quin nonnulla Muſei mei campeſtris curioſiora naturæ analecta avidis oculis per otium nuper relegens, Tecum, Arcanorum naturæ ſeculo Ruſpatore per litteras nunc conferam, quo veritas illuſtretur ac eliciatur, quæ inter vulgi fabellas alias ſolet pari paſſu ambulare.

Gemina eorum, ut in manus incidunt, ita litterarum ſerviant argumento. De *Gloſſopetris* (Germanis Natterzunglein) ut & *lapidibus Cordiformibus* lubeat facere initium.

Illas paſſim dijudicantes accedunt opinioni eorum, qui Canis *Carcharia* dentes eſſe contendunt.

 Aqua

A qua olim neque me multum receſſiſſe fateor; ſed huic pridem reluctari, nec immerito, ſuaſit Boëtius de Boet *Gemmar, & Lap. Hiſt. Lib. 2. Cap. 168. p. m. 340. ſq.* Lapidem ſui generis eſſe, inque arenis prope *Daventriam* Tubantiæ vicinaque loca, ac prope *Luneburgum* in Aluminoſis fodinis perſæpe repertas teſtatus.

Verum mireris Böetium in Lapillis noſtris linguam ſerpentis agnoſcere ſatis eleganter expreſſam, pro qua vulgus eas conſtanter accipiat, rectius tamen Pici linguam referre arbitratur. Utrumque errorem a *Geſnero* & *Agricola* eundem attraxiſſe ſuſpicor. Profecto omnium aliarum volucrum linguis potius accedere dixero, & ſimiliorem Regulum Aquilæ. Quis mortalium ſerpentibus hujus figuræ linguam eſſe recognoſcat? Inſpice, mi Amicæ, integram earum Decadem examini tuo hac occaſione ſubmiſſam, & quid rei ſit, optimè ſtatuminabis.

Itaque nec volucris, nec ſerpentis, neque piſcis eſſe, ſive linguam, ſive dentem autopta teſtor, unam namque illarum Anno 1715. cum novam piſcinam in curiæ noſtræ agris effoderent operarii, Germanus meus; ceteras ex improviſo novalia perambulans hoc Anno 1734. ipſemet detexi, omnes fundo tum argilloſo ortas, forte pygmæas aut embriones, quia admodum teneras, & vario quidem pro diverſitate ſoli, quo eas reperiebam, colore tinctas. Ne nudas ad Te ablegarem, Inſcriptiunculam hanc dare placuit Comitem.

Apage fabellas loquacis Vulgi;
Nunquam nos Pelagi jactitarunt procellæ,
Aut Carchariæ Canis inhabitavimus maxillas.

Nihil

Digitized by Google

Nihil nobis cum Viperis & Anguibus;
Nihil cum Picis aut volucrum turmis;
Nec fulmine projectæ ſumus,
Aut cum fungis momento natæ.
Gemma ſumus,
Certe rariorum lapidum indole dotatæ.
Hoc nobis genus eſt;
WIECKINGHOVIUM Patria;
Natura parens.
Linguæ ſignaturam præferimus,
At lapideam, Miſteriosam tamen,
Quia acuminatam, dentatam,
Elegantem ſimul & glabram.
Eoque hominibus Documento editæ,
Et loquendi & tacendi tempus dari:
Immo tacere melius quam loqui;
Rodendum, mordendum, pungendum
Nunquam.

Tranſeamus ad Lapides Cordi formes.

En quam affabre ad humani effigiem cordis conformati! Suppeditat hos nobis Paderanus ager erutis e terra ſaxis paſſim recluſos. Jam in cordibus hominum, jam cervorum, taurorum, aliorumque animalium naſci Cardiolithos principum Raritheeia doctorumque Virorum teſtantur Muſea, quibus curioſitas ingenti pretio illa inſeruit, de quibus confer *Velſchii Hecaſtothecam I. Num. XCIII.*

Verum dubitare poſſis, num in animalium cordibus Lithogeneſis miranda magis ſit, quam naturæ ille luſus, quo & lapides Cordi-formes intra ſaxa producit, quorum quosdam L. C. oculis ſubjicit apud *Velſchium* Tabella. Videas ibi gem-

Digitized by Google

mam ſpongitem cardionidem pulcherrimam, & alteram quidem Digaſtricam. Nihil, fateor, novi rarive eſt ſpectare lapides varia effigie & ſignatura etiam cordis per naturam inſculptos, niſi præter hæc, quid ſingulare præ ſe ferant, ut apud *Davidem Rechium Miſcellan. Nat. Cur. Decur.* 2. *Anni* X. *Append. p.* 73. Corculum illud ſaxeum auriculis ex utroque latere dotatum, inque cervi ventriculo, quod creditur, repertum, ut ut non tam in eo genitum, quam in prato ab eſuriente bruto deglutiendo ingeſtum judicet. Quod ejus ſubſtantia communi lapidi rubeo fluviatili haud fuerit abſimilis, magnitudinem cordis corvini propemodum adæquans.

Quidquid horum ſit, in lapide Paderano noſtro naturæ artificium aliquando demiratus Celſiſſimus *Ferdinandus Furſtenbergius* Monaſterienſis & Paderbornenſis Epiſcopus Eruditorum Principum immortale lumen non indignos cenſuit nitida Elegia celebrare, quam ex *VII. Illuſtr. Viror. Poemat. p.*230 *ſq.* ob libelli raritatem huc adſcribo;

Aſpice, Saxonicus largis ubi fontibus ortus
Lene Padus vitreis per vada ſerpit aquis;
Cordis ut humani ducentia corda figuram
Exhibeat ferro fracta vel inde ſilex.
An ſuperant jactis poſt hac veſtigia ſaxis
Deucalion, generis ſemina dura tui?
Saxonis an propius mores, & neſcia ſignant
Pectora nativam ponere duritiem?
Quidquid id eſt, ſi corda gerunt hic eruta ſaxa,
Quos animos fortes credis habere viros?

Vale

Digitized by Google

Vale Amicorum optime, & me amare perge. Ex *Wieckinghovio* ipſis Calendis Auguſti DCCXXXIV.

Reſponſum ad Epiſtolam I.

Reverendiſſimo & Clariſſimo Viro,
DOMINO
IODOCO HERMANNO NUNNINGIO,
J. U. D. Canonico & Scholaſtico Vredenſi &c.
S. P. D.
JOHANNES HENRICUS COHAUSEN.
Wieckinckhovium.

Placuerunt communicata nuper gemina ingenii tui Monumenta, alterum in Gloſſopetram, alterum in Lapidem cordiformem in tuo Muſeo ſervata, utrumque, me Hercule! doctum. Quibus ut meam adderem Epicriſin, aliæ iſtius temporis diſtractiones non permittebant. Hæc igitur illa pridem ad te remiſſa pede claudicante nunc tardius ſequitur.

Excuſabis ſenii moroſitatem, que ne c proletariis delectari nec ſtudia amœniora priſtino amore proſequi ſinit; Unde ſi in critica hac ant theſi tetricitatem, in Inſcriptionibus vero ſtyli ariditatem animadverteris, æqui bonique conſules, ſi erravero, in viam reduces, & me tui amantiſſimum amare perges. Vredenæ Idibus Septembris MDCCXXXIV.

Antitheſis Critica I. in Gloſſopetram.

Gloſſopetra figura Linguam refert.
Ergo *Carchariæ* vel *Lamiæ* piſcis

 Vel

Vel certe ſerpentis dens eſt,
Univerſali Cataclysmo ad varios Orbis tractus
provolutus.
Vah? Superficiaria Philoſophia
Neſcientium Naturæ polydædalam technicen!
Natura, inquis, hanc petra obducens
Ex Regno animali ad minerale traduxit.
Mira narras.
Diluvii reliquiæ ſunt, ais:
Nam
Et Procul à pelago Concha jacuere marina,
Et vetus inventa eſt in montilibus anchora ſummis.
Jejuna ſequela!
Dicam, ne erres.
Gloſſopetra Lithophytum eſt
Sive Lapis-planta.
Quæ ex ſucco lapideſcente plantæ ad inſtar
Per introſusceptionem nutrimenti creſcit.
Dubitas? Inſpice,
Ut ſuæ matrici ad hæreat;
Ut radicem habeat;
Quæſenſim ſine ſenſu ſugit ſuccum alimentarium,
Ut gaudeat nativis fibris,
Per quas facile inſtar ligni finditur
Secundum fibrarum longitudinem.
Adhuc dubitas
Fidem faciet Cinis vegetabili ſimilis,
In quem calcinando reducitur.
Veritatem agnoſces in Coralliis.
- - - Hoc, quo primum contigit auras,
Tempore durescit, mollis fuit herba ſub undis.
Et hoc Lithophytum eſt,
Et vere Lithodendron.

Hi

Hi plantæ-lapides & ſpecificum ſemen habent,
Et radices proprias.
Ex quibus ſine miraculo ſuccreſcunt & augentur.
Apage denticulatas ſerpentum linguas,
Piſcium dentes,
Horum petrificationem, & devolutionem
Ad loca, neſcio quæ, etiam Weſtphaliæ remota.
Vos, qui vultis naturæ recenſere miracula,
Ne quæſo ſcribite nugas,
Figura horum plantamineralium
Non acquiſita eſt, non accidentalis,
Sed
Formalis, orta ex ſeminali principio
Quod neſcit errare.
Aſpice *Oſteocollam*,
Quam, ne remote abeas,
Et ipſa producit ad Rheni tractum Germania.
Sabuloſus hic lapis radicem habet & truncum,
Et inſtar ramorum arboris propagines,
Et non raro cruſtam, quaſi nigricantem corticem.
Falleris,
Si hæc dicis animalis oſſa, aut fruſta lignorum
Petre facta,
Ex ſeminæ ſpecifico iſta naſci quis ambigat?
Quod halitus terræ glutinoſos
Subtiliſſimis ſabuli particulis compingit,
Et in teretem longamque inſtar virgæ tornat figuram
Non omne ſabulum hujusce lapidis Matrix eſt,
Quia deficit opifex ſemen petrificum,
Nec ubique *Gloſſopetras* inveneris,
Quod ſpecificum hujus ſemen non omni ſolo ſubſit:
Quo in loco unicam forte repereris,
Si plures habeat comites,

 Crede

Crede in eo natam,
Non otioſum eſt in natura ſemen,
Harum innumeras in matricibus deſtinatis producit.
Naturam igitur conſule, non phantaſiam,
Quisquis ſuper hæc naturæ producta commentaris.

Antitheſis Critica II. in lapidem cordiformem.

Deſipit Phyſicorum ſapientia,
Qui imaginando & fingendo nimis ſubtilia
Subtiliter delirant.
Lapis Corculi præfert figuram.
Non dubitant naturam ita finxiſſe,
Sed an in duritiei, quam pectore non unus claudit,
Symbolum?
Non iſtam in natura agnoſco prudentiam.
An ut ſculptricem ſe callere oſtentet?
Irritus hic foret naturæ labor,
Quæ nihil fruſtra facere dicitur.
Illius potius dices luſum?
Ridendi ipſi ſunt, qui tam ludicram faciunt naturam.
An forte olim in animalculo viſcus fuit.
Qui nunc eſt Cardiolithus?
Nec hoc fidem habet.
Niſi fibræ, ventriculi auriculæ monſtrent
Id aliquando verum cor fuiſſe.
Quid ergo?
Figura huic concreto aſcititia & accidentalis eſt,
Nempe argilla vel limus
In conchula vel inter duo alia coopercula.
Quaſi in modulo concluſus

Ac-

Digitized by Google

Accidentalem hanc formam contraxit. *
En totum quod rei ſubeſt Myſterium:
Teſtimonio ſunt
Tot in animalium viſceribus nati
Stupendæ ſæpius figuræ calculi,
Qui ſolis Vaſorum proceſſibus & divaricationibus
Suam debent conformationem.
Superbiant his Muſea & Rarithecia,
Non invideo iſta, ſi ita velint appellari, Cimelia.
Saltem in illis nihil rari invenio,
Nec pretium majus quam ſilici addico.
Mirentur alii corticales has rerum figuras,
Ego in illis præter fortuitos rerum concurſus
Et applicationes nihil agnoſco.

---

* Aſſentientem mihi habeo: *Bocconem*, qui *Recherches & Obſervations naturelles Lettre vingt-neuvieme* ſic ſcribit; *Quant aux pierres blanches de figure de coquille de coeur, ou de queuë de ſerpent entortillée, que vous vites melées parmi les dents petrifiées, que Monſ.* ACANT *nous montra, ce n'eſt autre choſe ſelon ſon ſentiment, que de l'argille blanche, qui a été renfermée & endurcie dans des coquillages, & en effet, ſi nous conſiderons diligement léur ſtructure, nous trouverons, que ce ſont comme des moules de coquilles, qui retiennent toutes les marques & caracteres du Vuide de la coquille, qu'il eſt aiſé devoir, que leur matiere argilleuſe a été renfermée, dans un coquille, ou ſerrée entre deux couvercles de diverſes figures, & qu'on doit les appeller à cauſe de cela Pierre de figure acquiſite ou accidentale.*

Digitized by Google

Epiſtola II.

De Cornu Ammonis.

Clariſſimo Expertiſſimoque Viro,

DOMINO

JOANNI HENRICO COHAUSENO,

Medicinæ Doctori & Archiatro,

S. P. D.

JODOCUS HERMANNUS NUNNING.

Vredenam.

Qua aviditate geminas tuas iu Gloſſopetram & Cordiformem lapidem Antitheſes criticas e manu reducis nuntii receperim, vix credis. Sterili, ais, crena ſcriptas eſſe, ego ſolita Ariſtarchi acumine inſtructas dixero, quibus diſertiſſimas Vulgi nugas ſatis ſuperque exploſiſti Lubeat nunc miſſis Linguis & Cordibus ad Cornua velitando tecum congredi, quorum gemina Muſeum noſtrum oſtentat tum mole, tum raritate inſignia, ſi non ſtupenda. Primum *Ammonis* eſt; *Biſontis*, ut reor, alterum. De utroque ſententiam tuam fas eſt experiri, cum meam acceperis.

Primum quidem noſti à Plinio *Nat. Hiſt. L. XXXVII. C. X. p. m.* 669. inter *Sacratiſſimas Æthiopiæ gemmas* referri, aureo colore præditas effigiem arietini cornu reddentes, per quas prædivina ſomnia repræſentari promittitur. Sacratiſſimas vel gemmas vel offucias ſibi vendicet Æthiops. Quidquid Conchylioſi his inſit myſterii, ad profanam rudiorùm lapidum claſſem reducimus hocce noſtrum, abſit Divinitatis quicquam illi affricare.

Eſt

Eſt tamen illud, quà magnitudine, quà pondere inſolens, cui æquum nemo Oryčto-graphorum ſive Typis ſive memoriæ prodidit. Habet libras XXXVII. in Diametro ſesqui-pedem. Color præter lapideum nil fert obſervatu dignum. Atlantis aures exigit inſueta moles. Arietem dixeris evertendis Æthiopiæ Pyramidibus conflatum. Arcanorum Myſtæ, naturæ luſus an animalis Sceleton ſit, demum nos doceant. Striæ, dorſi *Spinula*, acta in gyrum compages, ipſamet configuratio non ex vagis Phantaſiæ nugis, ſed ex perpetuo ſingulis animantibus a Protoplaſta indito ſemine ortum mutuare tantum non proteſtantur. Accedunt his conformandis cervicis non obſcura veſtigia, tanquam cui caput, neſcio, qua operariorum incuria effodiendo reſectum ſit.

Alexandri M. Lyſimachi, *Thaſiorum*, *Bacchi*, aliorumque Heroum & Deaſtrorum capita Ammonio cornu in Nummis & Iconibus decorata vulgus antiquariorum depingit. At Davi mecum ſunt in origine demonſtranda. De Lyſimacho quidem *Appianus Alexandrinus* in Syriacis memorat inde faciem ejus in Numismatis apparere cornigeram, quod ferum Taurum de Sacrificio *Alexandri M.* vinculis elapſum & ambabus manibus retentum occiderit, atque ob id, inquit, προςτιθέασιν ἐς τὺς ἀνδριάντας ἐπὶ τῷδε κέρατα.

Verum Ill. *Begerus Theſ. Brandenb. p.* 244. obſervat *Appianum* factum hoc non de *Lyſimacho*, ſed de *Seleuco* tradidiſſe, erroremque *Politiani* qui ad *Lyſimachum* id transfert, dudum a *Spanhemio* detectum eſſe. Itaque gratis ex mente *Politiani Appianum* ſiniſtre intelligentis carmine ſuo *Lyſimachum* Cornu tau-

taurino ſtipatum canit *Conſt. Landus* Complani Comes in *Expoſition. Selectior. Numismatum p. m.* 23. Sunt qui in Nummis Hebræorum caput Moyſis cornu Ammonis decorum feſtive ſatis confingant, eoque ſenſum ſacri Codicis probe aſſecutos ſe opinentur, tanquam 77. p. Exod. 3429. Cornu denotet, cum Metaphorice *Splendorem*, ſive gloriam ſignificare ex 2. Cor. 3. 7. doceat *Steph. Morinus Exercitat. de Primæva Lingua Cap.* IX. *p.* 314. *ſq. extendens ex facie Moyſis radios* emicaſſe, ut ex animalium capitibus erumpunt cornua. Et ſi *Aquila* & poſt eum D. *Hieronymus* cornutam faciem habuiſſe docuerint, eo quod per *Cornu* ſplendor, robur ſive decus intelligi debeat. Horum comparatione in Pſalmis paſſim ex ſacris paginis ab eodem derivantur, teſtibus Pſalm LXXIV. ℣. ult. *& omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua juſti. &c. Et Pſalm.*

Et cornu ejus exaltabitur in gloria &c. &c. Hinc rejiciendos non immerito jubet *Morinus* ſimiles Nummos, quos, ut ait, *abominarentur Judæi, quia in ſpeciem Diaboli Moyſis decus converteret.*

Ingratus ſim, ſi liberali hoc cornu Ammonis dono Muſeolum meum campeſtre a Viro Ill. perquam & generoſo Equite Domino I*oanne Antonio de Graesſ, Dynaſta in Diepenbroick & Loburg*, auctum non meminero, in cujus poſtremi caſtri prope Cœsfeldiam Civitatem agris hoc Anno 1733. fortuna repertum eſt.

Quanquam paſſim terrarum hujus commatis reperiri cornua facile perſuadear, indubitatum tamen eſt *Hildeſii, Altorphii, Tubingæ, Mansfeldii, Osnabrugæ, Wurceburgi* & comprimis *Coſfeldiæ* Viciniſ-

que

Digitized by Google

que *Abuſio* agris non deſiderari. Helvetæ quoque metallica nobis transmittunt, ut taceam de ceteris. Dabam ex Muſeo *Wickinghoviano* Calendis Septembris MDCC XXXIV.

Reſponſum ad Epiſtolam II.

Reverendiſſimo & Clariſſimo Viro,

DOMINO

IODOCO HERMANNO NUNNINGIO,

J. V. D. Canonico & Scholaſtico Vredenſi. &c.

S. P. D.

IOANNES HENRICUS COHAUSEN

Wieckinckhovium.

Et ſi cum nemime, ſi Te unum exceperis, impediente ſenecta nunc amem commercium Literarium, quod plerumque, in mea ſaltem profeſſione utilitatis parum adfert, multum autem temporis, præſertim, ſi circa argumentum momentoſum verſetur, utilioribus occupationibus & maxime in ſenio, deſtinandum, ſuffuratur, liceat tamen ſeriis ludicra interponere, & jocando tecum confabulari. Accepi a Germano tuo Cornutam Epiſtolam tuam, à capite nempe ad calcem usque cornubus tam Sacris quam profanis gravem.

Diſſeris primum de *Cornu Ammonis*, omiſſa tamen primæva appellationis origine ſcitu non indigna. Inſigniverunt Lybiæ populi, teſte *Macrobio*, Jovem ſuum *Hammonem*, quem Deum & ſolem occidentem venerabantur, arietinis Cornubus.

Ratio,

Retionem addit penitus ridiculam: quod *id animal Cornubus valeat, ſicut radiis ſol.* Ad hujus exemplum Gentiles pluribus aliis Diis Cornua affinxerunt. Uti *Bacbo*, nam & hic, ut Horatius canit, *addit cornua pauperi*, *& Pani Paſtorum Deo, ne, cum armentis præſit, & horum inſtar cornutus ſit, bruti ſibi ſimilem averſentur.* Attilæ Hunnorum Regi aliisque Tyrannis merito impoſuit cornua antiquitas, qui inſtar Tauri ferociſſimi cornu ſuo omnia ſusque deque everterunt. Fuêre illi veræ beſtiæ cornutæ.

Deſcendis ad caput Moyſis opinione Hebræorum cornutum. Videbant enim, ut ſenſus S. Scripturæ literalis habet, faciem Moyſis cornutam, & ipſe Moyſes ignorabat, quod cornuta eſſet facies ejus. *Exod. C.* 34. *v.* 29. Quod tamen in ſenſu Chaldaico juxta interpretationem *Pauli Fagii* ſic audit: *Moyſes neſciebat, quod multus eſſet ſplendor gloriæ vultus ejus, & viderunt filii Iſraël, quod multa eſſet claritas faciei Moyſis.* Cum quo convenit ſeptuaginta Interpretum explicatio. *Glorificatus eſt aſpectus cutis ſeu coloris faciei.* Elucidatur hoc ipſum in nova lege per Textum 2. *Corinth. C.* 3. *v.* 7. his verbis: *Quod non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſis propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur.* Cornu igitur roboris, virtutis & decoris hieroglyphicum eſt.

Quod nummos attinet ab Hebræis cuſos, quibus inſculptum fuerat caput Moyſis cornutum, quos ceu abominandos & rejiciendos erroneè jubet *Morinus*, notat *Thomas Brounius* in *pſeudoxia Epidemica L.* 5. *Cap.* 9. revera extitiſſe, ſed excuſos in Vituperium & deſpectum Chriſtianorum, qui

Moyſen

Digitized by Google

Moyſen ex ignorantia veri ſenſus textus chaldaici finxerant & pinxerant cornutum. Fuere nummi ex argento Symbolici, præferentes uno latere Moyſen cum cornubus expreſſum, & averſa parte inſcriptum Præceptum: *Non facias tibi ſculptile, ut adores illud.* Opinabantur namque Judæi ſtatuas illas & picturas Moyſis cornuti effictas eſſe a Chriſtianis, ut in cultu & veneratione haberentur.

Epiſtola tua cum cornubus incipit & finitur. Cui ut non ſim aſymbolus, huic meo pariter coronidem imponam cornutam. Pluribus animalibus, tam quadrupedibus quam avibns quandoque & piſcibus a benigna natura ſecundum ordinariam legem concedi cornua, unum vel plura notum eſt, rarius autem, quod & aliis animalibus, quibus ea non competunt, miro quodam luſu largiatur. Cornutos lapores recenſet *Bartholinus Cent.* 2. *Hiſt.* 86. & delineat in Ephemeridibus Germaniæ Curioſorum *Clauderus.* Qualia e leporibus cornuta crania in Muſeo ſuo poſſedit celeberr. *Olaus Wormius L.* 3. *C.* 23. *Tb.* 321. Equum cornutum & Regis Hiſpaniarum ſtabulum teſte *Nierenbergio L.* 7. *Hiſt. pereg. C.* 2. & *Friderici* III. Danorum Regis equile oſtentavit teſtibus prælaudatis *Bartholino* & *Wormio.* Qnorum prior narrat etiam ſe vidiſſe Gallos gallinaceos cornutos, ut alia animalia, anſeres & anates, cattos & corvos, quos deſcribit ſolertiſſimus *Paullini*, prætercam. Sed nunquid etiam dantur homines phyſice cornuti? Refert *Thuanus L.* 123. *Anno* 1599. Pariſiis ſe videndum exhibuiſſe *Franciſcum Trovituviam* Gallum, cui cornu arietinum in media frontis parte ſuccrevit,

ſuccrèvit. Talium cornutorum hominum etiam mulierum, plena exempla recenſent *Aldrovandus, Aurelius, Severinus, Aquapendens, Schenckius*, aliique Phyſici & Medici curioſiores, quos brevitatis cauſa omitto, ut mirandum ſit, naturam tam liberalem eſſe in donandis cornubus. Eleganter *Georgius Hannæus Eph. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 9. *Obſ.* 169. ait: *Vix alibi major eſt naturæ laſcivia, quam in cornubus, quæ modo finxit in palmas, modo ſparſit in digitos. His cornua dedit ramoſa, in anfractum convoluta, iſtis in dorſum ad unca, quibusdam rugarum ambitu contorta, aliis in leve faſtigium exacuta, non nullis in terram diruta.* Verum non negligenda eſt Epicriſis *Plinii Nat. Hiſt. L. XI C.* 37. *Cornua multis quidem & aquatilium & marinorum & ſerpentum variis data ſunt modis, ſed quæ jure cornua intelligantur, quadrupedum generi tantum.* Famigeroſiſſimus *Hieron. Velſchius Hecatoſt. I. Obſ.* 20. & 70. in votis habuit Ceratographiam hactenus deſideratam, ut Eruditorum aliquis cornuum naturam, ortum & differentias perveſtigaret; ſed fruſtra etiamnum docti idem ingeminant. Sic enim & illi cornu, quod Muſeum tuum ſervat, & putas Biſontis eſſe, lux affunderetur. Cum enim nunquam animal illud vivum conſpexerim, nec cornu illius uſibus medicis hactenus ſerviat, de eo ſententiam non dixero, etiam rogatus. Ceterum ſi tibi referrem omnia, quæ de cornubus hac occaſione ſcribere poſſem, non in Epiſtolam, ſed librum excreſceret Diſſertatio. Ne longius igitur evager, redibo ad Cornu Ammonis. Non ſum neſcius, quod ſingula Muſei tui analecta docta epigraphe exornare, & ſi forte aliquando in

lucem

lucem prodeat, curioſos Literatos non aſpectu tantum, ſed & Exegeſi phyſica recreare & inſtruere cupias, talem ſub ſequenti Inſcriptione a te, ſi lubet, magis exaſcianda in Muſei tui qualecunque ornamentum adjungere allubeſcit, quæ, ſi arriſerit, erit pergratum. Finio cum iſto Tulliano; *Bene vale & me dilige.* Dabam ex Muſeo pridie Kalendas Octobr. 1734.

In Cornu Ammonis

Ad Caſtrum *Loburgam* prope *Coſfeldiam* repertum, Et ab Ill.

DOMINO

L. B. DE GRAESS

Muſeo Nunningiano donatum.

INSCRIPTIO.

Elegantia Ammonis cornua,
Variæ configurationis
Undulata, ſtriata, varicoſa,
Majora, minora & longemaxima
Generant Helvetiæ montes; ager Altorſinus,
Et Saxonicus.
Hoc, quod vides, niſi produxit,
Saltem, donec in lucem nuper educeretur,
Abſconditum ſervavit Weſtphalicus.
Si figuram ſpectes,
Conſtare conſpicies ex ſubtiliſſimis corpuſculis,
Quæ motu certo & verticoſo in orbem acta,
In perfectam omnibus ſtrüs abſoluti cornu figuram
Coaluerunt.

Generationis petis Auctorem?
Valeat *Reiskii* vis conchopoëtica:
Valeat *Salmaſii* aptitudo loci
Succo lapidi-fero turgida,
Et
Wagneri vis ſeminalis terræ innata;
Maneant ſuæ his Lithographis ſententiæ.
Natura neminem ſpectatorem admiſit,
Quando variis in lutis; creta, ocra, marcaſitis
Varios circulos, cylindros, pyramides, ſphœras,
Lineas varias ſpirales & Conchoides fabricatur.
Spiritus ſeminalis ſalini in corporibus
Natura eſt.
(Vim antinobolicam appellat *Kircherus*)
Ut ex centro prodiens in peripheriam
Se paulatim in radios diſpeſcat-
Non aliter
Ut in regno animali punctum ſaliens,
In vegetabili ſeminis nucleus ſpermaticus,
Se circulariter diffundunt.
Erras, ſi credideris
Materiam coagulabilem incertis legibus
In terræ ductibus fuſam vagari,
Et hanc producere figuram.
Summa ſic foret in ea irregularitas.
Spiritus ceu archeus in ſemine petrifico latens
Iuxta ſtatas dimenſiones in figuram certam
Se expandit.
Accedente præprimis vi aeris elaſtica
Solidiora premente,
Unde ortis variis interſtitiis & poris
Sulcis & protuberantiis
Regulares variæ in lapidibus oriuntur figuræ,
Quales

Digitized by Google

Quales etiam in cornu hoc elucent.
Hieroglyphicæ hæ ſunt notæ;
Quæ ſuis characteribus
Mirandam vim naturæ,
Seu potius ipſius Protoplaſtæ potentiam
Exprimunt.
Ulteriora indaganti
Occurrunt ſtupor & ignorantia,
Vel ejus ſaltem aſyla.
Mirare in hoc cornu pondus,
Quod non, ut in monte *Randio* Helvetiæ,
Apud *Joannem* de *Muralto*
XII. ſed XXXVII. libras ponderat.
Et vel ex hoc capite inter rariora illius generis
Referri,
Et in Muſeo *Nunningiano* ſpectari meretur.
Non aliter ac olim in arce *Palladis*
Aries ingens cereus,
Non ob materiæ raritatem,
Sed ob ingentem molem & prægrandia cornua,
Quibus erat formidabilis,
Ad publicum Spectaculum fuit expoſitus.
Eraſm. Adag. Chil. 3. *Cent.* 3. *N. XCII.*

Digitized by Google

Epiſtola. III.

De Cornu Biſontis petrefacto.

Clariſſimo Expertiſſimoque Viro,

DOMINO

JOANNI HENRICO COHAUSENO

Medicorum Patriæ Scriptis experientia ac ætate Anteſignano

S, P. D.

JODOCUS HERMANNUS NUNNING.

Vredenam.

Cornutis nuper tecum, Amice, collocutus Epiſtolis hanc ejusdem argumenti adhuc lubet exarare. Decumanum cornu eſt, ejus certe medulla, quam Commentariolo juvat diſcutere, quo tuas ſimul de eo provocem conjecturas. Obtulit illud citra expectationem fortuna. Vix manum conſpectumque ſubierat, indubiam ex Cataclysmo augurabar antiquitatem, veluteque e naufragio tabulam arripiens Lithotecæ meæ intuli, licet hæſitans ob illius has ad partes non viſum robur, quo corpore locove natum aut cadavere avulſum fuerit. Repertum eſt illud in agro *Oedingano* Anno MDCCXXXI. inter lapides calcarios profunde defoſſum. Pondo habet librarum quinque, totum in petram converſum. Cujus vero ſit, haud facile eſt definire, minus cum conſtet tantæ molis Belluam Weſtphalorum unquam nemora aut horrea aluiſſe.

Fluctu-

Fluctuanti hæc inter beſtiarum *Elo* & *Scelo*, de quibus tuam olim aliorumque ſciscitabar opinionem, controverſia recurrit, an ad earum forte alteram, ſi non Biſontem, quam aptiſſime ſit referendum. Quid horum ſit, lubeat tecum auctorum Zoographorum Poſſeſſore paucis conferre atque indagare.

Imprimis *Elo* & *Scelo*, cum Biſonte animal unum idemque eſſe non una cauſa eſt, quæ deciſionem ſuspendat, ex quo Sueci Biſontem ſua lingua *Eleg* amant exprimere. Diu, fateor, me retinuit in hac opinione apparens quædam congruentia, cui quidem licet penitus inhærere diſſuaſerit error illorum, qui Rangiferum vulgo Renthier, cum aſino ferino ſive ſilveſtri (Wildt ſive Waldeſel) hunc vero cum Suecorum *Eleg*. plane confundunt, quos inter notari meretur *Olaus Magnus* Laplandorum animal *Ellende* dictum, cum ſylveſtri aſino perperam commiscens. Immo vel ipſe ſubtiliſſimus *Scaliger Exercitat. CCVI.* utramque beſtiam pro una eademque reputans. Rem apertius nobis exponit, dubitationemque omnem aufert *Joannes Schefferus* Strasburgenſis *Deſcript. Laplandiæ p.* 380. docens Alcem vulgo *Ellende*, apud Germanos non tantum, ſed & per univerſum Septentrionis tractum hodie usque voce *Ælg* indigitari. Huic adſtipulatur præcitatus *Olaus Magnus* Lib. 18. Cap. 1. *Die Ellende ſind in den Mitternächtigen Oerteren, da ſie insgemein ELG oder ELGAR genant werden.*

Itaque quod Latinis *Alces* eſt, Moſchis *Lozzi*, Lithuanis *Loß*, reliquis vero Septentrionalibus *Ælg*, *Elg* & *Elgar*, Germanis *Ellende* denominatur. Vides,

des, mi Cohauſene, vel ex præmiſſis *Aleem* noſtram, uti & Septentrionalium *Elg*, non aliam quam *Elo* & *Scelo* beſtiam latitare vocabulis, quarum ut antiquam Patriam ex Imperatorum *Ottonis* & *Henrici* Diplomatibus in Batavorum agris apertiſſime reperire eſt, ita earum proſapiam, ut & genuina noſtrorum temporum nomina *Heda, Beka, Buchelius*, *Pontanus*, *Junius*, ac noviſſime *Altingius*, clatus Groningenſium Conſul Scriptorque, gratis perveſtigant. Nec ab hac ſententia noſtra diſcedit Hiſtoriographus Regis Boruſſici, *Hermannus Adolphus Meinderſius*, in *Poſtſcripto* litterarum Anno MDCCXVI. ad me datarum, quod ob argumenti noſtri pertractationem tum & conſilium edendæ quot menſibus *Bibliothecæ Weſtphalicæ Curioſæ* horum ad calcem lubet adnectere. Operæ quoque pretium forét, integras haſce cum tot ceteris ejusdem CL. Viri litteris & Diſſertatiunculis nomini meo perhumaniter inſcriptis aliquando in lucem proferri. Ita eſt; Vocum *Elo* & *Scelo* notitia multorum Virorum doctorum exercuit calamos. Operæ pretium eſt, nonnullos eorum in medium attuliſſe. Cum primis *Miſcellanea Berolinenſia* ad Incrementum Scientiarum ex Scriptis Societati Regiæ Scientiarum exhibitis edita: *Continuat. tert.* ſive *Tom. IV. Elo* & *Schelo* in Diplomate OTTONIS M. idem eſſe tradunt, ac *Edel* & *Schalem*, ungulas namque ferarum Nobiliorum e genere Cervorum & Aprorum adhuc a Venatoribus vocari *Schalen*. Verum hic non de ferarum ungulis, ſed de feris beſtiis *Elo* & *Schelo* dictis ſpeciatim agi, quis non animadvertat. Sane Cenſores Lipſienſes *Act. Erudit. Anni* 1735. *Menſ.*

un.

Digitized by Google

Jun. p, 276. hunc locum penitius inſpicientes haud inſcite malunt hic cohibere aſſenſum, ſiquidem Diplomate Ottoniano diſtincte edocemur, *beſtias quasdam teutonica lingua* appellari ELO aut SCHELO, quæ poſtponuntur *Cervis*, *Urſis*, *Capreis*, *Apris*.

Non adeo longe ab hac interpretatione digreditur Auctor Tractatus, cui Titulus: *Abriß von dem Neueſten Zuſtande der Gelehrſamkeit* &c. *ELFFTES STUCK p*. 239. *ſq*. „ Bey dieſer Gele„ genheit finden vvir nicht ungeſchickt Ding zu „ ſeyn, von ELO und SCHELO mit vvenigen etvvas „ zu melden, vvas bishero noch niemand be„ mercket hat. In einem Diplomate OTTONIS „ M, de Anno 993. ſo derſelbe dem Biſchoff „ *Baldrich* von *Utrecht* ertheilt, lieſet man: „ Interdicimus, ut nullus Comitum aliorumve hominum *in Pago Foreſtenſi* &c. &c. *Cervos*, *Urſos*, *Capras*, *Apros*, *beſtias inſuper*, *quæ teutonica lingua* ELO *aut & SCHELO appellantur*, *venari præſumat*.

„ Was ELO und SCHELO eigentlich heiſſe, hat „ bishero unter den Gelehrten niemand demon„ ſtriren können. *Gundling* in *Gundlingianis* „ *Tom. V. p.* 450. *ſeq*. hat eine beſondere Obſer„ vation davon, die ſehr gelehrt und angenehm „ zu leſen; Er hält dieſe Thiere vor ELEND„ THIERE. Allein da bey den Jägern ein ſehr „ alter *terminus technicus* iſt, daſs vvann ſie ſich „ in Wälderen ein ander zuruffen und ein *ſignum* „ *advertentiæ* geben, ſie zu ruffen pflegen: LO „ oder SCHELO, um anzudeuten, das die Came„ raden in die Höhe und in die Luft ſehen, und „ auf einen ankommenden Vogel acht haben ſol-

 len;

„ len; oder ſie ruffen: SCHLO, oder SCHELOH,
„ vvelches ſo viel bedeutet, das die anderen auff
„ die Erden ſchauen und acht haben ſollen, vveil
„ ſich etvvas auff der Erd ſpühren laſſe; So iſt
„ vvohl ſehr vvahrſcheinlich, das OTTO M. in
„ der angezogenen *formula*, die gantze *Venationem aeriam & terreſtrem* eingeſchloſſen, und
„ unter dieſer Clauſul die gantze Jagd verſtanden.

Verum, ut ingenio Interpretis hoc concedamus, qua ratione feras beſtias ELÒ & SCHELO in vocis ſonum, quo Venatores ad invigilandum aëre an terra feriendæ ſint, ſe ſe mutuo exſtimulant, temere convertat, vix Auctor ipſemet tuebitur. Ut ut hæc; à diſertis Privilegii Imperatoris verbis ne latum unguem diſcedendum arbitramus, dum ait: *Interdicimus, ut nullus Comitum* &c. &c. - - - - - - *beſtias inſuper* (apage clamores) *quæ Teutonica Lingua* ELO *&* SCHELO appellantur venari præſumat. Ehic! quid his apertius? Quis non hæſitet hanc Imperatoris elocutionem *beſtias*, tangentem in vana, &, ut Auctor ait, *advertentiæ Venatorum ſigna* violenter detorquere? Sane mallem ſentire cum Harenbergio *Hiſt. Diplomat. Eccleſ. Gandersheim. p.* 1158. §. *V.* ubi dicit *peregrinum* à Saxonibus vocari *Ele* & *Eleve*. Quidquid *inſolens* & *peregrinum* eſt, apud ſuos adhuc vocari *Elviſch*. Addit peregrinus ſtatus & commoratio extra Patriam dici *Elende* a peregrinis finibus.

Ex his quidem tametſi ferinam hanc earum terrarum ſylvis non inquilinam aut ſaltem non familiarem ſive quotidianam, ſed raram immo ad Belgii Inferioris Weſtphalorumque oras exoticam exti-

Digitized by Google

extitiſſe concederes, nihilo tamen melius edocti eſſemus, qua patria, qua proſapia, quove cognomine referendæ forent inſolentes plane beſtiæ noſtræ ELO & SCHELO. Exacta haud infeliciter binorum animalium *Elo* & *Schelo* inveſtigatione, indefeſſo calamo excutiamus tertium *Biſontem*, cujus cornu poſſidere plusquam perſuaſi ſumus.

De *Biſonte* nota magis apertaque ſunt ſingula: *Biſon*, *Biſo*. βισων, qui & *Wiſon*, *Veſo* (ex lapidariæ veterum Stylo B. & V. literarum affinitas eſt) dictus à Celtico *Weſont* & *Wiſant*, non à Biſtonide, quæ Thraciæ Regio eſt, ut contendit *Appianus* II. de Venatione. Sic quoque *Biſontium* à *Veſontio* Burgundionum Metropoli adhæſere nomina, de quo Jo. Jac. Chiffletius *Veſont. part. I. p.* 46. unde *Veſontes* Incolæ pro *Biſontes* leguntur in *Notitia Utriusque Imperii*. Paſſim ita deſcribitur: *Animal ferum cervi figura cornua habens, inter aures media fronte jubarum, prolixitate ac reliquo corpore admodum deforme*. E Boum ſylveſtrium familia eſſe nemo niſi in Regno & œconomia animali hospes pernegat: Unicum illi cornu media fronte exſurgere voluere *Joannes Pinicianus* & alii, quorum allucinationes ipſa αὐτοψία refutat, quemadmodum & illorum, qui pro *Biſonte* Rangiferum depingunt, quos inter *Münſterus Cosmogr. Univ. Lib. IV.* & P. *Gillus* in Ælianum ſuum apud *Cæſarem Bell. Gall. Lib. VI. Biſontem* adumbrat, haud aliter, ac Rangiferum *Cæſar*. Etiam *Hotomannus*, ut probe animadvertit *Chiffletius* d. l. *Biſontem* pro bove male repoſuit, immo pejus pro *Biſonte* Rangiferum in eodem Cæſare deſcripſit, qua opinione etiam vapulat Math. *Cramerus*

undique muniunt, clivum deinde & proximam clivo planitiem recentibus Boum coriis inſternunt, recentium, ſi non ſuppeditarit copia, arida aſperſione olei lubricant. Ibi in equis exercitatiſſimi homines Biſontes intra illum ambitum cogunt, qui per uncta coria delapſi in praeceps ad imam usque planitiem devolvuntur, illic ad quartum aut quintum ad ſummum diem neglecti relinquuntur: tum laſſitudine & fame debilitati cadentibus jam animis facile conficiuntur.

Num manſueſiant Biſontes ob ferocitatem vere dubites, & ſi hanc artem eo fine adhiberi doceat Idem Auctor d. l. *jacentibus enim adhuc pineæ nucis nucleos interioribus exemptos teſtibus apponi, alium enim cibum nullum belluam tunc appetere. Poſtremo vinculis diſtrictos abigi & ad hunc modum capi.* Sed hæc cognoſcere tanti forte patriæ haud intereſt noſtræ.

Vel ex his opinor V. C. Biſontes revera extitiſſe, atque etiamnum exiſtere abunde compertum habes, utpote flaviſſas eorum perſcrutatus, qui ad exteras nationes profecti Taurorum omne genus doctis animadverſionibus illuſtrarunt.

In Thracia, inquis, Biſontes dari, ut *Appiano* & aliis concedas, qui ad Weſtphalorum paſcua derivaverint, conjectando non aſſequeris; ſed cauſam ſciſcitor, cur Biſontes nunquam genuerit Weſtphalia? Præprimis *in ſaltu Hercynio & omni Septentrionali plaga,* ut Solinus in *Polibyſtore* docet *Cap* 20. *olim fuerunt frequentiſſimi, qui Bovis feri ſimiles, ſetoſi colla jubas horridi ultra Tauros pernicitate, capti aſſueſcere manu neſciunt.* Immo non tantum in oris Septentrionalibus, ſed ipſa in Germania eos naſci Plinium *Hiſt. Nat. Lib. VIII. Cap.*

Cap. 15: modo laudavimus teſtem. Nec apud Boruſſos has beſtias exulare fidem facit Eraſmus Stella de *Origin. Boruſſorum.*

Itaque, ſi urſi, *Elo* & *Scelo* temporibus OTTONIS M. & HENRICI Impp. ut ex eorum Diplomatibus Anno DCCCCXLIII. & MVI. ſuperius didicimus, Friſonum, Tubantorum usque contermi-nas Weſtphalorum ditiones magna copia incoluerunt, quorum in Sylvis hodie ſimilium beſtiarum nec ungulæ nec veſtigia ſuperſunt; Si nedum cognita ſunt nomina, quid prohibeat, cur *Biſontes* pariter horrida ejusmodi ferarum latibula adamaſſe, aut ex vicinis Nemoribus ad Mimigardiæ oras Cataclysmo provoluta non ſtatuam? Sed ad ipſam redeundum eſt Medullæ figuram, quo certius pateat *Biſontis* non Uri, aut cujusvis alterius animalis capite geſtatam.

Si vera ſunt Appiani præcitata Biſontum cornua apices ſummos non in ſe ipſos retorqueri, ut reliquis bubus, verum reſupina ferri in aſtra; Nec cum Monocerotis, nec cum piſcis *Naharval*, qui media fronte unicum, rectum, ingentis longitudinis atque exterius in gyrum actum ferunt, quidquam commune habet. Incurvatus cumprimis apex Medullæ ſive cornu noſtri ejusque baſi adhærens extrema Cranii particula tum & illi proxime adſitum auris veſtigium non media fronte, nec ſine comite prodiiſſe aperte evincunt, demonſtrantque hanc eorum gemino extitiſſe inſignitam.

Hinc neque cum Bubali Indici cornu hanc medullam quoquo modo comparari in aprico eſt, cui, ut

„ de valeam. Tentabo tamen, quid valeant hu-
„ meri, quid ferre recuſent? Notum eſt tibi, vir
„ perſpicaciſſime, longe aliam hodie eſſe Germa-
„ niæ noſtræ faciem, ac formam, ac olim tem-
„ poribus *Iulii Cæſaris* & *Cornelii Taciti* fuit, nem-
„ pe ſylvæ opacaiſſimæ totam fere Regionem &
„ univerſam Germaniam obumbrabant & multa
„ extabant apud nos Ferarum genera & ſpecies,
„ quæ modernis temporibus apud nos non reperi-
„ untur. Teſtis omni exceptione major eſt *Iulius*
„ *Cæſar Lib. VI. de Bell. Gallic.* ubi hoc modo
„ Germaniam noſtram antiquam deſcribit: *Mul-*
„ *ta in Germania genera ferarum naſci conſta-*
„ *bat, quæ reliquis in locis viſa non ſint; ex qui-*
„ *bus, quæ maxime differant a ceteris & memoria*
„ *prodenda videantur, hæc ſunt. Eſt Bos Cervi figu-*
„ *ra, cujus a media fronte inter aures unum cornu exi-*
„ *ſtit excelſius magisque directum his, quæ nobis nota*
„ *ſunt, cornibus, ab ejus ſummo ſicut palmæ rami*
„ *quam late diffinduntur. Sunt item, quæ appellan-*
„ *tur Alces; Harum eſt conſimilis capreis figura &*
„ *varietas pellium, ſed magnitudine paulo antece-*
„ *dunt, mutilæque ſunt cornibus, & crura ſine nodis*
„ *articulisque habent; neque quietis cauſa procumbunt,*
„ *neque ſi quo afflictæ caſu conciderunt, erigere, ſe-*
„ *ſe aut ſublevare poſſunt;* Hactenus Cæſar. Figu-
„ ram harum beſtiarum videas apud Munſterum
„ in Coſmographia, Titulo: De *Germania.* Pu-
„ tem igitur nominibus ſive vocabulis ELO &
„ SCHELO, Alcem vel ein *Ehlend* & *Aur-Ochſen,*
„ ſignificari, ſalvo tamen rectius ſentientis Iudicio,
„ & ſalva tua cenſura & animadverſione. Cur
„ vero hæcce animalium genera & ſpecies hodie
„ fere

„ fere extirpata & extincta ſint in media Germa-
„ nia noſtra, erudite, ut ſolet, explicat Cluve-
„ rius in *Germania antiqua*, verbis: *Cum immanis*
„ *& denſiſſima fuerit Hercinia ſylva, mirari haud*
„ *æquum eſt, feras multas in ea a Cæſare, Plinio &*
„ *Solino recenſeri, quæ hodie nuſquam conſpiciuntur*
„ *in Germania, præter Uros, equos feros. Pulſæ illæ*
„ *ſunt e Germania, ſimul cum ſylvarum excidio. In*
„ *Pruſſia, Litovia & Muſcovia, quæ ſylva Hircinia*
„ *extenſa fuit, hodieque viſuntur.*

„ Huc uſque Cluverius. Valde igitur proba-
„ bile & veriſimile videtur, Herciniam Sylvam eo
„ ævo adhuc per univerſam Germaniam proten-
„ ſam etiam ad pagum illum deſcriptum, ni fallor,
„ Twentenſem uſque proceſſiſſe, ideoque Alces &
„ Capreas prædictas EHLO & SCHELO (*Elend* vul-
„ gari loquela) genuiſſe ac produxiſſe. Venandi
„ vero ſtudio maxime delectatos fuiſſe Germanos
„ veteres ex eodem Cæſare d. l. apparet his ver-
„ bis: *Hoc ſe labore durant adoleſcentes atque hoc*
„ *genere venationis exercent; Et qui plurimos ex his*
„ *interfecerunt relatis in publicum cornibus, quæ ſint*
„ *teſtimonio, magnam ferunt laudem; Amplitudo cor-*
„ *nuum & figura & ſpecies multum a noſtrorum Boum*
„ *cornibus differt, hæc ſtudioſe conquiſita, a labris ar-*
„ *gento circumcludunt, atque in ampliſſimis epulis pro*
„ *poculis utuntur.* Hucuſque Cæſar; ubi obiter
„ monendum; Ex hoc loco corrigendum eſſe lo-
„ cum Taciti de moribus Germanorum §. 15. Ubi
„ vulgo legitur: *Quoties bella non ineunt non mul-*
„ *tum venatibus, plus per otium tranſigunt, dediti*
„ *ſomno ciboque* &c. Ubi manifeſte legendum,
„ *multum venatibus* &c. Ubi recte quoque notavit

„ Lipſius; Nam Cæſar ibidem deſertim ſcribit:
„ *Vita Germanorum omnis in venationibus, atque in*
„ *ſtudiis rei militaris conſumitur.* Iterum de Sue-
„ vis; *Multum ſunt in Venationibus.* Et hoc mo-
„ derna Germanorum vita confirmat ac declarat.
„ Monendum 2do Veteres Germanos ejusmodi
„ cornibus, auro vel argento circumdatis pro po-
„ culis fuiſſe uſos; adeoque fabuloſa ſunt & riſu
„ digniſſima, quæ de cornu Oldenburgenſi, qui-
„ dam Scriptores nugantur, Cornu enim illud pro
„ poculo invitatorio olim in uſu fuiſſe valde pro-
„ babile & certum videtur. Hæc ſunt, vir longe
„ eruditiſſime, quæ de animantibus incognitis EHLO
„ & SCHELO Diſſertationi noſtræ ſubnectere pla-
„ cuit. Tu omnia æqui bonique conſule, & vale
„ ac ſtudiis noſtris Antiquariis, ut facis, fave. *Bib-*
„ *liothecam* quandam curioſam *Weſtphalicam*
„ *Veterem & Novam Scriptorum partim edito-*
„ *rum, partim ineditorum* ſingulis menſibus,
„ ad modum & methodum Actorum Lipſienſium
„ Lemgovæ in 4to publicare deſtinavi & in ani-
„ mo habeo, modo Typographus velit ſumptus
„ ſubminiſtrare, & eruditi ſuas ſymbolas conferre;
„ An vero tuas, vir Clariſſime, ad me datas Epi-
„ ſtolas, vel earum partem huic Bibliothecæ pace
„ tua liceat inſerere, de eo tuum conſilium & man-
„ datum exſpecto. Poſſent hoc modo publicari
„ multa ſcripta volantia, & Epiſtolæ Eruditorum
„ Virorum, quæ lucem merentur, & cum tem-
„ pore evaneſcunt & abolentur. Fac ergo, ut
„ mentem tuam proxime perſpiciam. Iterum
vale & vive feliciter. &c.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſponſum ad Epiſtolam III.

Reverendiſſimo & Ampliſſimo

DOMINO

IODOCO HERMANNO NUNNINGIO,

J. U. D. Canonico & Scholaſtico Vredenſi &c.

S. P. D.

JOHANNES HENRICUS COHAUSEN.

Wieckinckhovium.

In poſtrema Epiſtola decumano cornu armatus ad certamen litterarum me rurſum provocas. Procedo non invitus in arenam Biſontini tui cornu acumen oppoſitis argumentorum armis haud difficulter retuſurus. Poſtulata tua ſunt, genuinum eſſe, quod Muſeum tuum oſtentat, Cornu Biſontis, in quo demiraris ex Cataclyſmo antiquitatem, & velut e naufragio ereptam Tabulam, illud in Lapidicina Calcaria repertum profundeque defosſum, in petram converſum eſſe tibi penitiſſime perſuades. Contra quæ arguam, Cornu hoc non eſſe Biſontis, ne pertinere quidem certo & indubitato ad Regnum animale, non eſſe Cornu petrefactum, non eſſe denique ſpolium ex Cataclyſmo, ubi brevibus quoque ad examen vocabo iſtam Biſontis Venationem ex Pauſania a te allegatam. Quæ omnia tuis poſtulatis ita ſunt adverſa, ut me quaſi data opera contradictionis fuiſſe ſtudioſum, facile crederes niſi id veritatis, quam maxime ſectari debet rerum naturalium perſcrutator, tantum eruendæ cauſæ à me factum eſſe judicares.

Imprimis igitur Cornu tuum Biſonti-Morphum citra dubium animale eſſe judicas, quod tamen ad huc penitus incertum non inficiaberis, niſi omnia

 ejus-

ejusdem ex mineris eruta, quæ animalium præ ſe ferunt figuram, ad Regnum animale præfracte velis referre, Exemplis hoc magis patebit. Hominem totum Siliceum Mammas tenus in Muſeo ſuo poſſedit *Olaus Wormius*, exacte caput, collum, humeros, pectoris ſumma, oculos, naſi protuberantiam, ſcapulas ac colli Muſculos referentem *Lib.* I. *Sect.* 2. *Cap.* 13.

Clariſſimus *Thomas Bartholinus* ſilices in externam hominis figuram arte quaſi tornatos obſervavit. *Cent.* 3. *Epiſtol.* 8.

Dentes molares & inciſorios humanis penitus æmulos exhibet ſpecus Baumanni apud *Deuſingium* de Foetu Muſſipontano §. 124. Dominus *Monconnyſius* in Itinere Ægyptiaco ex monte Sinai verſus Cairum Lapides plurimos invenit, quorum nonnulli repreſentant corda magna, alii caput mortuum, alii pampinos vitesque.

Oſſa ſub terra inventa, a Metallurgis lapides *Enoſti* dicti, coſtas, pedes, tibiaſque humanas exhibent, de quibus P. *Athanaſius Kirchenus Mund: Subterr. L.* 8. *Sect.* 2. *fol.* 60.

Manum Saxeam affabre naturæ ſcalpro paratam in Muſeo poſſedit D. *Sachs a Lowenheim*, nec non os femoris Gigantæum, quod eleganter in ſuprema & infima parte oſſis femoris capita æmulatur, non minus quam ſpacia iſta paululum in medio excavata, quæ in naturalibus femoribus propter ſitum muſculorum natura effecit. *Gammarolog. p.* 159.

Præterea innumera ejus ſortis Analecta. Argumentor nunc: Si natura tam curioſe tam diſtincte

Digitized by Google

ſtincte hominum & variorum animalium partes effingere valeat, quas polidædali illius Artificii ignarus facile ad petrefacta referre poſſet, patet, quid de tuo Cornu ad hæc a te indubitate relato concludendum ſit: & cum medullam ſaltem petrefactam ſtatuas, quid de ejus cortice, qui verum cornu conſtituit, ſtatuendum decernes. Hic tamen deeſſe conſpicitur, quæ igitur cauſa & occaſio hunc Spiritui lapidifico ſubtraxit? æque profecto leve fuiſſet Spiritui, quem naturæ Symmyſtæ vocant, Gorgonico corticem corneum poroſum mollem ac flexilem, quam ipſam medullam in lapidem convertere.

Amabo conſideremus elegantia illa Ammonis cornua ſaltem a ſimilitudine & figura ſic appellata. Quis non miretur exactas in illis quaſi circino *æquali dimenſione* conſignatas ſtrias ex centro in circumferentiam quosdam quaſi radios a natura ſine omni modulo productas. Hos vero eſſe lapides, nemo dubitat. Quod ſi vero darentur animalia ejusmodi intortis cornubus gaudentia, nunquid jam pridem illa in horum cenſum veniſſent, & intra petrefacta fuiſſent relata ab illis, qui non niſi rerum ſuperficies ſpectant? Ergo cum hæc Ammonis cornua ſint producta lapidea, in quibus natura artificium innumeris paraſangis majus, quam in Cornu tuo exercuit; Quid enim facilius, quam aliquid in formam conicam una revolutione quam tam variis Gyris, Striis, & inciſuris curvare? facile mihi aſſenſum dabis, ejusmodi ſimplicis tantum figuræ cornu ex marga, lapide calcinabili aut limo petreſcibili a natura formari poſſe, ut proin in hujus definienda quidditate non ſtatim

Digitized by Google

ad formalem petrefactionem & ad ipſum Cataclysmum ſit recurrendum. Natura figurare poteſt cornua ſine modulo, ſine ſuppoſito animali cornu, ut non neceſſe ſit, ubi in lapidum conformatione hominis aut cujuscunque animalis quid omnino ſimile deprehenditur, ad transmutationis Saxeæ aſylum confugere. Manet igitur tantiſper in dubio, an Cornu tuum excorticatum ad animale, annon potius a prima origine prorſus ad minerale regnum pertineat.

Quo ſtante non opus erit illum tam longe ex Cataclysmo repetere, qui mos hodie plurium eſt, qui, ut forte inventis addant pretium, omnia volunt Diluviana, Herbas, Arbores, ligna, oſſa, & quid non antediluvianum? Verum ne nimis videar contradictor, medullam hanc animalem eſſe gratis concedam. Sed an ex cornu Biſontis? Neutiquam ſane. Ex uro forte conceſſerim. *Uros enim*, ait *Bochartus* p. 962. *conſtat non alibi fuiſſe, quam in Hircinya Sylva, aut locis parum remotis.* Ex quiqus probabilius eſt Cornu tuum, quam ex remotisſimis Indiis (quam illi Patriam aſſignat *Jonſtonus*) Biſontem ad lapidum calcariorum ſtrata Oedingana deveniſſe.

Biſon eſt animal bobus longe majus latiſſima fronte, ut tres viri inter cornua conſidere posſint, quæ tanta ſunt ex fida relatione jam laudati *Jonſtoni*, ut iis & equum & ſeſſorem excutere, & in âerem ventilare poſſis. Ex cujus mole ſubſume, an animali, cujus illud tuum Cornu prædicas, tam ingens frontis robur tantusque impetus tantillæ medullæ eſſe potuerit? *Philippus* Rex Macedonum ad pedem Orbeli montis Biſontem (quam *Poneſum* appellat

appellat *Geſnerus*) jaculo confodit, qui cornua geſtavit ſedecim palmarum, Herculis religioni ab eo data. Ad horum vero longitudinem quantillum & quam pygmæum eſt Cornu tuum? ſatius igitur ad bovem aliquem Germaniæ ſeu antiquæ Saxoniæ majorem, cujus teſte Tacito, magna erat gloria frontis, referemus. Nam & Bovem 2970. librarum Lugduni Batavorum vidit *Ionſtonus*, & *Ptolomæus* unius Cornu poſſedit, quod capiebat tres amphoras Romanas. Neque dubium eſt, quin Friſia, Batavia, Vetusque Saxonia olim aluerit boves, quibus cornua fuerint, tuo, ſi non majora, certe paria. In iſtis boves ſedecies tantum librarum pondus interdum excedere teſtatur *Guicciardinus*, quibus quidni pariter convenientem frontem & cornua parallela attribuemus? Inde tamen ſi medullam n hanc ex domeſtici ſeu potius ſylveſtris bovis vel uri cornu dixero, non minor illi, ac tuæ gloria accedit, quod enim inter homines Gigas eſt, hoc inter boves urus. Sat igitur eſt ex tam grandi bove in Muſeo tuo oſtentari non vulgaris magnitudinis Cornu. Urus vaſtum, prægrande & aſpectu horrendum ſylveſtrium boum genus eſt Boruſſiæ & Livoniæ adhuc hodiedum incola. Regio-monti Boruſſorum non infrequens cum urſis, apris pugnantium exhibitum eſſe ſpectaculum refert Excell. *Schröckius in Miscell. Nat. cur. Dec. 2. an. 2. in Schol. ad obſ. VI.* cum occiditur, cerebrum ejus craniumque Moſchum penitus redolere, indubitata obſervatione conſtat. Si medulla tua & hoc imbuta foret odore, omne ſublatum foret dubium, ſed quis in Cornu tot forte ſeculis ſub-

 terra-

terraneo odorem niſi ſylveſtrem, terreum, fracidum calcarium expectet?

A ſeriis pergo ad ludicra, nam & horum litteræ tuæ faciunt mentionem, ad Biſontis, inquam, venationem ex *Pauſania* a te allatam, ſed mihi certe ridiculam. Ex illius fide refers Venatores Clivium & proximam Clivo planiciem recentibus Boum coriis (prô quanta illorum in promtu debuit eſſe multitudo) inſtraviſſe, & ſi harum non ſuppeditarit copia (quod facile crediderim) arida aſperſione olei lubricâſſe, & ſic Biſontes per uncta coria delapſos & ad imam usque planitiem devolutos, nucleisque pini paſtos, captos & manſuefactos eſſe. Lepidum venationis artificium! arida coria olei asperſione ita lubricari, ut caſum faciant Biſontibus, vel tyro coriarius explodet. Quod coria uncta tantæ molis & ponderis brutum ab ordinaria ſtatione dejiciant refutationem non meretur. Qui ſtaticen Mechanicam intelligit, facile comprehendet, non eſſe in corio uncto eam reſiſtentiam, ut ſub tanta in hoc animali musculorum elaſticitate & robore illud dejicere valeat ab Orthoſtadia. Quo circa hujus commatis venatio ad commenta anilia merito referenda. Quæ vero conſequenter ex *Pauſania* de Manſuefactione hujus belluæ attuliſti, viscera mihi fere cachinno concuſſerunt. Quod vero illud artificium? Operæ pretium erit illud tuis ex *Pauſania* verbis repetere. Nempe *Jacentibus adhuc pineæ nucis nucleos interioribus exemptos teſtibus apponi, alium enim cibum nullum belluam tunc appetere, poſtremo vinculis diſtrictos abigi & ad hunc modum capi*. Delicatam, Hercule! belluam Biſontem, quæ poſt, triduanam famem, quæ alias, ut

ut in Proverbio eſt, fabas etiam crudas reddit eſu ſuaves, nullum cibum, niſi delicatiſſimi ſaporis ipſis *A*mygdalis gratiores pini nucleos velit appetere, & quidem ſuis exemptos corticibus (nempe involucris, quæ male *Pauſanias* appellat, interiores teſtes) quaſi hos ipſamet feroci dente comminuere nequeat. Legi in *Iönſtono* Biſontem allio victitare, ſed nihil de nucleis pini, quibus dein manſuescere hanc belluam commentum eſt, nam arte captos brevi mœrore interire taſtatur *Cambdenus* in Scotia. A nucleis pini a Venatore exhibitis, Biſontem nutriri pariter Fabula eſt. Nam & frutices tantum vel ab homine attrectatos multis diebus averſatur, ita humanum horret conſortium referente I*onſtono* in *Thaumatographia Nat. de admir. quadruped. C.* 5. potiorem fidem meretur artificium *Pithagoræ*, qui bovem ferocientem prope Tarentum aliquot inſuſurratis verbis ita reddidit manſuetum, ut de ruſtri colono Urbanus ambulator factus Tarenti conſenuerit, placide de manibus victitans, ut ſcribit *Cœlius Rhodoginus*.

Vides Amice, quibus etiam nugis ſcateant antiquorum Phyſico-Hiſtoricorum ſcripta, quamvis nec Neotericorum iis plane careant, ad quos refero, quod in datis ad te litteris olim meminit *Meinderſius* ſuperficiarius ſaltem rerum Phyſicarum ruſpator, quaſi vero Biſontes & *Elos*, quas *A*lces putas, & *Scelos* quandam aluerit Weſtphalia. Cum tamen Celeberrimus *Valentini* longe exactior Naturæ interpres, qui totus in Muſeis conſenuit, in Introduct. ad Regnum naturæ animale expreſſis tradat *Alcen* noſtris in oris nunquam viſum, niſi e locis Septentrionalibus illuc advectum. Meinderſius

ſius id ex Iulio Cæſare tibi voluit perſuadere, cum tamen neutri hoc animal notum & conſpectum eſſe ex allatis conſtet, quando perhibeat & mutilas eſſe cornibus, & crura ſine nodis articulisque habere neque quietis cauſa procumbere, quæ omnia experientia ſunt adverſisſima. *Ionſtonus* author eſt, alcen, geſtare cornua duodecim interdum librarum pondere, ſingula duorum pedum longitudine. Ipſe non exile poſſideo quale recordor Tibi hic aliquando oſtendiſſe. Si alces crura ſine articulis habeat, quomodo celeritate poſſet tantum die emetiri, quantum triduo Equus, quomodo venatorem poſſet percutere. Anterioris quippe pedis ictus mors venatoris inquit *Ionſtonus*. Quomodo morbo caduco correptus & in terram dejectus dexteri poſterioris pedis ungula auriculæ ſiniſtræ immiſſa paroxismum pellere & in pedes ſe erigere valeret? Falſum itaque, quod quietis, qua nullum animal carere poteſt, cauſa procumbere nequeat. Scripſit ex aliena fide *Iulius Cæſar*, & ex illo ſine conſideratione repetiit *Meinderſius*, modo vera ſit allegatio, de qua dubitare me non diſſimulo. Poſſem pluribus ejusmodi paralogismos refellere, niſi litterarum vetarent anguſtiæ. Hoc tamen addo; Putas quod obſoletum illud verbum *Elo* ſignificat alcen, potius id hariolarer de *Scelo*. *A*lces enim par anagramma *Scela* redditur. Quamvis hæc conjectura ingenioſior ſit quam verior.

Verum Epiſtolæ jam ſufficiens prolixitas finem exigit, quem faciet ſequens Epigraphe loco tuæ, quam laminæ æneæ inſcriptum affixiſti, Cornu appendenda.

Vides

Digitized by Google

Vides excorticatam Cornu medullam,
Illa magnitudine, illo pondere,
Ut facile Biſontis crederes.
Si ex animali eſt, quod dubites,
Ex uro eſt olim Germaniæ incolæ
Si petrefactam putas: nec hoc liquet.
Nam & natura oſſa & cornua format.
Reſtat igitur.
Ut Vulcanus ſit Docimaſtes,
An petra, an os, an cornu ſit,
An in ſpiritum, oleum & ſal volatile
Ultimata reſolutione abeat.
Verificet Analyſis Chymica,
Aliquando ad Regnum animale pertinuiſſe.

Expecto, quid hisce meis dubiis & Objectiunculis ſis reſponſurus, quæ calcar addent, ut Carolinus Elephas tuis meisque Gloſſematum phaleris redimitus, & quaſi reanimatus poſt tot ſeculorum oblivionem proxime in lucem hominumque memoriam redeat. Vale. Vredenæ ex Muſeo Jdibus Mayi MDCCXXXV.

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtolæ IV.

De oſſe femoris Elephantini

Clariſſimo Expertiſſimoque Viro

DOMINO

JOANNI HENRICO COHAUSENO,

Iatrices Doctori famigeratisſimo &c.

S. P. D.

JODOCUS HERMANNUS NUNNINGIUS.

Vredenam.

Ex reſponſo tuo ad Epiſtolam de Cornu meo Biſontino Idibus May exarato colligo firmiter tibi perſuaſum videri mea ad unum omnia deſtrui argumenta, quibus adſtruxeram Biſontes hac Regione olim paſtas, eorumque ex Cataclysmo adhuc hodiedum reperiri reliquias. Quo certius opinionem meam evertas, exemplis tua propugnare fatigaris, præcipue ex *Olao Wormio*, *Thoma Bartholino*, *Deuzingio*, *Monconnysſio* aliisque petitis, quibus omnibus nihil quidem proficias. Conceſſerim quidem tibi tuisque *Auctoribus* totum ex ſilice hominem exacte naturale caput, collum, humeros, pectoris ſumma, oculos naſi protuberantiam, ſcapulas & cetera referentem, ſed iſtud ſane absque cerebro, illud ſine vertebra, ſine corde pectus, ſine liquore Cryſtallino oculos, nares ſine ſpiraculis, reliqua ſine nervis & arteriis deprehendes; Nec Bartholino ſilices diſputo in externam hominis figuram quaſi arte

arte tornatos; Monconnyſio quoque tuo. Lapides, corda & caput mortuum Pampinosque præſentantes gratis damus, quæ minimæ Cornu noſtro Biſontino, utpote vivo animali olim adgenito, obſtant, in quo omnia reperiuntur ad Cornu Biſontimorphum requiſita, ut ſunt ipſa cumprimis medulla cum centenis Striis, quibus Cornu innexum extitit, cavitas; quæ carneam materiam e cranio protuberantem complexum eſt; Pars ipſa Cranii corneæ Medullæ affixa; in ipſo denique Cranio veſtigium, in quo proxima auris vertitur, ut cetera taceam, quæ rei veritatem intuentibus commonſtrant. Vel ex his vides, mi Cohauſene, argumenta tua ſcepticismo aptiora eſſe, quam quæ Cataclysmi huic ſpolio antiquitatem, dignitatemque derogent; Tu interim veterem Biſontinæ venationis morem ut rideas, facile permitto. ſed de his ſatis.

Ad Muſei mei oſſa, eorumque præcipuum. quod Elephantis eſſe oſtendo, progredior.

Jure Horatius I. Epiſt. 6. *Quidquid ſub terra eſt, in apricum proferet ætas.* Protulit quoque & illa ſuperioribus annis curioſorum indagini ingens os Elephantini femoris, ex inculto ad Rheni ripam agro haud procul Luppiæ oſtiis, olim *Luppemunda, Luppeheim, Lippeham, Lippekant*, & *Lippia* dictis. ubi vetus celebrisque Regum Francorum Carolingicæ Stirpis olim fuit curia, hodie VESALIA dicta, famoſum Clivicæ Ditionis Monumentum. De hoc nunc tecum colloquar.

Eſt os prægrande, at ſine inferiori apophyſi, excedens pondo XVII. & quadrantem, longitudo ulnam Brabantinam æquat, ſuperior apophyſis, qua integra eſt, ejus medietatem. Ad Gigantes referri

referri pene ſtatuiſſem in gratiam *Io. Iac. Chiffletii Veſontione Part. I p.* 198. de Septipedibus patriotis ſuis diſſerentis, quum ſua ætate in Libera Burgundia Gigantis oſſa, *adeo magno, firmia, craſſa & oblonga* effoſſa refert, ut cruris os cuidam in agris foſſæ transmittendæ vice ponticuli peditibus inſerviret. Verum cum aliquamdiu me atque alios exactius fatigaſſet rei examen, ad hominis, num belluæ ſceleton referendum eſſet, tandem cedendum fuit Pontivagorum, & cumprimis Anatomes peritorum judicio, qui omnes Elephanto illud vindicari confirmarunt. Eſto, ais, os Elephantinum, quid in illo raritatis & pretii, & poſt tot ſecula luci publicæ exponatur? Non ignoras, mi *A*mice ſedulus Ephemeridum Lector & Collector, quam acriter pronuper de integro quodam ſceleto petrefacto prope *Tonnam* Urbem ex arenoſa marga defoſſo, cujus illud eſſet, a Viris ſummis disputatum ſit. Elephanto illud aſſerebat *Guilliel. Ern. Tenzelius*, econtra Medicorum Gothanorum Ordo in integris Tractatulis Germanico & Latino - Idiomate editis, Unicornu eſſe propugnabat. Quid igitur mirum! ſi de ſceleto Elephantis, cujus ſolum os femoris, ceteris *Berolinum*, ut ſpargitur, transmiſſis, nobis fortuna conceſſit, quam ætatem ferat, aut quam conditionem, ſera quoque nobis ſubrepat dubitatio. Immo viro Bibliotheca Anglica MDCCXV. Menſium Novembris & Decembris *Tom. I. Part. I. p.* 130. *ſqq.* Epiſtola *Franciſci Nevile* ad Episcopum *de Clogher* Societati Regiæ communicata quatuor inſuetæ magnitudinis dentes ad aquilonem Hyberniæ prope Rivum quendam ad quatuor pedes alte effoſſos perhibet, eos Elephantis

phantis eſſe Cataclyſmo iſtic loci extincti ratus. Conveniunt in eo omnes maximas inter raritates apud Hybernos detectas eosdem recenſeri *Moulinices* ſive *Molyneuſius* in Epiſtola ad Archi-Epiſcopum Dublinenſem ejusdem argumenti exarata antiquioribus ſeculis ibi demortuum autumat, tempore, quo Hyberni tantæ molis belluam in ſinus ſuos transvehere nondum didicerant, cauſam quomodo illuc pertigerit, hanc reddens: Nempe poſt Diluvium faciem terræ, aliam, quam ſit hodierna, ipſamque Hyberniam aliis cum terris extitiſſe contiguam. Addit *Molyneuſius* dentes cum Elephantis oſſibus etiam illa Regione, qua naſcuntur, repertos magnum fore momentum rebus diluvianis detegendis, modo conſtaret, etiam alibi terrarum ſimilia ejusdem beſtiæ oſſa reperta exiſtere, utpote rem Eruditorum Theologorum, ſubtiliſſimorumque Philoſophorum obſervationibus longe digniſſimam. Enimvero *Mathias Pariſius* narrat ſuo tempore *Ludovicum* IX. Franciæ Regem, *Henrico* III. Regi Britonum Anno MCCLV. donaſſe Elephantem, qua tempore Britones octoginta annis Hyberniam poſſederit, inquiens: *nec credimus, quod unquam aliquis Elephas viſus eſt in Anglia præter illum.* Etiam Antverpianus Elephas a G. Becano apud Aldrovandum non tantum accurata octo pedum menſura, ſed & obſervationibus quoque curioſis deſcriptus eſt.

Pari modo Elephantem ſub initium prioris ſeculi per Germaniam ductum, Noriberge cumprimis ac Francofurti ſpectaculo exhibitum, dignum duxit *Caſp. Hornius* Philoſ. ac Med. Doctor, ut de eo integrum Tractatum nec ineruditum Germanico

manico Idiomate conſcriberet 1629. Noribergæ impreſſum, ſub Titulo: *Elephas: daſſ iſt Hiſtoriſcher und Philoſophiſcher Discurs, von dem groſſen wunderthier dem Elephanten. &c.* Ut plures taceam, etiam Georg. Chriſtoph. Petr. ab *Hartenfels* Elephandographia Curioſa Erfurti Anno 1715. 4to cum Fig. æneis typo edita has beſtias decoravit.

Igitur ſi tanti Germanis, Belgis & præſertim Albionibus eſt Elephantis ſui ſive ortum ſive adventum perveſtigare, quid obſtat & Perſici noſtri tanta pompa celebrati Hiſtoriam contexere, ejusdemque hoc Monumento renovare memoriam?

Proin neme ſupervacaneum cenſeat os unicum poſt noningentos amplius annos in auram protractum penitius rimari, eoque noſtras hic exercere conjecturas.

Itaque os Muſei noſtri cum Elephantis ſit, locus, quo tumulatus jacuit non ſinit non ſuſpicari illud ad exuvias ABULABAZII *Carolo* M. ab *Aarone* Perſarum Rege dono ſubmiſſi, & hoc loco demortui humatique pertinere. Famoſa, ædepol! penes medii ævi Chronologos rariſſimi prætii hæc Bellua magno ſumptuum apparatu has ad oras transmiſſa. Sane poſteritatis intereſſe Annaliſtis viſum eſt, illius non modo nomen *Abulabatz*, ſed & annum DCCCII. quo Caroli conſpectum ſubiit, Ductorem quoque illius *Iſaacum* Judæum, immo obitus annum DCCCX. locum denique funeris *Lippeheim* haud ſupervacanea cura, Necrologio dicam, an Faſtis inſcribere; Mireris claſſem Elephanti advehendo paratam, eique a *Carolo* M. Præfectum fuiſſe *Ercanbaldum* Comitem ac Palatii Notarium. Itaque ſi Manibus Reliquisque Ethnicorum

corum SEPULCHRETO * Literario olim parentavimus, quid Elephanto pariter hæc juſta perſolvere vetabit?

Animal hoc à Perſarum Pege *Aarone* cum multis muneribus transmiſſum Claſſe in finem per Notarium *Ercambaldum* in Lyguriam ablegatum parata prolixis perhibet auctor vitæ *Caroli* M. apud *Pithæum*, quæ non piget hoc loco referre:

Imperator de Spoletio Ravennam veniens, aliquot dies ibi moratus Papiam perrexit, ibi nunciatur ei, Legatos Aaron Amiralmumini, Regis Perſarum, Piſas intraſſe. Quibus obviam mittens inter Vercellis & Eporeiam eos ſibi fecit præſentari. Unus enim ex eis erat Perſa de oriente Legatus Regis Perſarum: Alter Saracenus de Africa Legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in Foſſato præſidebat; Qui Iſaac Iudæum, quem Imperator ante quadriennium ad Regem Perſarum cum Lanfredo & Sigimundo miſerat reverſum cum magnis muneribus nunciaverunt. Nam Lanfredus ac Sigimundus ambo defuncti erant, tunc ille miſit Ercanbaldum Notarium in Lyguriam ad Claſſem parandam, qua Elefans & quæ cum eo deferebantur, ſubveherentur. Ipſe vero celebrato Natali S. Ioannis Baptiſtæ ad Epœriam, Alpes transgreſſus in Galliam transverſus eſt. &c. Et paulo infra: *Menſe Octobrio Iſaac Iudæus de Africa cum Elefante reverſus Portum Veneris intravit.*

Elephantem una cum muneribus Aquisgranum perlatum *Iſaacus Carolo* obtulit, Iulio quidem menſe, ut his ejusdem Auctoris verbis docemur, ubi ſimul *Abulabatz* belluæ nomen adjecit. *Menſe autem Iulio venit Iſaac cum Elefante & ceteris muneri-*

* Ao.

Imperator valde concitatus congregavit exercitum de omnibus Regionibus Imperii ſui, & ipſe ſine mora a Palatio ſuo exiit, volens primitus claſſi occurrere, deinde transmiſſo Rheno in loco, qui dicitur Lippia, copias, quæ nondum convenerant, expectabat. Ubi dum aliquot dies moraretur, Elephas ille, quem ei Rex Saracenorum Aaron miſerat, morte ſubita moritur.

His præmiſſis, continuat idem Monachus *Gotefredus*, Normannorum Regis expeditionem in Fryſios, ac Triumphum vaſtatis late Inſulis tribus præliis reportatum referre, quo accepto nuncio *Carolus* mox relicto Aquisgrani Palatio Rhenum ad Lupiæ confluentes trajecerit, vindice Marte Danos caſtigaturus, quo, cum Elephantem ſecum duxiſſet, derepente concidiſſe, eisdem prope verbis, quibus ſupracitatus Vitæ Carolinæ Auctor, memorat.

Mitto recentiores eosque inter *Hermannum Contractum*, Elephantis transmiſſionem ad annum DCCCII. mortem vero DCCCX. pariter deſcribentes. Quod vero Aquisgrani Carolo primum oblatus Elephas, dein Lippemundam adductus ex paucorum dierum intervallo ibidem vivere deſierit, indicio eſt, cum tantæ extitiſſe admirationis, ut juſſu Caroli in pompam duceretur, quaqua verſum migraret aula.

Neque tamen abs re fuerit opinari a Carolo in bellum præliumque quod meditabatur, ducendum fuiſſe, ſi non hoſtium terrori, ſaltem triumphaturo illi præbiturum pompam. quemadmodum *Antiochum* Syriæ Regem tum & *Ptolomæum Philadelphum* curru Elephantorum in pompa uſos apud Athen. legimus Lib. V. Cap. 5. ut de *Philippo*, *Nerone*, *Agrippina*, *Hadriano* aliisque Impp. nil memorem,

morem, quos in curru ab Elephantis tracto vectos genuina docent Muſei noſtri Numiſmata, etſi tamen neutiquam illis aſſentimur, qui Iulio Cæſari Numiſma affingunt, cum carro Elephantis ducto, quod recentioris artificii eſſe pridem detectum eſt. Cum præter unicum tota *Perſia* non aluerit, quæ quidem horum animalium Patria eſt, his in oris rariſſimum fuiſſe conſequitur, atque omnium contemplatione dignum. Neque vero tanta ſperanda eſt eorum copia, ſi verum ſingulos tantum ſemel fœtus edere & geſtare annis decem; de quo *Plautus* in Sticho: *Audivi ſæpe hoc vulgo à multis dicere, ſolere Elephantem gravidam perpetuos decem eſſe annos.* Unde ſubnatum in cunctatores immodicos hoc Proverbium: *Celerius pariat Elephantus.*

Terreſtium porro eſt animal omnium maximum (namque *ſenum denum pedum excedere proceritatem* docet Iul. Cæſ. *Scaliger Exercitat.* CCIV. ex Indicarum navigationum Scriptoribus) quemadmodum Io. Iacob *Saarius* in Inſula *Ceylon* Elephantos vidiſſe XIX. pedum altitudinis juxta menſuram Gobdel tres ulnæ partes æquantem teſtatur in *Itinerario.* Unde vix capias, imo fidem ſuperat, qui per funes incedendi artem addiſcant, de quo *Plinius* VIII. 2. *poſtea & per funes inceſſere.* C. 3. *Mirum maxime, & adverſis quidem funibus, ſed regredi magis utique pronis.* Qui *Plinio* diffidunt, *Xiphilinum* audiant LXI. p. 697. D. *quo tempore Elephas introductus in Theatrum in ſummum ejus fornicem conſcendit, atque inde vehens hominem in fune decurrit.* Rei confirmandæ audi *Suetonium* C. 6. N. 1. *Prætor commiſſione ludorum Floralium novum ſpectaculi genus Elephantos funambulos dedit.* Hujus

rei fidem adſtruunt, quæ *Pitiscus* ab Illuſtriſſimo *Gombevillao* Pariſino ex antiquo Numismate ſignificari perhibet, Elephantos quod in uno funiculo divariata nescirent colligere crura, duabus chordis parallelis incedentes duxisſe choreas.

His non minora præſtari ab Elephantis Theatra Romanorum evincunt; Pila & aleis ludere, iisdemque ſignatum numerum pulſu pede exprimere, certo modo ſcribere, pugnare, genu flectere, ſaltare, protegere, bajulare, epulis principum admotos promuſcidum opera cibum, potumque miniſtrare Convivis, ad eorum fores excubias agere, faces præferre, bombardas explodere, digladiari, centena alia tranſilio, quæ præſens aliquando inſpectavi, tum *Dio* aliique primæ ætatis Scriptores tum Nummi quidam Antiochi indubium faciunt.

His amplius inhærere ſupervacaneum eſt, cui cognita ſunt, quæ huic belluæ conveniunt Epitheta: *Memoria valens*; *acutisſimorum ſenſuum*; *Vigil*; *multa induſtria*; *Fidelis*; *quod natura gratus* ſit & *beneficiorum memor* teſtatur *à Coſta*, *Clemens*; *Vis* namque *ei*, *ut* ait *Lipſius*, *ut omnibus noceat*, *ut nemini*, *voluntas*; *Prudens*; *Immo Religioni addictus*, *Deorumque ſuorum Cultor*. Quod his exprimit *Plinius* Lib. 8 C. 1. *Eſt ipſi quoque Religio ſiderum*, *ſolisque ac Lunæ Veneratio*: Denique & *Diis charus*. Unde *Ælianus* Lib. 7. Cap. 2. *Animal* Diis *chariſſimum vocat*, & Lib. 7. Cap. 44. *quod ſint chari Diis*, *& egregie ab illis diligantur*. Verbo: Eo abundat virtutum cumulo, ut jure hominibus hoc ad ruborem imprimat Symbolum: *Turpe vinci a beſtia*. &c. Verum animus non eſt Elephantum geſta & hiſtoriam conſcribere quod *Plinius*, *Ælianus*,

anus, *Strabo* & *Philoſtratus* veteres inter, *Lipſius* vero, *Gisbertus*, *Cuperus*, aliique e recentioribus affatim præſtiterunt. De *Abulabazio* mihi ſermo eſt; Hoc addo in tranſitu: adhuc hodie in formidoloſos aut cum parentes liberos a lacrymis nec minus petulanter geſtis revocare ſtudent, minari familiare eſt; Ecce *Abulabac*; idiotismo noſtro: *Sihe da den Bulebuck*. Etiam non raro in ludibrium aut oſtentandam minarum debilitatem communi diverbio efferri ſolet: *Es iſt nur ein Bullebuck*. ſane non alia quam Elephantis noſtri *Abulabazii* origine natum.

Cetera ad Te V, C. Phyſicum pertinent. Præter argumenta & conjecturas ſuperius adducta illud haud poſtremum eſt, quod inter Diluvii rudera Elephantis noſtri Sceleton, utpote poſterioris ævi & in petram non converſum minime eſt reponendum.

Viden itaque, Amice, *Abulabazii* manes ab orco in ſcenam reductos, cui, quod opponas proximo nuncio præſtolabor; Ex qua tribu proſatus ſit Elephas, non referunt Perſarum Annales, unde familiæ ſchema non exiges, ut attexam, etſi non neſcius alios aliis celebrari nobiliores.

De hoc ambigo: ejus ex nepotibus num deſcenderit robuſtiſſima validiſſimaqne beſtia, cui aratrorum dodecadem affigere conatus eſt *Reucherus*, quidam in Batavis ortus, qua uno die tot verteret agrorum jugera, quot forte octiduo bijugis, de quo conſulas *Beccheri* Libellum, argumento non minus quam hoc titulo rarum: *Inſipiens Sapientia* p. 229.

Proſapiam *Abulabazii* gratis perveſtigandam diximus. Expoſuimus Elephantorum indolis nobilitatem. Supereſt eorum colorem adumbrare. Per-

placet penicillus R. P. *Craſſet* S. I. Præsbyteri *Hiſtoriam Iaponum Eccleſiaſticam* * integro volumine deſcribentis. Sane albo colore natos præ ceteris ad alterius orbis oras commendari ex his ejus intellige verbis, cauſam præſtantiæ hanc ſpeciatim *p.* 27. adducentis:

Xacam Sophiſtarum Corryphæum Oratione diſertum, qua auditorum corda, quo vellet ſuas in nugas converteret, innumeras ſuæ Sectæ poſt fata reliquit diſcipulos per Iaponiam, Chinam & per utrasque late Indias diſperſos. Utero eum geſtanti matri per ſomnium viſus eſt, ex ore ſuo prodire *albus Elephas.* Atque hæc cauſa eſt, quod hujus coloris Elephantes per *Indias*, *Chinam*, *Tonquin*, *Siam* & *Pegu* tanto habentur pretio, ut regiis honoribus afficiantur, aurea Suppellex iis cibos exquiſitiſſimos delicatisſimosque præbeat. Quare & Regnorum Magnates catervatim eos viſitando eadem, qua ſupremos Monarchas devotione venerantur. Propter has Belluas Reges *Pegu* & *Siam* *Ao.* 1576. horrendo bello ſeſe mutuo proſtrârunt, quo Rex *Siam* profligatus ablato albo, quem in aciem duxerat, ſuo Elephante, Regi *Pegu* ſeſe ſubdidit vectigalem. Verum Succeſſor Regis *Siam* reſuſcitato bello cum Pequanum deviciſſet, eundem coëgit, ut geminos albos Elephantes, quos alebat, dederet. Quanquam Siami Regis gaudium haud firmum diutinumque extiterit utroque Elephanto fatis cedente, quo tanto affectus eſt animi mœrore, ut de vita periclitaret. Hæc *Craſſettus* d. l. quod non diſplicebit fuſioribus hic adductum.

Uti-

* Ausführliche Geſchicht der in dem äuſſerſten Welt-Theil gelegenen Iaponiſchen Kirch. &c.

Utinam Ill. *Sloane* curioſo Orbi Elephantorum, quæ magnis impenſis congesſit, oſſa typis lucique exponeret, non mediocrem his conatibus ſibi, ſuoque Muſeo, quod profecto ditiſſimum eſt, perque totam celebre Europam, comparaturus laudem.

Coronidis loco os Elephantis noſtrum ſequens commendet Inſcriptio:

Cerne, non Gigantis, ſed terreſtris belluæ
Femoris os decumanum.
Monſtroſas ingentis Elephanti exuvias
*A*pud Germanos antea nunquam viſi.
Origine Perſa eſt.
Genere nomineque ABULABAZIUS,
Regium *A*aronis CAROLO M. ſubmiſſum munus,
Flaviſſis Veterum undique laudatum.
Obstupesce Sceleton,
Ex Rheni alveo, ubi Lippia confluit, alte effosſum.
Poſt nonningentos amplius annos
In Scenam litterariam revocatum.
Os magni momenti,
Ebureo Muſei armario ſervari dignum.
Dignum, cui BRACHMANES adornent *A*potheoſin,
*A*c thura immolent in genua profuſi.
Dignum, ajo, quod cum *Alexandri* M. *A*jace *
Conſecretur Soli.
His Næniis parentandum erat ABULABAZIO,
Si verum illud Tullii:
Elephanto belluarum nulla eſt prudentior.
Quare præ ceteris animantibus
Sub pendula corona

D 5 Illi

* Elephantis cognomen.

Illi Inſcribendum Lemma:
Speciali laudis hoc diademate dignus.

Vale, & amœniorum Literarum fructu ſeniles annos complere perge. Dabam ex Wieckinghovio Prid. Cal. Iunii MDCCXXXV.

Reſponſum ad Epiſtolam IV.

Reverendiſſimo & Clariſſimo Viro,
DOMINO
IODOCO HERMANNO NUNNINGIO,
J. V. D. Canonico & Scholaſtico Vredenſi. &c.
S. P. D.
IOANNES HENRICUS COHAUSEN.
Wieckinckhovium.

Perplacet exaſciata tua de Elephantis Carolini femorali oſſe Diſſertatio Epiſtolaris ante triduum mihi miſſa. Placet, quam illi poſuiſti, Inſcriptio Cenotaphica, tot ſeculis licet poſthuma. Cur enim tam famoſæ belluæ eam non ponas, quam alii vel ſuis catellis, ſuis pasſerculis, ſuis pſittacis poſuêre? Literatisſimus *Lipſius* Saphyri canis ſui demortui laudi & memoriæ Nænias fecit lugubri carmine, quod incipit:

O luctum & lacrymas! meus Saphyrus,
Illa gemmula vera, non catellus,
Morte eſt præcipiti malaque functus! &c.

Nempe

Nempe hoc fuit in fatis, ut poſt octingentos annos ſui in Te encomiaſten nanciſceretur *Abulabazius*, qui ſui quidem ſat multos habuit, quorum plures longâ ſerie adduxiſti, & majori adhuc numero addere poſſem, *Biographos*, ſed poſt belluina fata præconem nullum. Severiores enim Parcæ nullas belluis *præficas* decrevêre. Non diffiteor raras antiquitatis reliquias producis in lucem, quando os tot ſeculis obſcurum, emedullatum quidem, ſed non ſine Hiſtoriæ medulla. Illud, ſi notiſſimo *Brownio pſeudoxia Epidemica* Scriptori oblatum fuiſſet, mox inter antiquas ſui *Muſei Clauſi* reliquias repoſuiſſet, & illis *Linſchotti* cornibus, qui circa Urbem Goam terræ impoſita plantarum inſtar exereſcunt, pelli Serpentis ex medulla ſpinali hominis enati, cuti mortuorum in Crypta Tholoſana ita ſine corruptione exſiccatæ, ut perſonæ, adhuc diu poſt mortem ex illa agnoſci valeant, ceteriſque, quæ ſunt illius commatis, admirandis adjeciſſet. Mihi quidem de illius genuinitate nullum reſtat dubium, quamvis moneam, dum os hoc femoris ſtatuitur, cavendum, ne contra Anatomen peccetur; Sciendum namque, Elephantis, quam ceterorum animalium quadrupedum, longe aliam eſſe in oſſibus conformationem & motum. Fabrica horum eſt Cylindrica, id eſt inſtar columnæ rotunda, & motus humanis mage quam brutalibus ſimiles, ut Zootomi deſcribunt. Si enim in oſſe tuo illa ſtructura & ad ejusmodi motus aptitudo deficiat, noli determinare eſſe Elephantis. Sed hæc omnia exactiſſime pridem te ante tuam definitionem examinaſſe non dubito.

Quia

Digitized by Google

Quia igitur in priori mea Epiſtola cornu tui Biſontini data veluti opera & exercitii cauſa egi impugnatorem, iſthac nunc velis verſis oſſis Elephantini me præſtabo hyperaspiſten, magis tamen phyſice quam hiſtorice rei à te allatæ ſeriem examinans. Putat igitur *Molyneuſius* Anglus a te allegatus magnum fore momentum rebus diluvianis detegendis, modo conſtaret etiam alibi terrarum ſimilia ejusdem beſtiæ oſſa reperta exiſtere. Etſi vero Elephantis Carolini os femorale nil ad Diluvium faciat, ceu tot annorum millibus hoc poſterius; Neque ad res Diluvianas detegendas quid conferat momenti, proponam tamen parallelum tibi exemplum ſimilis ex eadem bellua reperti oſſis, quod tuo, ut ovum ovo ſimile, & quidem ipſiſſimis D. *Philippi Iacobi Sachſii* a *Levenheimb* verbis, quæ in Miſcellaneis Phyſico - Medicis Academiæ naturæ Curioſorum ao. I Decuria I. *Obſ.* 48. ſic habent: Anno 1665. 8. Novembr. D. Henricus Sturmius ex Oppolio Urbe Sileſiæ Superioris (ubi unicornu foſſile crebro reperitur) videndum transmiſit os femoris, pro Elephantino oſſe femoris habitum, quod in pago *klein Schemnitz* a piscatore cum reti ex Viadro Fluvio extractum fuit anno 1632. & Domino de Droscofsky oblatum. Cujus pondus fuit librarum decem, longitudo unius ulnæ, diameter latitudinis dimidiæ ulnæ circa caput, & in medio oſſe, ubi minor latitudo & craſſities, circumferentia quarta pars ulnæ, Ita *Sachſius*. Non addo laudatiſſimi Viri hoc ſuper oſſe femoris Elephantini judicium, ne & tuo novas tricas & lites movere videar.

Elephan-

Digitized by Google

Elephantem ſemper ſummis Regibus in pretio & amore fuiſſe non eſt quod dubitemus; Unde non infrequenter inter alia pretioſa munera dono miſſus, ut Vitæ Carolinæ & Ludovici IX. Franciæ Regis a te allegata hiſtoria abunde teſtatur. Emanuel Rex Portugaliæ, ut de rebus ejus geſtis perhibet *Oſarius*, *Leoni* X. dono miſit Elephantem, qui, ut hiſtorici verba habent: *Pontificem ter genibus flexis & demiſſo corporis habitu venerabundus ſalutavit.* Elephanto *Cornificium* vehi ſolitum, & *Cnæum Domitium* per provinciam invectum turba militum quaſi inter ſolennia triumphi proſequente, & quod longe ſublimius Gallico Cæſaris triumpho quadraginta Elephantes dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtaſſe, refert *Suetonius.* Serviit his ad ſpectaculum potius & pompam luxumque Regium, quam uſum utilem. Quid *Carolo* M. ſervitii præſtiterit, ſilent Annales. Sentio tamen tecum, non fuiſſe minorum gentium, nam inter Elephantes & ratione generis & ſoli nativi magnam eſſe diſtinctionem quis ambiget? Aluit *Palibotorum* Rex, ut narrat *Ionſtonus,* eorum nonaginta millia, *Siamenſis* duodecim, & Rex Magnus *Major* quinquaginta millia, & ut *Appianus Alexandrinus* tradit, habuit Carthago eorum trecenta ſtabula; Magna Hercule! progenies. Ut ut Carolino ævo tanta illorum fuerit raritas, ut inter dona Regia fuerit deputatus, Qui adhuc hodiedum in Regno *Ceylonio* degunt, ceteris generoſiores & fortiores deprehenduntur, ita ut reliqui aliunde advecti, hos tanquam nobiliores venerentur, illisque locum cedant, ut in operibus ſubciſivis ſcribit *Camerarius.* Donatum mihi aliquando eſt celeberrimi Nicolai *Grimmii Diſ-*

penſato-

Digitized by Google

penſatorium Ceylonicum in ipſa Batavia Inſula (quod dono pretium & raritatem conciliat) impreſſum à Chirurgo Hollando, qui ipſas Regiones viſitaverat. Memorat hoc tantam adhuc in *Ceylon* extare Elephantum copiam, ut per ejus ſpacioſisſimas Sylvas undiquaque paſſim ſparſimque dentes & oſſa Elephantum magno numero reperiantur, ex quibus indigenæ ſpiritum & ſal volatile eboris noverunt deſtillatione elicere a Belgis edocti. Hi vero non id in oſſibus raritatis aut pretii agnoſcunt, ut ad noſtrum Clima navibus ea transvehere dignentur

Judico ego unicum iſtum a Rege Perſarum *Arone Carolo* M. dono miſſum Elephantem (nam *Garzias ab Horto* Regis *Goani* Archiater ſcribit Regem Siamenſem una venatione 4000. Elephantes cœpiſſe) rari talenti & præprimis in Exercitiis Elephantinis edoctum fuiſſe, ut quod de Regis *Pori* Elephante ſcribit *Curtius*, in genua procumbere, quod de *Emanuelis* Elephante *Oſarius*, genibus flexis & corpore in terram dimiſſo præſtare reverentiam, aut inſtar aliorum plurium Elephantum (quod Ælianus teſtatur propriis oculis vidiſſe) integras ſententias ſcribere, aut quod *Oppianus* & *Chriſtophorus Acoſta* teſtes oculati perhibent, verba accurate expreſſa eloqui potuerit. Elephantes Sermonem Patrium intelligere, imo rerum Aſtrologicarum notitia præditos eſſe compertum eſt, quâ *Carolum* M. quoque ſingulariter delectatum novimus, non ergo mirum eſt Regem prudentisſimum tanti belluam hanc æſtimaſſe, ut quaqua verſus ſuum, etiam Aquisgrano Lippenheimium adduxerit. Meminit *Augerius Busbeccius* Elephantis lepide ſaltantis & pila ludentis, funambuli cum

Sueto-

Digitized by Google

Suetonio Terentius, Græcarum litterarum periti *Plinius*.

Fortasſis & ille, cujus os oſtentas, ad talia artificia Perſarum doctrina fuit imbutus, niſi enim præ ceteris quid prærogativæ habuiſſet, non tanto ſumptuum apparatu ad transvehendum claſſis adornata fuiſſet, neque animal plane brutum a Rege Perſarum ſibi mittendum *Carolus* rogaſſet.

Annales memorant belluæ nomen *Abulabatæ* fuiſſe, quod an illi gentilitium fuerit, an individuale, ſi quæras, poſtèrius hoc repono, ut enim apud nos moris eſt equis dare nomina, ſic & Perſis Indisque Elephanti. Sicuti ab *Emanuele* Luſitaniæ Rege *Leoni* X. miſſum *Hanno* fuiſſe appellatum recenſet *Pierius* in *Hieroglyph. L.* 2. Putas a *Carolo* Lippemundam adductum in pompam, ut eſſet admirationi. Ego potius ſentio Belluam & corporis mole & portentoſis motibus terrificam fuiſſe Lippenheimii ad Rhenum accolis, utpote nunquam ad iſtas oras viſam, unde ejus ad poſteros translato nomine adhuc hodiedum Belgæ, quando terrorem Panicum indicare volunt, eum vocabulo *Bullebac* amant exprimere, hoc enim a natura ſibi inſitum habet hoc animal, ut homines motu & terrore percellat, minus noceat, cujus mox dabo exemplum.

Noſti *Druſii* Germanici nomen in *Droes*, quod Diobolum indicat, tandem mutatum, adhuc hodiedum apud antiquos Saxones ad incutiendum terrorem imprecationibus ſervire, ita facilis terriculatorum memoria reſtat apud Poſteros. Narrat porro *Gokelius* celeberrimus Ulmenſium Archiater in Epiſtola de quorundam animalium mirabilibus de

de Elephante in Urbe *Cochin* ſequentem *Bullebacii* luſum: Miles Elephantem cum Rectore ſuo in platea obvium habuit, ſed noluit ad latus ſecedere. Elephas in ſui & Rectoris contumeliam factum hoc interpretatur, ulciſci tamen a Rectore prohibetur. Poſt dies aliquot in ripa fluminis militem otioſe ſabulantem reperit, & cum Rector non adeſſet, corripit illico hominem, in altum tollit, nec precibus nec clamore adſtantium motus, aliquoties flumine mergit, allevans ſubinde ac demittens, cumque luſum eum ſatis diu luſiſſet, contentus hac vindicta, vitæ ſuæ diffidentem rectum & illæſum reſtituit eo ipſo loco, unde eum ſuſtulerat. Magnum certe in Bruto ſolertiæ argumentum.

Immortalis igitur eſt *Abullebaci* memoria, cum tamen rarius ſit hanc exterorum animalium tranſire ad poſteros certe ſub nomine. Ferocior *Alexandri* M. equus ſub generali *Bucephali* cognomento innotuit. Phaetontis equi *Pyrois*, *Eous* & *Æthon* fabuloſi ſunt. Ut & iſti apud Ovidium deſcripti infelicis *Actæonis* canes. Carolinus Elephas id prærogativæ habet, ut nomen *Abullebaz* tot Auctorum ſcriptis fuerit inſertum, imo & ſui donatorem Perſarum Regem *Aaronem* & adductorem *Iſaacum* Iudæum Africanum reddiderit immortales, quorum nomina & memoria ſine eo ad Germanos nunquam perveniſſent.

Pergo in allata hiſtoria. Refers ex Annalibus Elephantem illum Lippenheimium adductum, ſaltem aliquod dies moratum ſubita morte occidiſſe. Hujus rationem Annaliſtarum nemo allegat, neque tu adduxiſti, Scrutinio tamen dignam. Noviſti enim Elephantem 100, imo 200. vitæ annos attingere,

attingere, cauſam itaque ſonticam fuiſſe neceſſe eſt, ob quam octo dumtaxat annis ſub poteſtate Caroli vixerit. Annotavit *Solinus*, quod plures quoque Phyſico-Hiſtorici pro certo confirmant: Elephantes maria transmeaturos naves non prius ſubire, quam de reditu ad natale ſolum illis Sacramentum præſtetur.

Memorat Romana Hiſtoria a *Camerario* aliisque recenſita, tempore *Pompeji Magni* octodecim Elephantes ex Africa Romam traductos erga præſtitum juramentum, quo ipſis cautum erat de reditu & de omni injuria, cum autem poſtea ipſis cum armatis depugnandum eſſet nonnullis inter illos vulneratis, reliquos omnes a pugna deſtitiſſe, & circumeuntes elatis ad Cœlum proboscidibus lamentatos eſſe, ſui vindictam a Diis poscentes.

Probabile itaque eſt, ſi ita ferat natura Elephantis, quod Phyſici adſtruunt, & illi Regis *Aaronis* priusquam navem Carolinam transvectioni paratam ingrederetur (compelli namque nulla vi poteſt) reditus quoque ſacramentum dictum fuiſſe. Cum vero jam octenni apud *Carolum* mora de reditu deſperarat, interno luctu confectus præmatura morte periit. Eundem affectum non raro lethalem, & in ipſo homine agnoscunt Medici, quem *Noſtalgiam* vocant, qnando ob intenſum ſed irritum in patriam redeundi deſiderium conſequente febri hectica viribusque brevi fatiscentibus præſens vitæ piriculum imminet, cui præſentior nulla medicina, quam feſtinatus in Patriam reditus. Poſſem alias ſubitaneæ iſtius mortis cauſas ab aëre Germano imprimis circa decliviorem Rheni tractum denſiori magisque elaſtico ſicque Elephantis aëre ſubtiliori olim gaviſi

naturæ contrario petitas tibi referre, ſed quia hæc me longius a ſcopo & imprimis ab Epiſtolæ fine deducerent, ad alia pauca adhuc dicenda progredior.

Ægre habeo, quod paſſim in Epiſtola Elephantem ob enormen corporis molem appelles monſtrum, cum hoc non magis ſit quam bos aut equus, quandocunque enim a legitima & naturali partium conformatione cuicunque animanti propria in generatione non receditur, id nominis nulli animali attribuunt Phyſici. Iſta Proboscidis artuum ceteraque Machinæ corporeæ ingens ſtructura Elephanti æque naturalis eſt, ac homini os & naſus, quem abſit monſtrum appellare, licet illud non nihil foret largius craſſiusque & hic extantior. Cum utrumque adhuc cedat certis gentibus in ornamentum, certisque familiis in gentilitiam & veluti genuinitatis indubitatum argumentum. Magnitudo Elephanto naturalis eſt, ſicuti muri aut pygmæo parvitas, neutri monſtroſa. Ceterum ſatis Næniarum tam à me quam Te Elephanti Carolino datum. Reſtat ut inſcriptioni tuæ & meam adjungam.

Elephas inter animalia terreſtia eſt vaſtiſſimum,
Femur itaque ipſi, hujusque os
Neceſſe eſt ut ſit maximum.
Os hoc ex Bruto eſt, non bruto,
Quod in deliciis & amore fuit
Regum Chriſtianorum maximo, *Carolo* Magno.
Sic ut ex ungue Leo ita certo ex hoc oſſe colligitur,
Quam vaſtæ molis bellua ſit Elephas.
Errat, qui monſtrum putat.

Siqui-

Siquidem ut Poëta canit:
Fama eſt inter ſe ſe ſermocinari Elephantes,
Diſtinctasque ſuſurrare atque emittere voces.

Fuit & dubio procul ex horum genere *Abullebazius* *Aaronem* inter & *Carolum* amicitiæ interpres.

Aëre Perſico natus
Inimicum habuit Germanum.
Nonniſi octo annis in hoc ſuperſtes
Properavit ad Charontem,
Non Styge ſed Rheno ſubmerſus,
Niſi fallat hoc os inde extractum.
Non mirare hujus magnitudinem,
Quæ ulnam belgicam vix excedit,
Non pondus
Quæ pendet XVII. libras & quadrantem.
Hæc minora ſunt.
Mirare potius in eo immane robur,
Quod vel integrum armatorum militum
Propugnaculum
Facile ſuſtinuiſſet.
Mirare & inquire,
Quid poſt noningentos annos ſubtus humum
ſervarit
Hoc os a corruptione integrum;
Adhuc tot ſeculis,
Si bene ſervetur, forſitan duraturum.
Satis ſpectâſti, abi.

Finio Epiſtolam hanc, quo tuam incœpiſti, Argumentum meum, quo tuam de *Cornu Biſontis* Sententiam expugnare conabar, hoc erat ex eo, quod quidpiam hominis aut animalis, aut ex eo partis figuram exprimat, neutequam eſſe conclu-

dendum, id fuiſſe animal, & eſſe petrefactum, ut pariter ex eo agnoſceres, non ideo ſaxeum illud circa *Oedingam* repertum concrementum, quod cornu exprimeret, pro cornu petrefacto, & quidem Biſontis, ceteris non paribus, ut late deduxi, habendum eſſe. Fuerit ille a me adductus hominem repræſentans ſilex ſine cerebro, ſine corde, ſine oculorum cryſtallo, ſine nariam ſpiraculo, ſine nervis & arteriis. Quid inde? Neque enim ſtatui hominem eſſe petrefactum, ſed dumtaxat lapidem iſtius exteriori figura donatum, qualem *Ovidius* optime expreſſit *I. Metamorph II.*

Contigit ut quædam, ſic non manifeſta videri
Forma poteſt hominis, ſed uti de marmore cœpta
Non exacta ſatis, rudibusque ſimillima ſignis.

An igitur ex eo quod in illo concremento reperias quædam cornu propria, concludendum judicabis, revera eſſe animalis, & quidem Biſontis cornu petrefactum? Vides quantum tua illatio tuæ refutandæ meæque ſtabiliendæ ſerviat ſententiæ? Verum abſit ſuper hoc cornu diutius inter nos trahere altercationis ſerram. Satis hactenus de variis cornubus & oſſibus actum; unde ne tibi a me nova diſputationis anſa præbeatur, & me ſine merito ſcepticismi arguas, quod in Epiſtola ſat emphatice præſtitiſti, hic deſino.

Etſi enim Scepticæ ſectæ unicæ & conſtantisſimæ Theſi, quæ erat: *Nihil eſſe verum præter hoc unum, quod verum nihil,* non adhæream, noveris tamen me Carteſianismo ſub indagine veritatis addictum, in rebus naturalibus nihil, niſi quod evidenter demonſtratum, credere, de omnibus dubitare. Vale. Vredenæ ex Muſeo prid. Id. Iul. MDCCXXXV.

Epiſt-

Digitized by Google

Epiſtola V.

De quatuor alterius Speciei Cornubus Ammonis noviter repertis.

Clariſſimo Expertiſſimoque Viro,

DOMINO

JOANNI HENRICO COHAUSEN.

*A*rchiatrorum Patriæ Celeberrimo ac Seniori &c.

S. P. D.

JODOCUS HERMANNUS NUNNING.

Vredenam.

Locutus olim tecum de *Ammonis* Cornibus Quaternionem eorum *Wickinghovii* recens oblatorum ſilentio premere nefas ſit, quæ principem Muſei mei locum hodie obtinent, quia inquilina, quæ calamum noſtrum miſſis peregrinis depoſcunt. Detexit illa in Monte *Barlerberg* Germanus noſter, Eccleſiæ Vredenſis Canonicus hoc anno 1740. menſe Iulio auſpiciis Illmi Capituli prædium ſuum *Ubbeler* dictum, *Ahuſium*, Epiſcopi ſedem, inter & *Ottenſteinium* ſitum, viſitans.

Eruta tunc offendit ex imo fundo ab Operariis triennio abhinc puteum alte per dictum montem effodientibus, a ruſticis certe contempta, ac tanquam nullius momenti, Weſtphalorum more, aëri concredita; Cruda ſunt, fateor, ut in matrice cubant, rudia & tantum non aſpectu neuſeantia, attamen cornua *Ammonis* quam apertiſſime repræſentantia, non tamen in gyrum rotunda, ſed oblonga. Matrix ſive radix, ex qua pullulaſſe viden-

tur, nigra lapidea & ſilicis inſtar dura, verum in apice, qui non in Conchæ morem interne reflectitur, ſed circumvolvitur externe, ita ut oblongam (vulgo ovalem) ad modum arietini Cornu figuram referat. Mollis eſt & bituminoſa quadam pinguedine etiam odore bituminis, præſertim ſi igni, quem facile recipit, admoveatur, haud ingrato præditus: Plane in modum, quo Oricta Wirceburgenſia V. C. *Georg Ludov. Hueberg* æri inciſa ſpecimine Primo Litographiæ Wirceburgenſis expoſita conſtare *p* 38. fidem facit, *Quam plures*, inquiens, *adeo molles tractabilesque demonſtravimus, ut vehementiori attactu diffringantur: Figuras etiam impreſſas adeo recentes deprehendimus, quaſi rotæ aut manu figulive! natura (ſi tamen eam hic artificem dicere poſſumus) plaſtico operi intenta ſubducerentur.*

Diximus Æthiopes Sacrorum cenſu reputaſſe *Ammonis* cornua imo inter *ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas*; ſi hæc noſtra quoque ſpectandis Weſtphaliæ gemmulis adnumeravero, nemini injurioſum videbitur.

Vulgus ea dividere ſolet in nuda ſive ordinaria & armata, illa lapidei coloris ſunt, albi quoque & nigricantis, hæc plumbeo, æneo, argenteove obducta. Quæ vero oblongo gyro volvuntur, ut illa Muſei noſtri prædicta, *Serpentes* nominantur, Italis *Serpenti impetriti*; verſteinigte Schlangen.

Unum eorum præ aliis magnitudine præſtat pondo fere, ſi matricem computas, LXX.

Ammonis Cornibus accenſemus & ſi minoris minimique moduli Oſnabruga, liberali munere, Cl. *Zachariæ Gœtzii* olim transmiſſa, quorum magnam partem ipſemet collegiſſe profitetur Diſſ. de Nummis

mis *XX. p.* 407. *ſq.* his verbis prolixus: *Mittere,* inquit, *non poſſum lapidaria iſta, quæ, ex quo mihi ante biennium quædam fuerunt oblata, ipſe ego legi. Vix ad unum ab Urbe hac noſtra lapidem rivus tenuis exiguas ducit aquas, qui cum nigra undique claudatur ripa, eaque interdum valde anguſta, ex nigro & molli lapide concreta ab accolis vocatur* die Kriedbecke ꝛc. 1. CORNU *hic non ſolum reperitur* AMMONIS *nitidiſſime factum; ſed &* 2. STROMBITES; 3. CTERITES. 4. MYSOTES. 5. OSTRACITES. 6. MYITES. 7. ROMBOITES. 8. TROCHOITES. & 9. LAPIS MEGARICUS, *qui totus e Conchis rotundis, Vermibus* &c. &c. *concretus. Hic etiam in ſimilibus non parum verſatos præ reliquis in admirationem rapit, Cœlo ſane dignus. Ex talibus extractum fuiſſe Monumentum Photonei Pauſanias refert. Cauſas formatrices ego genios facere nolo; Vermiculos eſſe puto potius Polypodas in gyrum ſe volventes, & Conchas; Reperiuntur enim vivi in iſtis & ſitu ſuo gyrato &c. Fingunt & faciunt dein nobis tales luſus.* Sane haud ingrato ſpectaculo hæc verificant curioſis Muſeum noſtrum viſitantibus gemini lapides dono *Goëtzii* quondam transmiſſi, ipſos polypodas contactu mobiles præter typum ſuum aperte conſpicuum utero geſtantes. De Cornu Ammonis vide *Adamum Olearium* Muſeo Gottorpienſi (Gottorfiſcher Kunſt Kammer) *Tab. XXII. Num II, & V.* Scripſit quoque *Reiskius* Diſſertationem de Cornu Ammonis, quod Veteres vocarunt agri Brunshauſani & Gandersheimenſi lapide, quem vulgo Drackenſtein nominant, inſertam Ephemeridibus *Nat. Cur. Societ. Leopoldin. Decad. II. Ann. VII. ſive MDCLXIX. p.* 160. *ſqq.*

Sed hem! eodem puteo excavati magno numero una cum dictis Cornibus Lapides Belemnites, *Fulminares* ab ignaro vulgo Donner-Keil dicti, quorum geminos omnibus meis aliis numerum tricesimum excedentibus facio tanto rariores, quanto integriores ab utraque extremitate, apicem puto & radicem, superſunt, quod plerumque & fere ſemper pars ſuperior eaque in teli ſpeciem acuminata inferiori ceu molliori in terra relicta ſe ſe collectoribus tantum offerat; ex quo evidens eſt, qua parte in terra vegetando ſuccreverint. Vulgus Cattorum Teuffelsfinger vocat ob digiti acuminati, quos Dæmonibus affingere ſolent, ſimilitudinem ita dicti. Alii aliis nominibus eosdem deſignare conſueverunt. *Keyslerus Antiq. Septent. & Celtic. p. 502. ſq.* varias eorum congeſſit appellationes, Germanis potiſſimum familiares. *Sunt etiam*, ait, *Lapides Belemnites, quos Germani appellant* Alpenſchoß, *incuborum ſagittas*, Twarff-Steine, *Nanorum ſive ſpectrorum montanorum lapides*; Schoß-Steine, Luchsſteine; Wetterſtrahl; Donner-Keile; Rappenſteine; Teuffelsfinger, *ob digiti ſimilitudinem*: Dani *Vettelinſs*, ſpectrorum *candelas, quorum lapidum uſus ſalubris in vulneribus multisque armentorum morbis.*

Quantum volumen conficeret Colloquium noſtrum, ſi vel otium vel animus eſſet fabulas atque errores Catalogo recenſere, quibus Viri etiam eruditi experientiam & autopſiam prætexentes ridicule ſatis deluſos ſe confirmant, jam in ruderibus ædium, cavernarum, arborum, nescio quarum rerum fundo hoc cuneorum genus ceu fulmine tactarum reperiſſe. Nos ſufficere exiſtimavimus palam oſtendiſſe, hos

hos omnes ad veriorem rerum phyſicarum Lithogeneſin non eſſe non reducendos.

Iam non impetro a me, ut finiam, quin hoc unum Tibi addam, Belemnites iſtos hac virtute præditos, ut, cum filo lineo preſſe circumvoluti candelæ aut carbonibus ardentibus immittuntur, fila fumoſa quadam nigredine tincta quidem, integra tamen illæſaque ignem ſuperent atque contemnant.

Cum Tecum iterum, Amice, velitor de rebus ad Phyſicam ſpectantibus, totum me adhuc occupat Epiſtolæ tuæ decretum Vredenæ prid. Id. Iul. MDCCXXXV. conſignatum, quo Cornu petrefactam medullam, quod Biſontis eſſe tanquam pro aris & focis tueor, ceu merum vagumque *concrementum*, ut ais, tantum non damnas, atque ex animatorum Officina penitus proſcribis. Tot quidem illius tibi expoſuiſſe perſuaſus ſum ſigna apodictica, ut de genuinitate veri cornu animalis nemo jatrices gnarus citra injuriam ambigat. Verum quo & in meam relicta tua ſententiam revertaris, ſubmitto fruſtulum incuria cornu iſtud non ita nuper rudi manu tractantis ea parte avulſum, qua Cranium contigit, quo calcinato Docimaſticus experiaris, me vera locutum, ac Muſeo non ſpernendum, qua egregiæ antiquitatis qua naturæ prodigii pignus intuliſſe.

Quia in præcitata Epiſtola mea quinquennio abhinc ad Te data Heroum facies cornubus decoras in nummis exhiberi dixi, diſpenſari haud poſſum, quin Tecum V. C. colloquendo excurram ad nummum majoris moduli argenteum *ATTILA REX* inſcriptum ejusque imaginem largiter barba-

Digitized by Google

Reſponſum ad Epiſtolam V.

Amicorum Coryphæo,

Reverendiſſimo & Ampliſſimo

DOMINO

D. JODOCO HERMANNO NUNNING,

J. U. D. Illuſtriſſimi Capituli Vredenſis Canonico Scholaſtico, Proto-Notario Apoſtolico &c.

S. P. D.

IOANNES HENRICUS COHAUSEN.

Wieckinghovium.

Speraveram jam pridem Cornutis velitationibus noſtris cum *Bullabazio* finem fuiſſe impoſitum, experior tamen me novis nunc cornubus ad certamen litterarium a Te provocari. Verum quia hæc juxta deſcriptionem tuam mollia & bituminoſa ſunt, illorum ictus haud quaquam puto reformidandos, & quia rudia non politiorem calamum mereri, quia in matrice adhuc cubant, non maturam criſin poſtulare, quia denique vel ſolo aſpectu nauſeam creantia, prolixam indaginem exigere iudico. Unde magis ſubit mirari, quare rudem hanc indigeſtamque molem, in qua cornuum arietinorum aliqua repreſentatur ſpecies, ſpectandis Weſtphaliæ gemmulis adnumerare non hæſitaveris. Si non alias quam ejusmodi rudes nauſeaque plenas gemmulas Weſtphalia producit, nullos illarum inveſtigatores & mercatores inveneris. Nemo hoc nomine illa digna æſtimabit. Quis enim unquam gem-

gemmam ſpectavit ſeptuaginta librarum, quale pondus cornu hoc tuum, ſi Diis placet, gemmeum habere aſſeris. Dubio non uni ſubeſt *A*rchigymnaſiarchæ Oſnabrugenſis ſententia, quaſi quidam polypodes Vermiculi in gyrum ſe volventes in Ammonis *C*ornu anfractuum & circularis conformationis ſint fabri & autores, mallem ego cum nugarum inſtitoribus formatorem illis ſtatuere genium ſeu potius fingere naturam quandam Architectonicam, licet non ens, quam admittere vermiculos iſtos Gœzianos.

Videtur plures decepiſſe *Plinius*, qui cornu *A*mmonis foſſile inter gemmas Æthiopiæ ſacratiſſimas aureo colore præditas refert, ſed quis non videt lapidem arietini cornu effigiem reddentem, qui in Europa pluribus locis provenit, innumeris paraſangis ab iis diſtare, ſive pretium ſive colorem aureum, ſive in procurandis divinis ſomniis virtutem a *Plinio* relatam ſpectes. Quamvis & hunc veteris Scriptoris auctoritate forſitan deceptum graviter erraſſe ſentiat *Arctous* Æſculapius, *Thomas Bartolinus*, in Obſervationibus de Unicornu editis *p.* 37. ubi inquit: *Vel enim lapidem non vidit, vel oculos aliqua nebecula faſcinavit*. *Plinius* ipſe capite proximo, ubi gemmas ab animalibus denominatas enumerat, ultro fatetur, circa illas reperiri plura mendacia. Ita pari errore labitur *Cardanus*, quando ad Æthiopiæ gemmas rariſſimas nunquam ſibi viſas adeoque incognitas lapidem ammoneum cornu arietis ſimilem refert. Miror itaque cur tuum nigricans & fulgore aureo carens bituminoſum magma pretioſis Weſtphaliæ gemmis, nullibi tamen reperibilibus accenſeas. *A*bſit hoc cornu gemmeum

meum reputare. Interim ſi metaphorice illud velis appellare Muſei tui gemmulam, nolo refragari.

Scribis Materiam tui cornu eſſe lentam & bituminoſam cui ſimilem apud Scriptorem nullum invenio, omnia namque corpus lapideum habent ad naturam argillæ accedens, plus minùs ſabuli, arenæ, calcisque continens, quæ ſuccis ſubterraneis accedente pluvia quaſi confermentata in iſtam formam concreſcunt, ſicuti calx & arena invicem coaleſcunt & in lapidem indurantur. *Ammos* Græcis arena eſt, unde & ipſe Iupiter Ammoneus & cornua hæc foſſilia nomen acceperunt.

Dividis porro Ammonis Cornua in nuda, qualia tua ſcribis eſſe, & armata, ideoque plumbei, ænei, argenteive coloris, quibus ego addo armaturam auream in iis, quæ ex arena aurea compacta (unde color ille fulgorque aureus) facile malleo reſolvuntur in pulveres ſplendidos, qui ſcripturæ ad ſiccandas litteras conſpergendæ inſerviunt, ideoque inter *A*mmo-chryſi aut chryſammi genera reponuntur.

*A*ccenſes *A*mmonis cornubus lapides, qui etiam oblongo tantum gyro circumvolvuntur & ſpeciem ſerpentum habent petrefactorum. Legi in Ioh. Balbini Miſcellaneis Regni Bohemiæ Hiſtoricis *Cap.* 51. tales paſſim in Bohemia reperiri ea magnitudine & ſic affabre effigiatos, ut Viatoribus horrorem incutiant, & ſane faciunt Tecum plures auctores, qui ſpiras ſerpentum lapidibus impreſſas ad cornu tortuoſum, quale in arietibus eſt, proxime accedere Autumant, hinc Wormius Ammonis quoque cornui ſubjecit lapidem, qui Sceleton ſerpentinum exhibebat, grande adeo, ut pedes ferme

quatuor

quatuor pluresque ſpiras ambitu & in medio ſive centro foramen patulum complecteretur.

Digrederis ad alios lapides, circa quos cum Virorum etiam eruditorum paſſivas deceptiones exponis Addis quoque belemnites hac virtute eſſe præditos, ut filo lineo arcte circumvoluti & candelæ vel carbonibus ignitis immisſi id integrum atque illæſum ſervent, ut ut fumi nigredine obfuſcatum. Quod tamen phænomenon, in quibuscunque aliis ſive ferreis ſive marmoreis cylindris ſuccedere vel ipſa vulgi novit experientia, ut nulla Belemniti inde accedat virtutis peculiaris prærogativa.

Reverteris demum ad cornu Biſontini medullam, de qua ſententiæ tuæ exercitii cauſa olim ex propoſito contradixi, libenter autem nunc aſſentio eſſe animalem, imo, ſi placet, eſſe ex reliquiis diluvianis; ſubmiſſa mihi nuper particula eam ad oſſa pertinere, quodammodo fidem facere viſa eſt, quam tamen examini ſpagyrico ad normam lapidis Lydii *Carlini* ſubmittere nolui, ne pretioſo hoc fragmento medullam tuam ſpoliarem.

Sub finem Epiſtolæ tuæ occurrit Rex *Attila* pro quantum cornutus! cui ſi tot Principum & Imperatorum Cornuta, imo & antiquorum Saxonum per taurorum, hircorum & arietum exuvias galeata capita addere vellem, vah! quantus cornutorum in lucem numerus prodiret. Enimvero antiquitas per cornua Regum capitibus affixa & tu nummis quoque expreſſa eorum fortitudinem, audaciam, vel etiam ferociam Symbolice deſignanatam voluerunt. Nummum majoris moduli argenteum, cui *Attila* Rex barbatus & Cornutus inſcul-

inſculptus eſt, genuinum non eſſe Amœnitatum numismaticarum Dictatoribus ac porro iis relinquimus æſtimandum, qui cum *Rudolpho Roth* Ulmenſi cornua demirantur. Disputent alii, num probabile ſit, barbaram Hunnorum gentem Regum ſuorum imagines nummis ſymbolicis aureis argenteisve expreſſiſſe.

Demum poſtremis litteris me rogaſti, ut horum Ammonis Cornuum, quorum quatuor numeras, materiam & reſinæ Weſtphaliæ Geneſin detegam. Illorum corpus nuper examinans inveni conſtare ex reſina quadam terreſtri, quæ pix mineralis *Paracelſo*, vulgari nomine Bitumen appellatur, cui terra ſive argilla intermixta eſt. Naturam bituminis prodit tum fumus ab iis igne admoto exhalans & pinguedinis mineralis odorem reddens, tum ad tactum digitorum mollis viscoſitas. Principium autem terreſtre ſive argillaceum ſive calcarium conſtitutivum manifeſtat ſoliditas & facta a tempore effosſionis ſat firma induratio, eſt ejusmodi mixtum ſusceptam in matrice ſua, anfractuoſam cornuum conformationem conſtanter retinere potuerit, nam ſi *Andreæ Libavii* poſtulatis Tractatu de Bitumine habenda fides, hoc accedente ſale & mercuriali liquore, & eſt terra & aqua, lignescit & carbonescit, ſeu arbores foſſiles & Lithanthraces producit, oſſa & ebur foſſile conſtituit. Ex Bitumine, inquit, coalescunt in ſuccis ramentisque terræ ſubtiles dentium figuræ, crinium, cranii, cornuum, cochlearum ollarum &c. ejus tenacitas, oleoſitas, & alia omnia referunt omnis generis nascentium conditiones & diſpoſitionem aptitudinemque ad illa demonſtrant.

Digitized by Google

Imo putat hic Auctor, Bitumen eſſe quaſi ſimplex elementum, a quo ceu principio activiſſimo & omnium mixtorum colores & conſiſtentia dura, mollis, fricabilis, fixa, volatica, unctuoſa, argilloſa, limoſa, glacioſa, arborea, oſſea, herbacea, imo & ſimulacra non tantum plantarum, ſed & beſtiarum & lapidum picturæ admirabiles ſubtus humum enaſcantur, addit ex marga & adipoſa concretione lapides hepati humano, renibus, dentibus, linguæ, craneo, cerebro, cordi ſimiles generari, ita ut ipſam terram appellare liceat officinam ad ſimilitudinem hominis omnibus illius partibus inſtructiſſimam,

Quod de hominibus dixit, de aliorum quoque animalium partibus vult intelligendum, unde quoque nil mirum *ejusmodi* cornua quaſi arietena ex bitumine cum terra mixto potuiſſe generari. Neque ipſe locus, in quo illa detecta & reperta, illorum productioni contradicit. Cum enim nulla mundi pars teſtibus hiſtoricis deſtituatur, de eo quoque & quidem ſatis abundanter Weſtphaliam noſtram proviſam eſſe extra dubium eſt, quod ſatis probant glebæ bituminoſæ in Torvennis ſic appellatis provenientes, quarum principium phlogiſton ex bituminoſa pinguedine, amaritie fuliginoſa, nidore & ad ignem ſuſcipiendum aptitudine ſatis elucet, Neque mihi dubium eſt, quin cornua hæc tua concreta ceſpitum bituminoſorum officium præſtare valeant, ſi foca applicentur. Quid enim aliud Turffa eſt, quam bitumen cum terra coalitum à qua eſſentialiter cornua tua non differunt, niſi quod illa ex magmate informi conſtet, hæc cer-

ta figura donentur à Spiritu motore ſalino in illorum prima concretione concluſo atque coalito.

Conſentit mecum celeberr. *Michael Bernardi Valentini*, qui in Prodromo Hiſtoriæ Naturalis Hasſiæ p. m. 16. Bitumen liquidum omnium fere ſulphureorum baſin & fundamentum ſtatuit, & ſcribit *Maltham* aliis & in Vernacula *Bergtär* vocari, additque aliquot ante annos in Comitatu Schaumburgico, haud procul a Rintelio tanta copia ex montibus profluxiſſe, ut Carpentarii eadem axungiæ loco rotas inunxerint, inde non tantum mineram Sulphuris in Haſſia inferiori, ſed et carbones foſſiles illic copioſiſſime provenientes deducit. Et Ego quoque tua cornua derivo, quatenus illud per ſpiritum ſalinum terrea elemento in campagem ſolidam, duram, atque durabilem colligatur.

Nolo hoc, quod facile poſſem, latius oſtendere, puto namque utili & doctæ curioſitati tuæ ſatisfacere, qui ex profeſſo de *Torvennis* in Weſtphalia noſtra reperibilibus commentatus es, ut ex Elencho tractatuum tuorum nondum editorum aliquando conſpexi,

Iam quod ſupereſt, ut unde incepimus, per cornua quoque deſinamus, commercium hoc literarium finaliter claudam Epigrammate ad Zoilum, Bucephalum cornutum. Tibi vero perpetuum apprecor Cornu Salutis, & cum Muſeum tuum tot cornibus ſit ſpectabile, ex animo voveo, ut domum tuam nunquam deſerat ditiſſimum Cornu Amalthææ. Diutiſſime & conſtanter Superi Te ſoſpitent. Vale. Dabam Vredenæ idibus Auguſti MDCCXL.

Epi-

Digitized by Google

Epigramma
Ad Zoilum
Bucephalum Cornutum.

Te quibus adnumerem Cornutum Zoile brutis?
Et cornu & naſum Rhinocerotis habes.
Cornua bina tamen tibi ſunt magis apta bovina
Frons Cornuta tibi eſt Encephalum bovis
Hic Cornu *Ammonis* ſpectas Cornuque Biſontis
Sed Cornu his majus beſtia magna geris.
J nunc Bucephale, oppugna, contemne, laceſſe,
Non lædet Cornu cornua noſtra tuum.

FINIS.

Digitized by Google

Hiſtoria Bibliographica
Duum Virorum Weſtphaliæ
in Republ. Litteraria Illuſtrium,
D. D.
IODOCI HERMANNI
NUNNINGII
ET
IOANNIS HENRICI
COHAUSENI,
Opera hactenus edita ineditaque
continens.

Digitized by Google

PRÆFATIUNCULA.

Exequor nunc in Commercii Lirterarii Præfatione Epicritica promiſſum, & ad Clariſs. Weſtphaliæ Duumvirorum ſcripta tam edita quam inedita recenſenda progredior. Comperio namque jam pridem & ab aliis ejusmodi Bibliographias conditas, imo & Msceptorum tam in privatorum pulpitis, quam virornm Principum Bibliothecis reconditorum elenchum eſſe publicatum. Adjeci plerisque contentorum indicem: Nulli namque librorum tituli nullas apud Philomuſas ideas formare poſſunt, adeoque nec excitare aut legendi aut illa ſibi comparandi deſiderium. Volumina Cl. *Nunningii* pauciora ſunt, quia diffuſa & ampliora, quibus jam ad extremam usque ſenectam operam ſuam impendit. Opera Cl. *Cohauſeni* plura, quia minora, utraque tamen prælo, omniaque hic prævie memoratu digna, quod materiam ab aliis intactam adeoque novam pertractent. His ergo, Lector Benevole, fruere, delectare, & ſi quid inter ea ſingulariter palato tuo arrideat, nondum editum mecum ſtude ad prælum promovere. Uterque jam ſuis ſumptibus varia inlucem emiſit, ſed jam ſenio factus prudentior operam cum expenſis perdere non amplius putat eſſe conſultum. Vale.

SECTIO. I.

OPERA CL. D. NUNNINGII EDITA.

I.) Sepulcretum Westphalico-Mimigardico-Gentile duabus ſectionibus partitum, in quarum prima de Urnis, in altera de lapidibus Ethnicorum ſepulcralibus diſſeritur &c. In hoc Tabulæ æneæ ritum Patriæ funebrem Gentilem Urnasque ſepulcrales legentium oculis ſiſtunt. Opus Hiſtoriæ Patriæ amatoribus acceptum, ut altero poſt ſecundam impreſſionem Anno 1714. nullum ejus exemplar, præterquam quod in librorum Auctionibus forte occurreret, pretio haberi potuerit. Quare ſecundam ejus editionem Bibliopola Osnabrugenſis Mich. Andreas Fuhrman Ossilegio Historico-Critico V. C. *Ioannis Henrici Cohauſeni*, M. D. anno 1714. addita Præfatione augmentavit, ac facile Auctor animum inducturus eſſet, tertiam editionem *Muſeo* ſuo tam Numismatico quam Antiquario-Phyſico ampliorem adornare, niſi negotiorum multitudo ingravescente & ingravante ſenio ad magis necesſaria eundem avocaret. Utrumque recenſent Trevultienſes * *Sepulcretum* quidem ad an. 1715. Menſ. Octobr. pag. 416. *ſqq. Oſſilegium* vero ad an. 1716. Menſ. Ianuar. p. 71. *ſqq.* ** Tertia vice illud recudendum propoſuerat in Theſauro Antiquitatum Germanicarum Thomas Fritſchius Bibliopola Lipſienſis celeberrimus, juxta *Conſilium*

* *Iournal des Savans* augmenté de divers articles tirez des *memoires* de *Trevoux* Tom. LIIX.

** Tom. LIX.

Conſilium ao. 1720. Lipſiæ publici juris factum, ubi Tomo VIII. quorum XV. in univerſum collegerat edendos, qui SEPULTURA GERMANORUM ETHNICORUM inſcribitur. *Nro* 90 NUNNINGII SEPULCRETUM WESTPHALIÆ inſerendum fuerat, notisque & ſcholiis a V. Cl. Io. Georg Eccardo illuſtrandum. Verum laudabiles hosce conatus, neſcio quis ſiniſtræ ſortis caſus poſtea intervertit.

II.) DIPLOMATIS CAROLI M. de ſcholis Græcis & Latinis anno 804, Eccleſiæ Osnabrugenſi ejusque Epiſcopo *Wihoni* conceſſi VINDICATA VERITAS. Opusculum adverſus impugnationes *Cl. V. Io. Georg. Eccardi* Veritatis diplomaticæ amore ſusceptum; *Aggreſſus* quidem eſt *Eccardus* Vindicias ſuas pro falſitate ejusdem Diplomatis propugnanda anno 1721. opponere, verum antequam *Nunningii* telis ſe ſe exponeret, relictis *Lutheri* caſtris ad Romana convolavit, hac ægide ſe ſe tutum a retorquentis ferula opinatus. Hunc Tractatum nominatim adducit Cl. *Daniel Everhard Baringius*, Regis Britonum a Bibliotheca Hannoverana in *Clavi Diplomatica p.* 11. *ſqq.* addita hac cenſura: *Vindicias ab Eccardo* (Nunningianis) *oppoſitas ob ſales & Archilogia dicta approbationem non ita meruiſſe.* Iam confectum habeat Hyperaspiſtem ſuum Diplomaticum Cl. *Nunningius*, ſed arietem ſuum evibrandum retinebat inopinatus Uterini ejusdem fratris R. P. *Friderici Sackii* S. I. Sacerdotis & S. S. Theologiæ Doctoris nuntius *Eccardum* ad Romana ſacra properantem Monaſterium appuliſſe atque in Collegio Soc. IESU divertere, Werthinam propediem abiturum & ad manus Illmi *Abbatis Profeſſionem* fidei perſoluturum. Itaque non

non unis argumentis tunc conſultum voluere amici Monaſterienſes ad gremium Eccleſiæ redeuntem Chriſtiana manſuetudine excipere, præſertim promiſſione Palinodiæ ab *Eccardo* facta, cumprimis conſiderandum judicarunt, cum *Eccardus* amore ſalutis Orthodoxam fidem Uxore & Liberis, honoribus, muniis, libris ipſisque bonis clanculum Hannoveræ relictis amplexus ſit, frænum injiciendum eſſe calamo vindici, nec afflicto addendam eſſe afflictionem. Obſecutus his monitis atque conſiliis D. *Nunningius*, maluit compeſcere animi motus & gloriolæ ſtimulum, atque ad carceres damnare Lucubrationem multo oleo atque opera conſtantem, quam importuno aſſultu gravis eſſe viro Neoconverſo. Quieſcit interea in pulpitis opus hoc Diplomaticum non exili veritatis Diplomaticæ detrimento, De quo infra plura.

III,) Monumenta Monasteriensia. Horum ſub prælo ſudat, *Decuria prima*, quarum Triadem ſperamus propediem ſubſecuturam. Propoſuit Auctor eadem ordine Alphabetico, ne cuipiam ſive antiquitatis ſive eminentiæ fieret præjudicium.

Decuria Prima complectitur Diœceſeos Oppida a Littera A. usque B. incluſive hac ſerie:

Ahuſium, *Albachtum*, *Alena*, *Amſybura*, *Aſchendorpium*, *Bechemium*, *Bevergerna*, *Billerbeca*, *Borckena*, *Bucholdia*. Atque eo ordine ad reliqua Episcopatus loca progredietur. Denique Mantiſſæ loco ſubnectentur Oppida & Arces, quæ non quidem territorii ſed tamen vel Diœceſeos Monaſterienſis, vel ſaltem illi proxime vicina, quæ forte *Decuriam* non explebunt, quo referuntur:

Anhol

Anholtium, *Benthemium*, *Borckeloa*, *Chama* ſive *Ghemena*, *Linga*, *Rheda*, *Ritberga*, *Steinfurtum*, *Burgenſe*. Cuique Decuriæ una alterave Monumentorum appendix adjicietur, quæ ad ſpeciale Oppidum aut Arcem non apta referri, digna tamen vel ex regno minerali vel vegetabili, aut certe in Hiſtoria & notitia Patriæ locum atque elucidationem promereri videatur, quo nomine *Decuriam Primam* comitantur *Monumentum*.

Primum *Victoriæ Caroli* M. prope *Bucholdiam* ad ſylvam Cæſiam de Saxonibus anno 779. reportatæ *Sacr*.

Secundum *Ferrariæ Officinæ* itidem in agris Bucholdienſibus ante annos non multos erectæ *Sacr*.

Tertium *Wickinghovio Avitæ* Auctoris Curiæ a Cl. *Io*. *Henr*. *Cohauſeno* veteris amicitiæ ergo ejus honori *Sacratnm*.

Opera & Elucubrationes

Dni Nunningii nondum edita.

I.) Inter hæc præ ceteris commendari meretur multorum annorum atque olei opus MIMIGARDIA SACRA, in duas Partes ſive Tomos diviſa. *Prima* complectitur Vitam Epiſcoporum Monaſterienſium, *Altera* Pias totius Diœceſeos Fundationes, Collegia nempe, Cœnobia, Parthenones eorumque utriusque ſexus Prælatos, Fundationum Diplomata, Privilegia, Dotes, utriusque fortunæ caſus, augmenta & decrementa, immo interitum. Eo majori fervore ſuam induſtriam Auctor huic operi elocavit, tum ne *Germaniam Sacram* (quam Cl. Hanzitius *Soc. Ieſu* non vulgare decus proſequendi ſpem facit) Diœceſis Monaſterienſis hiatus aliquando obſcuret, tum quod ipſemet Auctor in Proloquio *Sepulcreti Weſtphalico - Mimigardico - Gentilis* iſtius Operis promiſſo ſe publico obligatum rediderit, tum quod varii Scriptores ejusdem in lucem emittendi, quos inter Illuſtris *Hugo Franciscus Hueſſenus* per Fœderatum Belgium cum poteſtate Epiſcopi Vicarius in Hiſtoriæ ſuæ Trajectenſis Prologo ad Lectorem p. 9. quemadmodum & *Adolph. Herm. Meinderſius* Regis Boruſſiæ Hiſtoriographus & Gogravius Revensbergenſis, tum & *Zacharias Goëtzius* Muſeo ceterisque Scriptis ſuis, aliique non uno loco mentionem injecerint.

II.) MIMI-

II.) MIMIGARDIA DOCTA ſive Lararium Virorum libris qua editis qua MStis eruditione quoque aut Muſeis illuſtrium, quos hic ordine alphabetico ſiſtere curioſis non diſplicebit:

Alpenus (Joannes)
Altfridus. Friſo D. LUDGERI nepos ejusdemque in Episcopatu Monaſter. tertius Succesſor.
Aſchendorffius (Wilhelmus)
Bavincus (Ludolphus) Metelenſis.
Baving (Hermannus) Saſſenbergenſis.
Beinen (Henricus a)
Bentingius (- - a) ex BrechlenkampTubantus.
Boickhorſtius (Albertus) Monaſt.
Bolthe (Joannes S.) Monaſt.
Brevingius.
Buſchius (Hermannus) Saſſenberg.
Buſenbaumius (Hermannus) S. I. Monaſt.
Cobauſenus (Ioh. Henr.) Hildeſio-Saxo. Archiater Monaſt.
Cosfeldienſis.
Craterus (Gerad. Herm.) M. D. Monaſt.
Dettenus (Joannes)
Dirckingius (Ioannes) S. I. Buchold.
Dorhoff (Bernardus) Monaſt.
Drachterus (Joannes)
Giſeus (Gerardus) M. D. & Archiater Monaſt.
Gigas (Joannes)
Glandorpius (Joannes) Monaſt.
Graſſ. (Ortwinus a) ex Loburg.
Græthuſius.
Hagebockenus (Joannes) Ottenſteinenſis Paſtor.
Hagemannus (Gerardus) HorſtmarienſisWerdinenſ. & Helmſtadt. O. S. Bened. Profesſus.
Hanius.
Haſe (Ioan. Franciscus) Monaſt.

Havinck-

Havinckhorſtius (Joann) Monaſt.
Heigius (Alexander) ex Heeck.
Hermannus Monachus Ciſterciensis.
Hobbelingius (Joannes) Monaſt.
Horlenius (Joſephus)
Hovelius(Henricus)Epœus ex caſtro Wullen.
Iordanæus (Ioannes)
Isfording (Ioannes) S. I. Monaſt.
Kappenhagen (Ioan, Ignatius) Bucholdienſis.
Kerſſenbrock (Herman a)
Kottius.
Kritius (Joannes)
Langius (Rudolphus)
Leunclavius (Joannes) ex Amelenburen.
Lingius (Bernardus)
Liſtius (Gerhardus) Rhenenſis,
S. Ludgerus Proto-Episcopus Monſis.
Mallinkrotius (Bernardus a) ex Kuchel,
Meppenſis (Alexander)
Moderſohn (Juſtus) *Monaſt*,
Mullerus (Bernard)
Mullman (Hieron)
Murmelius (Ioannes)
Nagel (Lucas) S. I.
Nagel (Bernard Diderich)
Neubuſius (Edo)
Nunningius[Jodoc,Herm) ex Wickinghoff. Scholaſticus Vredenſis.
Pagenſtecher (*A*lexand.)
Peringius (Joannes)
Recke (Ioan *L*. B. de) Dynaſta inDreni-Steinfurto.
Rheden (Erneſtus de)
Rochel (Melchior)
Rolevinck (Werner) Larenſis.
Rutgerus (Joannes)
Rottendorpius (Bernard) *A*rchiater Monaſt.
Salemakerus (Joannes)
Schatenus (Nicolaus) S. I. ex Nienborg.
Schedelich (Georg) S. I. Dulmanienſ.
Schencking (Ioannes a)
Schelius (Rabot. Herm.)
Schelius (Schwederus) Dominus in Wellfelt & Wellberg.

Schip-

Digitized by Google

Schiphouwerus (Joannes)
Schreiber (Henricus) S. I. Monaſt.
Schröder (Laurentius)
Schücking (Joannes)
Selm (Henricus) S. I.
Sibæus (Henricus)
Sinnigen (Ioan Baptiſta) Stadlonenſis.
Slebingius (Chriſtianus)
Soeſt (Hermannus)
Spormecker (Georgius)
Steno (Nicolaus)
Steverman (Henricus)
Tegederus (Bernardus)
Thier (Theodorus) Wernenſis Werthinenſis & Helmſtadienſis S. R. I. Abbas.
Theodoricus (a Monaſterio)
Tilmannus.
Timannus (Borckenſis)
Torck (Joannes Rotgerus à)
Tympius (Matthæus) Monaſt.
Veſtringius (Henricus)
Ulenbergius (Caſparus)
Waſſenbergius (Everhardus)
Weiſcherus (Willebrand)
Weisſelingius (Hermannus)
Witichindus (Monachus)
Wittfelt (Joannes) S. I.
Wittfelt (Petrus) S. I.

Horum quidem nonnullos a Viris eruditis olim jam celebratos non ignoramus, verum juſto commentario proſecutus eſt nemo. In quam rem egregio adjumento fuerunt Archiva aliaque MSta per Patriam latitantia, quæ juſſu tum ſeſedis Apoſtolicæ tum Sereniſſimi Patriæ Patris integra luſtrare contigit.

III.) MIMIGARDIA ILLUSTRIS EMORTUA, ſive Mauſolæum Virorum Nobilium Militaris atque Equeſtris Ordinis, tum & Armigerorum, Famulorum, Miniſterialium extinctorum fragmentis Genealogicis, *Diplomatis*, ultimæ voluntatis

luntatis Codicillis, & id genus priſcis Chartis, ſigillis denique & Imaginibus exornatum, Ordine Alphabetico digeſtum, & horum queque nomina pariter hic referre Lectorum curioſitas videtur exigere.

Adenois, Aene, Abus, Aickell, Akenſchock, Aldelbokumb, Aldendorff, Alen, Alſt, Alten, Althaus, Alvinckhoff, Ametkorren, Anwich, Andey, Angelmude, Apelerbecke, Apen, Ardea, Ardorpe, Aries, Arnsberg, Asbeck, Aſchenberg, Aſchenbroick, Aſchwedde, Aſtelen.

Bachlo, Backe, Balcke, Barnsfeldt, Beckhuſ, Bedelke, Beeſten, Bele, Bellerinck, Benthem, Berchem, Bergen, Beringhuſen, Beemetvelde, Bernvelde, Berſtrate, Bever, Beveren, Beverſorde, Bibber, Bilenhauſen, Billerbecke, Bilſtein, Biſſendorpe, Bitter, Blomen, Blomenfelt, Bock, Boddeſeldt, Boderike, Bœmen, Bohenevorde, Bökensveld, Boikholt, Bokum, Boland, Bolswing, Bonenkampff, Borchorſt, Boſenſagen, Bozzelar, Bramboren, Brandenbecke, Branteleghet, hodie *Brandlegt, Brawen, Brein, Brencke, Broick, Broickhauſen, Brugge, Brunen, Brunninchus, Budricke, Burbeine, Bure, Buren, Burſe, Buſch, Butberch, Byne.*

Calenberg, Calff, Calle, Campe, Capelle, Cappenberg, Clevorn, Clæt, Clotesburg, Cobbinc, Colvenburg, Cortenhorn, Crane, Craſſenſtein.

Del, Delhauſen, Danckeren, Darenborgh, Darfeldt, Davensberg, Deeſt, Deipenbroick, Deipholt, Dene, Derben, Devesburg, Didinghove, Dienhuſen, Dingden, Dinckelburg, Dincklage, Dinſinck, Dodingwerde,

werde, Dodorff, Doppelkiſte, Döring, Dortſeld, Drolshagen, Dudinck, Duſcher, Duve,

Eckel, Eckelborn Eckholt, Eldenkerck, Elen, Ellene, Ellnere, Elſen, Elſepe, Engelraidt, Enſe, Epe, Ermel, Ermelinckhoff, Eſtinbuß, Everſtein, Eyll.

Falckenberg, Falckenhoff, Fiſcheringk, Freſeker, Freydag.

Geemen, Gehlen, Geiſt, Geiſtern, Genegge, Grevell, Grevinckhoff, Grolburg, Gruel, Gruiter.

Hacke, Hackenen, Hagenbeek, Halliwat, Halveren, Hammeren, Hane, Harkotten, Harmann, Harpen, Haveſtadt, Heeck, Heesſen, Hegge, Heiden, Heigen, Haldene, Helleveld, Helſepe, Hemme, Hemmerden, Hemmeren, Henck, Hengelburg, Hennene, Hene, Herberen, Hering, Heringen, Herricke, Herſefort, Hetterſcheidt, Heuckelheim, Heven, Hewan, Hoberg, Hœrde, Hœtmer, Holte, Holthuſen, Holtey Holtwich, Horſtelo, Horſtmar, Hoſen, Hove, Hovell, Hover, Huchtenbrock Hueff, Hugepott, Huiſten, Humet.

Ichterlohe, Ickorne, Ieger, Iſpelinckrode, Ittere, Iudevelde.

Kakelsbeck, Kamp, Karnapff, Keppe, Kerckering, Kerſecroff, Kigge, Knehem, Knippenborg, Knippinck, Kobbenrodt, Koppel, Korte, Krakerugge, Krechtinck, Krenwaldt, Kuchelskeim,

Lar,

Ler, Lamberg, Landtegge, Langeracke, Langen, Langenholthuis, Lappe, Legden, Leining, Lembeck, Leters, Lette, Leverwaldt, Leyte, Lindenhorſt, Linne, Lochueſen, Lovincklœ, Ludinckhuſen, Luicken, Luikenbeck.

Malemans, ſive *Meliken, Mandelkern, Marck, Marhuſen, Martene, Medebecke, Mechelen, Meldrike, Meinhövell, Meihers, Meitlar, Mengede, Meppen, Metelen, Morrien, Muddepſenning, Mullenheimb, Mumme, Munſter.*

Naſchart, Naſe, Neine, Nevengraben, Neuhoff, Nevinckhoff, Nœrtkerke, Norrenthin, Northoff, Nunning, Nyenborg.

Obergh, Oeding, Oelden, Oell, Oer, Oeſthoff, Offer, Oiſtendorff, Oisbeveren, Oldendorpe, Oldenhus, Olepe, Oſtenvelde, Ottenſtein, Ou, Ovellacker, Ovenſtroot, Overbecke, Overhagen, Overhueſs, Ozeden.

Palzad, Padeuburg, Papenborg, Pattberg, Pentlingh, Piekenbroik, Pirchel, Prael, Praſtinck, Prattenburg, Prekell.

Raſfeldt, Rechede ſive *Reggede, Remblinghuſen, Rhem* in *Rhede, Remen* in Barnsfeldt, *Remen* in *Nyenborg, Rene, Rhamesbergh, Rhee, Rheve, Rhuer, Riſſe, Roche, Rochell, Rodberg, Rode, Rodinghuſen, Rodorpe, Rogge, Roſt, Rudenberg, Rüer Runckiel, Ruſpe, Ruſſe, Ruthen.*

Sand-

Digitized by Google

Sandvort, Saſſe, Schaede, Schaepbuſen, Schedelich, Schedingen, Schenck, Schenckbiers, Schenckinck, Schilder, Schleper, Schmüllinck, Schonebecke, Schueſſuth, Scrodere, Senden, Seppenhagen, Sithen, Slipſen, Sobbe, Solde, Sontag, Spegelinck, Spegell, Speke, Spieker, Stael, Stecke, Steinbell, Steinhule, Stille, Stockhuſen, Stockum, Stodlo, Stodle, Stormede, Strenen, Stricks, Stramberg, Sunderen, Sutloen, Suverke, Syber.

Tenckinck, Timminckhoven, Tinnen, Torck, Travelman, Tulen, Twent,

Vaerſt, Vagedinck, Valcke, Valckenberg, Vasle, Uding, Vechtorpe, Velt, Velen, in *Raesfeldt, Velmede, Veltcecen, Venne, Ulenbroik, Uhlenkotten, Vincken, Virmondt, Visbecke, Viſchering, Umminck, Uncruet, Voesbreet, Voet, Vogt, Volckelninckhauſen, Volen, Voorhelm, Vörden, Vortlage, Voſswinckell, Vredinckdorff, Vreſelere, Vreſenburg, Vroboſe, Vysbecke.*

Wael, Wallſum, Wandhoff, Warberg, Warendorff, Warmelo, Warſtein, Wedderen, Wehrdt, Welberg, Welffer, Wellefeldt, Welpendorff, Wemunckhauſen, Wendt, Wenne, Weringkhauſen, Werle, Werne, Wernze, Weſeke, Weſslar, Weſterholdt, Weſterwyck, Weſthauſen, Weſthoff, Wever, Wicke, Wickinghegge, Wielich, Wierſche, Wiglohn, Winckelhuſen, Winter, Wiſchering, Witenhorſt, Wittene, Wolckelheim, Woldthaus, Wrede, Wulfesberge, Wulff, Wulſhen, Wullen, Wyert.

Digitized by Google

IV.) HYPERASPISTAS DIPLOMATICUS, cujus ſupra injecta eſt mentio. Hoc opere *Io. Géorg Eccardi*, qua tum temporis adhuc Luthericolæ cavilli & ſcommata in Carolinæ munificentiæ antiquas Chartas & Præcepta, ſpeciatim vero in Diploma *Caroli* M. Osnabrugenſi Eccleſiæ de Scholis Græcis & Latinis anno 804 conceſſum evibrata retunduntur, ſimulque diplomata *Caroli* M. Werthinenſibus ſuper *Lothuſa*, *Trutmanno* Comiti ſuper judicio & Malleo Publico, Gertrudi Neuſtadienſe, Bremenſe aliaque conceſſa ceu admodum genuina & ſincera a Vaniloquiis Critici affuciisque vindicantur. Verum quod *Eccardus* b. m. tum privatis litteris tum orthodoxam fidem amplexus Palinodiam rite cantaverit, publice etiam, modo ſupervixiſſet, recantaturus, utique hæſitabit Auctor cum ejus Manibus poſt tot annorum ſilentium luctari. Hoc ſcio tamen ex Amicorum relationibus ſub alio titulo Refutationem Auctorem decreviſſe, nempe inſtituto in Campis Elyſiis demortuorum colloquio ad methodum ArchiEpiscopi Cambrenſis hodie apud plures uſitato, quamvis ſub hoc Apologo gratiam operis nec non argumentorum acumen, ne dicam ipſam probandi vim atque energiam haud mediocriter labefactandam provideret.

V.) PERIOCHE HISTORICA Illuſtr. S. R. I. Abbatum Werthinenſium & Helmſtadienſium multis Diplomatis Archivorumque Inſtrumentis Numiſmatis variisque Tabulis æneis hactenus ineditis illucidata. In quam rem tam Fel. mem

Ill

Illmus Abbas THEODORUS THIER Archivi luſtrandi facultatem benigniter concedendo, quam Illmus Antiſtes hodie regens L. B. de GEISMAR benigne Inſtrumentorum, numismatumque veterum &c. communicatione ſymbolum conferendo non vulgare promeruere Elogium nulla hominum temporumve injuria delendum.

VI.) HISTORIA ESSENDIENSIS ſive Vita S. R. I. Antiſtitarum Principum Eſſendienſis Ecclesiæ, ubi Auctor ex inſtituto Sanctitatem Fundatoris D. *Alfridi* operoſe propugnat.

Accedunt Appendices: Fundatio *Montis Stoponis* vulgo Stauſſenberg, tam & ceterorum Civitatis Cœnobiorum piarumque Fundationum Imperatorum ac Regum Privilegiis & Diplomatibus undique roborata, interſperſis paſſim Abbatiſſarum Imaginibus, Sigillis & Numismatibus hactenus publice non viſis, ne dum a quopiam Typo productis. In quo ſimul & Alfridianum dotisDiploma a dubiis Sammarthanorum ob externam recentioris Fabricæ formam genuinum optimæque fidei aſſeritur.

VII.) AUCTARIUM GLOSSARII CANGIANI ſive Analecta Mediæ & Infimæ Latinitatis, ex priscis præcipue præſtantioribus Archivorum Patriæ Chartis & monumentis ordine Alphabetico congeſta. Operi huic qua ornando qua complendo forte inſeret D. *Nunningius* ordine Alphabetico, quod ſeparatim edendum collegerat Gloſſarium Medii infimique ævi Numisma-

miſmaticum ex ore vulgi non raro decerptum, ac proin interprete non indignum.

VIII.) HENRICI II. Cognomento *Sancti* Imperatoris & CUNEGUNDIS Conjugum VINDICATA CASTITAS. Huic opellæ anſam dedit ipſiusmet HENRICI Diploma anno D. I. MXIII. *Werlæ* Eccleſiæ Hildesheimenſi conſignatum, quod Leibnizius *Tom. II. S. R. Br. p.* 155. *ſq.* primus in lucem protraxit, in quo non tantum de conjuge, ſed & de Prole Regia adducitur mentio, verbis: *Pro Conjugis Prolisque regalis incolumitate.* Ea vero cum Virginitatis conſilio fortiter repugnare eruditi plures iique ſummi contenderent, *Auctor* pro defendenda Caſtitate operam ſuam deſiderari noluit.

IX.) AVERENDORPIUM, Veſalienſis Suburbii Illuſtriſſimus quondam Partheno, a D. D. *Godefredo* & *Ottone* Capenbergæ Comitibus munifice fundatus, ex Rheni undis eruderatum. Mantiſſæ loco accedit Elenchus *Præpoſitorum, Decanorum,* & *Scholaſticorum* &c. Inclytæ Xantenſis S. *Victoris* Baſiliæ &c. Favebat fortuna in non unas hujus Parthenonis incidendi veteres Tabulas, nec non MSctos ejusdem Codices, quorum beneficio Hiſtoria loci egregie illuſtraretur, unde Poſteris gratum hoc non potuit non præſtare D. *Nunningius.*

X.) GERBSTADIUM quondam *Friderici* Misniæ Marchionis Monaſterienſis Episcopi inſigne donum, proin D. *Pauli* Patrimonium hodie avulſum,

ſum, calamo hiſtorico reſtauratum. Oſtendit Cl. Auctor illud Parthenone Nobilium Virginum, quarum Antiſtitas quasdam nominat, extitiſſe percelebre, annuos ſimul reditus Eccleſiæ Monaſterienſi ex hac Toparchia olim obvenientes commonſtrans. &c. &c.

XI.) ACHATES Gemma S. Maxminiana ab erroribus Vulgi expurgata. Repræſentat quidem illa Virorum ſummorum opinione familiam Carolinam, at quos ſingulæ imagines in eadem conſpicuæ referant, non eadem omnium ſententia decidit, quos Noſter vel componit vel palam refutat.

Quia nihil mediocre in Magno *Carolo* Imperatorum Orthodoxorum Maximo exiſtere Auctor ſemper ſtatuit, erroneas vulgi de eo opiniones tum deſtruere atque a fabulis vindicare, tum ambiguas elucidare, veras quoque adſtruere ſedulam navans operam, ſequentes digerere diſceptatiunculas horarum ſubciſivarum duxit pretium.

XII.

I.) CAROLI M. Natalium locus, exploſis de illo ad Unſtrutam Fluvium Conceptionis, non tantum vulgi ſed & Virorum nominatorum erroribus ſtabilitus.

II.) CAROLUS M. Reliquiarum Cultor ex Eccardo ad verſus Eccardum oſtenſus.

 III.) CARO-

Digitized by Google

III.) CAROLI. *M. Sorores.* An præter *Giſlam*, quam unicam illi fuiſſe Eginhardus contemporaneus ejus Vitæ ſcriptor perhibet, aliæ fuerint, & quæ? operoſe oſtendit, ſpeciatim Monumentum ADÆ Treveris inſcriptum ad examen revocans. Ubi ſimul data opera diſquiritur an *Roſchevinda* Hiesbornenſium proto antiſtita ſororum Carolinarum Cætui adſcribenda ſit.

IV.) CAROLI M. Uxores legitimæ & illegitimæ. Labor vel inde majori hiſtorica utilitate ſusceptus, quod Concubinæ cum Uxoribus legitimis, hæ cum illis paſſim confundantur.

V.) CAROLUS M. an ſciverit ſcribere? In Hiſtoria Med. Ævi verſatos non latet famoſa illa velitatio, *Carolus* M. an ſcribere ſciverit, nec ne? De hac controverſia ſolliciti cumprimis extiterunt *Gaguinus*. Hiſtor. Franc. Scriptor, *Baudelotius* D' *Airval*, *Thulemarius*, *Schminckius* ac noviſſimis temporibus in Academia Duesburgenſi percelebris Anteceſſor *Io. Henr. Withovius*, præcipue vero & ante omnes nominandus veracisſimus vitæ *Caroli* M. ſcriptor *Eginhardus*, tum aſſerendo tum negando pertractarunt, Auctor autem noſter tot ſcriptorum in diverſas abeuntium opiniones ſolita accuratione perſcrutatus, quo diſertius componeret, curas ſuas elocare non detrectabit, in eam potius ſententiam inclinans Imperatorum maximum Carolum ac longe ſagacisſimum ſaltem ſcribere librosque corrigere ſciviſſe, tametſi perfectionem artis, quod ſero hos conatus inſtituisſet, nunquam fuiſſet aſſecutus.

VI.) CARO-

VI.) CAROLI M. Imagines genuinæ. Ubi in Picturam pretioſo Bibliorum Codici in Archivo D. *Pauli* ad viam Oſtienſem olim, hodie in Bibliotheca ad S. *Calixtum* Romæ ſervato præfixam ac CAROLUM quendam repræſentantem data opera inquiritur ſimulque CAROLO CALVO vindicatur.

XIII.

Subnecto ejusdem Opusculorum ſive diſſertatiuncularum Dodecadem in Rem Numismaticam oppido facientem, quo omnium primo refertur.

I.) ARISTARCHUS NUMISMATICUS. Quo denarii potiſſimum ævi Medii uque cavi legitimis ſuis percusſoribus revindicantur.

II.) LUCILLARUM TRIAS. Quarum Primam *Lucii Ælii* Cæſaris Uxorem, Alteram *Lucii Veri* eſſe, Tertiam vero a geminis prædictis alienam dari Auctor ambigit, etſi a nonnullis ſtatuatur.

III.) HELENARUM TRIAS. Hanc exiſtere permotus ſententia *Chiffletii* non inficiatur D. *Nunningius*.

IV.) FAUSTINARUM TRIAS. In hac oſtendit Auctor ſe ſe obſervaſſe hoc præcipuum diſcrimen, nimirum primæ, quæ Uxor erat *Antonini Pii*, faciem non nihil longiorem majorem, pleniorem, in quo differat ab illa ſuæ filiæ Uxoris *Martii Aurelii*, utpote facie minori rotunda, cum oculis minoris circuli, tum quod

Matris capiti parvus Galerus ſupra impoſitus, filiæ vero poſt caput ſimilis vel a priori paululum diverſus affixus conſpiciatur, ut cetera ſigna diſtinctiva & præcipue inſcriptiones omittam. Tertia *Fauſtina* Uxor *Elagabili* extitiſſe oſtenditur toto cœlo tam quoad phiſionomiam, quam capillorum ornatum a præmiſſis diverſa atque ANNIA FAUSTINA ſemper nominata.

V.) CONOB ſive COMOB nummis inſcriptum explicatum. Vexatam inter eruditos hujus exergi elucidationem Auctor noſter feliciter executus ſuo tempore Lectorem recreabit.

VI.) NUMMUS EUTHIMI NIKA inſcriptus explicatus. *Conſtantini Landi* de hoc nummo opinionem prolixe tuitus Auctor, exoticas ceterorum non obſcure videtur rejicere.

VII.) *Diſceptatiuncula de Nummo argenteos* THOR *ſive* THURGUTLUNTIS. *inſcripto.* Hunc nummum a Cl. Kedero expoſitum non infeliciter explicat *Nunningius.*

VIII.) HERCULES POLYNIMUS. Ut paſſim Diſſertatiunculæ ſub eruditorum manibus in Commentarios integros præter opinionem excreſcunt, ita & præſentem ad juſti tractatuli molem aſpiraſſe agnoſcit *Auctor*, Herculis prædicata hactenus inter Litteratos inaudita ex lapidibus Romæ recens repertis eruderans.

IX.) ME-

IX) METALLOTHECA WESTPHALICA, quo Metropolitani Colonienſes, dein Monaſterienſes, Paderbornenſes, Osnabrugenſes, Hildesheimenſes, Mindenſes ceterique tam Archi & Præſulum quam Oppidorum Weſtphalicorum nummi, qua in Muſeo Auctoris exiſtentes, qua dificientium ſaltem typi adjecto ad ſingulos Commentariolo Curioſorum indagini ſiſtuntur. Non minoris laboris quam ſumptuum opus multa hactenus publice non cognita ne dum viſa luci exponens.

X.) *De Nummis* ATTILÆ *Hunnorum Regis.* Ubi examini ſubjiciuntur Numismata a *Chiſſletio*, Veſont. *Mediobarba* Opere Numismatico, *Kedero*, Barone de *Craſſita*, *Eccardo* ac noviſſime *Köhlero* evulgata.

XI.) SCHEDIASMA de omnis ævi atque metalli Numismatis tum Iconibus tum Epigraphis qua ominoſe qua vitioſe vel cuſis vel inſcriptis.

XII.) Apotelesma da Talismate *Martis* Benthemico &c. Occaſione reparati ad Benthemium arcem Annis ſuperioribus propugnaculi ad mænium pedem reperto. Forte illud Monumento Benthemio ſacrando Mantiſſæ loco annectetur, unde non urget pluribus eidem inhærere.

XIV.

Sequitur ejusdem MISCELLANEORUM VOLUMEN I. continens ſequentes Tractatus:

I.) MUSEUM NUNNINGIANUM. Diviſum eſt illud in plures arculas ſive armaria Nummis veterum amplius bis mille omnis æris atque ævi repleta, alia vero Urnas ſepulcrales & Teſtatia aſſervant, alia Deaſtrorum Icunculas oſtentant, alia Litozoa, alia Concharum ſeriem, alia alias omnis generis Antiquitatum reliquias continent, quæ late hoc Tractatu deſcribuntur.

II.) APOTELESMA de Gladiis Litteratis. Hunc Tractatulum elaborandum aggreſſus Auctor occaſione gladiorum non ita pridem prope Xantos repertorum, Crucibus aliisque inſcriptionibus inſignium. Inter quos unus Arnhemum ad manus V. C. *Ioannis Henrici Cannegieteri* primum translatus ejusdem, dein dono ad Muſeum Wieckinghovianum reverſus eſt hac Inſcriptione memorabilis: † S. SUIGOLBERTUS VICITE. †

III.) DIATRIBA de Veſtibus Sacris & Litteratis. Cum aliquandiu, nec ſine profectu tamen, illi poliendæ perficiendæque iuſudaſſet, tandem in Ill. Ioſephi Maria Suareſii Vaſionenſis Episcopi ſententiam descendere non detrectavit, utpote qui in *Diatriba de Veſtibus Litteratis* Vaſioni ao. 1651. impreſſa gratis in his viros doctos inſudare perſuaſus in hæc verba erumpit: *In iſtis ergo Elementis;, qua ad Arbitrium libitumque artificum & caſu perſæpe ſculpta fuerunt, animi nervos acrius intendere, ac ingenii aciem deterere atque obtundere diutius, bonasque horas collocare nihil aliud cenſeo, quam oleum & operam perdere; ſatisque fore duco, ſi agnoscamus & fateamur inge-*

nue

nue litteras illas tantummodo pictas, attextasque, ut veterem veſtibus intexendi elogia conſuetudinem indicarent.

IV.) D*iſſertatio Critica de APOLLINE GRANNO* Auctor noſter profligatis nonnullorum argumentis *Apollinem* non alium quam *Crinitum* hic ſubeſſe concludit,

V.) Epiſtolæ geminæ Amabææ de *Patellis Iridis* vulgo Schemminge, ſive Hollmüntz. Harum unam ad D. *Io. Henr, Cohauſenum* D. Nunningius alteram ille ad eundem exaravit, quibus *Hedleri* ſententia de Cymba globulum aut oculum ſub nomine *Odini* borealis Numinis vehente ac in bracteato Numo comparente discutitur atque rejicitur eaque præfertur, quæ lyram Hyberniæ inſigne in eo repræſentari animadvertit, qua occaſione de origine vocis multa paſſim non cognita hanc in rem proferuntur.

VI.) *Notæ Critica in Codicem MEGINHARDI* MSctm de *Alexandri* Martyris corpore per WALBERTUM Comitem *Widikindi* Magni Nepotem Roma allatum ſive Ephemerides itineris Romani WALBERTI Comitis &c. Extat hic Codex in Celeber. *Friderici Pacii* Bibliopolio anno 1700 cum aliis magni pretii & raritatis Voluminibus tum editis tum MSctis 400 Flor. venum expoſitus. Qua occaſione in Monumentum *Walberti* Comitis Vredenſis Baſilicæ, quod Xenotaphium ejusdem eſſe nonnulli contendunt, ſtudioſe diſquiritur.

MIS-

Digitized by Google

MISCELLANEORUM HISTORICO-POLITICORUM VOLUMEN II.

Addo adhuc nonnullas ſchediasmatum Embriones ſatis quidem elaboratos, attamen ultimam manum nondum paſſos.

I.) Tractatus de *Cruce*. Scopus Auctoris eo præcipue collimat, ut originem ſigni Crucis tam in nummis quam ſigillis ejusdemque diverſitatem, tum & variam in Heraldicis ſignificationem explanet.

II.) Francorum Regum nec non Imperatorum Occidentalium *Palatia*, pleraque a Mabillonio prætermiſſa.

III.) Diſſertatiuncula de *Jure Prædiorum Curiali* vulgo Hoffrechten. In qua jura tam in Curia Episcopali Stadtlonenſi quam in Illmi S. Felicitatis Capituli Vredenſis quotannis ſolenniter renovari ſolita exponuntur.

IV.) De *Jure Diffidationis*. Haußrecht. Hanc conſuetudinem potiſſimum per Weſtphalorum vicinasque regiones ad ea asque tempora invaluiſſe notum eſt, cum præter Frigraviorum poteſtatem & judicii Weſtphaliæ (haim-ſive Stillgericht) nulla per hanc Patriam ſive Eccleſiaſtica ſive ſecularia Aulæ ut vocant, tribunalia inſtituta

Digitized by Google

tuta eſſent. Ubi multæ diſſidationis formulæ, quibus tum Militaris Ordinis Patriæ ſtatus ſe ſe mutuo tum ipſum Episcopum Patriæ Patrem aggresſi, rapinas & incendia, & nescio quas diras impune annunciarunt.

V.) De Claris *Agiis* ætate contemporaneis.

VI.) *Buodo* ſive *Dodo*, qui & *Poto* Palatii Regii olim Diaconus, poſtea ad Judaismum delapſus critice expenſus.

VII.) *Dagoberti M. Diplomata ex Autographis S. MAXIMINI* prope Treveros reſcripta, æri nativis literis inciſa ſcholiisque illuſtrata. Horum exempla urgente D, *Nunningio* ego Treverenſis Academiæ quondam Medices Profeſſor ad amusſim delineari curavi.

VIII.) *Sigilla Francorum Regum discuſſa & explicata.* In hoc opusculo ſingulari ſtudio ſinceritatem Sigilli Carolino Diplomati pro *Luthuſa* Werthinenſibus ao. 789. dato impreſſi atque una ipſiusmet Diplomatis veritatem tuetur.

IX.) Hiſtoria Illuſtriſſimorum Comitum de *Salm* Genealogico - Diplomatica.

X.) Episcopi ſub Regibus Francorum an fuerint S. R. I. ut hodie cum poteſtate ſeculari ſive gladii Principes?

XI.) *Pla-*

Digitized by Google

XI.) *Plagium Sacrum ſive Pia Reliquiarum furta.* Hoc libello ſpecialis circa reliquias D. Benedicti furto ex Caſſinenſium Eccleſia olim oblatas inſtituitur inveſtigatio. Mantiſſæ loco Litteræ Virorum Eruditorum, quibuscum hoc argumentum pertractavit Auctor, ſubnectuntur.

XII.) *De Jure Grutiæ Nunningii & Cohauſeni Epiſtolæ geminæ.* Sed illas forſitan Monumenti loco inter ea, quæ Mimigardiæ Urbi ſacranda meditatur, evulgabit cl. Nunningius.

Elenchus

Digitized by Google

Elenchus Virorum Illuſtrium, Libris qua editis qua MStis Celeberrimorum, quibuscum non tantum frequens Litterarum Commercium, ſed & infucatam tam apud Italos, Batavos, quam Germanos, etſi invicem nunquam viſos, hactenus excoluit amicitiam.

PRÆFATIUNCULA.

Miras habet illecebras Viri Scientifici doctrina, quæ non tantum præſentes ſibi devincit, ſed & longe abſentes allicit, & ad Commercium Litterarium invitat, ex quo tum ad rem Hiſtorico-Antiquariam tum maxime Phyſicam plurimi fructus proveniunt; nil namque novi, quod plura paſſim ingenia imo uno eodemque tempore circa idem objectum ſedulo occupentur, atque deſudent, qui ſi in unum finem conſpirent, mutua fidaque Communicatione magna ſibi acquirere poſſunt ſcientiarum adminicula. Sicuti enim per Commercia Epiſtolica mercatura & Belli Paciſque fœdera, verbo: omnia humani generis negotia, ſic & cumprimis bonæ literæ ſubſiſtunt. His utique rationibus permotus Cl. D. *Nunningius* cum multis Viris Celeberrimis correspondit, quorum nomina recenſere jubavit. Reperio namque in Vitæ præcipuorum Medicorum Hiſtoria, Funebribus Orationibus celebrata, & eos honorifice memorari, cum quibus Commercium Litterarium fovit defunctus. Non igitur diſplicebit adhuc viventibus, &, quod in votis eſt,

quam

quam diutiſſime victuris Viros Illuſtriſſimis Natalibus non minusquam omnifariæ Eruditionus genere longe præſtantiſſimos Amicosque jam per annos correſpondentes ordine Alphabetico hic conſignare.

D. BEESTEN (H. â) ICtus Comitatus Benthemici Primarius Iudex & Gogravius in *Schuttorff, Benthem* & *Embsburen* &c. Qui recudendo P. Hachenbergii *Tubantum Redivivum* anno 1741. vota eruditorum explevit. Hic ut affinitate ſic quoque confidentiori Epiſtolari Colloquio junctus reciprocam Diplomatum, Inſtrumentorum MStorumque Veterum communicationem continuare Muſisque hac ſparta litare nullus intermittit.

D. BENDITT (*Caſper Ioſeph Wilh.* Baró de) Dynaſta in *Werl* & *Neuwerck* &c. Prænobile Minervæ corculum non inauſpicato ſydere progenitum. Utriusque Commercium Epiſtolicum non ita nuper cœptum promovendis rebus tam phyſicam quam antiquitatem hiſtoriamque univerſalem ſpectantibus apprime hucusque excultum non exile pollicetur amœniorum Literarum incrementum.

D. BENEDICTUS S. R. I. Werthinenſis & Helmſtadienſis Cœnobiorum Abbas, natus Baro de *Geismar* ex *Hueſten* &c. qui benignioris Diplomatum rerumque antiquarum Communicationis laude facile præcellit.

D. *Blum* (H. B.) Illmo & Excellmo S. R. I. Comiti de *Virmond* Dynaſtæ in *Brebzenheim* & *Neers* &c. Cameræ Imperialis Præſidi nuper, hodie vero

vero Excellmo S. R. I. Comiti de *Montfort* &c. itidem Cameræ Imperialis in Præſidio Succeſſori ab Epiſtolis & Secretis, qui non tantum *Ubiorum Aram* anno 1743. *Apologetico* demonſtravit, ſed & Hiſtoriam *Philippi Heinsbergici* Archiepiscopi Colonienſis publico propediem typo conceſſurus dicitur. Hic de ſcribendis ex celeberrima Heri ſui Bibliotheca variis *Monumentorum Benthemenſium* Decadem exornantibus laciniis ſe ſe pronum exhibuit.

R. R. P. P. CALLENBERGII (*Caſparus & Godefridus* Soc. Ieſu) par nobile fratrum rem Diplomaticam & præcipue Numismaticam pertractantes.

D. CANNEGIETER (*Henricus*) J. U. D. Hiſtoriarum apud Arnhemenſes Profeſſor famigeratiſſimus. Qui variis Operibus nomen ſuum immortalitati conſecravit. Hos inter eximii momenti per annos ſuperiores floruit commercium Inſcriptionibus Romanis nondum editis, quas Cl. *Nunningius* ex Alma Urbe ab Amicis acquiſitas largiter communicavit, tum quoque Chamaæis Nummis, Scriptoribusque primæ ætatis enodandis fæcundiſſimum.

D. COHAUSENUS (*Joannes Henricus*) Med. Doctor ac Satrapiæ Horſtmario-Ahuſanæ Archiater &c. quocum per annos plures omnium frequentiſſimum familiariſſimumque Epiſtolarum de omnigena re literaria excoluit commercium &c.

Digitized by Google

D. COHAUSENUS (*Salentinus Erneſtus Eugeninus*) Phil. & Med Doctor in inclyta nuper Univerſitate Treverenſi Facultatis Medicæ Profeſſor Publ. nunc in Urbe Confluentina Protophyſicus, qui Muſeo Numismatico augendo non ſolum ſed & illuſtrandæ Medii Ævi Diplomaticæ varia Francorum Regum Præcepta & Epitaphia hactenus typo non expoſita nativis litteris atque ſigillis ex autographo Cippisque ſepulcralibus multa cura deſcribendo, præcipue vero enucleandis San-Maximinianorum Antiquitatibus haud vulgare ſtudium operamque impertiit.

D. CORFFEJI (*Lambertus* T. de) Rei Pyrotechnicæ ac Tormentariæ apud Monaſterienſes Generalis, non tantum ab omnigena amœniorum Literarum eruditione, raro Martis exemplo, ſed & ab ingentis pretii omnisque æris Muſeo, quod *Europeum* vocat, famigeratisſimus.

D. FICORONI (*Franciscus*) quondam, cum Romæ degeret, Cl. *Nunningii* Præceptor fidisſimus, Vir opera non una antiquaria celebratisſimus.

D. Gœzius (*Zacharias*) antiqui Corolini Gymnaſii (quod Osnabrugi floret) Rector, cum viveret, Magnificus; In cujus Opusculis typo editis quia frequens eaque perhonorifica D. *Nunningii* occurrit memoria. De quo vide Muſeum Gœzianum Præfat. *p.* 3. *p.* 107. 239. 240. 241. Ejusd. Epiſtol. III. *Athanaſii Kircheri* S. I. ad *Auguſtum* Ducem Br. & Lun. in quibus præcipue de Eruditorum *Magnetismo*, *Opere Muſurgico* & *Roma*,

quæ

quæ *amor & mora*, quædam traduntur *p. 3.* ſupervacaneum exiſtimavimus in uberiorem Epiſtolici Commercii per annos bene multos invicem habiti excurrere deſcriptionem.

R. P. HENSELER (*Ludovicus* Soc. Ieſu) Matheſeos in Gymnaſio Osnabrugenſi Profeſſor, quocum maxima difficultatis argumenta Medii Ævi hiſtorica & præcipue ad rem Diplomaticam tam univerſaliter quam ſpeciatim *Carolinum Oſnabrugenſe* Diploma de *Scholis Græcis & Latinis* Wiboni Epiſcopo ao. 804. conceſſum ſpectantia digerendo mutuis Epiſtolis conſtanter collocutus eſt.

D. HUESSENUS (*Hugo Franciscus*) S. S. Theol. L. quondam Vicarius Apoſtolicus per Fœderatum Belgium Lugduni Batavorum degens, Auctor *Bataviæ Sacræ* Bruxellis ao. 1714. editæ Fol. Tum *Hiſtoriæ Episcopatuum Fœderati Belgii*, utpote Metropolitani *Ultrajectini*, nec non Suffraganeorum *Harlemenſis Daventrienſis Leovardienſis, Groningenſis,* & *Middelburgenſis*, Lugduni in Batavis typis C. Verniey ao. 1719. Fol. impreſſæ, in cujus Prologo ad *Lectorem p. 9.* Conatuum D. *Nunningii Weſtphaliam Sacram* adornantis in tranſitu ſe præconem facit.

D. LUNING (D. E. de) Dynaſta in *Ellerbrock* & *Landegge*, inter ſtatus Patriæ per Embslandiæ tractum celebris, quocum varias de re Numismatica quæſtiones & dubia Patriæque antiquitates discuſſit,

D. MEINDERS (*Hermannus Adolphus*) ICrus Bilifeldienſis, Conſiliarius & Hiſtoriographus Regis Boruſſiæ, Gougravius ſive Director Dicaſterii Ravensbergenſis, Hæreditarius in *Halle*, qui Nunningiano nomini varias Diſſertationes perquam honorifice inſcripſit, quarum nonnullas huc recenſebimus.

I. Diſſertatio ſingularis ſive demonſtratio hiſtorico - Politico Iuridica, de paucitate ſive raritate Corolinorum Diplomatum genuinorum ao. 1715. die 28. Iunii conſcripta. Accedit ejusdem Auctoris Epiſtola eodem anno die 14. Sept. exarata, quacum Diſſertationem transmiſit.

II. Diſſertatio ſingularis de origine, progreſſu & antiquo ac moderno uſu inſignium ſive armorum & ſcutorum gentilitiorum &c.

III. Epiſtola ſive Diſſertatio Apologetica pro Diſſertatione Nunningiana Epiſtolari de nominibus & cognominibus Veterum Germanorum ac populorum Septentrionalium, quæ occurrit in faſciculo VI. Miſcellaneorum anni 1717. *a. p.* 1. *ad* 37.

Acceſſerunt ejusdem argumenti Epiſtolæ Controverſiam de *Nominibus & Cognominibus Veterum Germanorum* illuſtrantes. &c. &c.

Illmus D. MERVELD (*Ferdinand Dieter.* S. R. I. Excell. Comes de) Taparcha in *Lembeck*, Dynaſta

Digitized by Google

Dynaſta in *Weſterwinckel*, *Wolbeck*, *Huickſteich*, *Werne*, *Embte*, *Cappel*, *Ablen*, *Sendenhorſt*, *Genegge*, *Darl*, & *Angelmodde* &c. &c. Serenmi Elect. Colon. Princ. Monaſt. &c. &c. Conſil. Intim. Supremus Aulæ Mareſchallus, Satrapa in *Wolbeck*, nec non Ill. Ord. *San.* *Michaelis* magnus Commendator &c. &c. Hic ſpeciale Elogium publicamque gratiarum actionem meretur benigna Diplomatum, Cartarum Speciminum Genealogicorum atque Sigillorum Veterum communicatione.

V. P. MOERCKENSIUS (*Michael*) Cartuſiæ ad S. *Barbaram* Coloniæ Senior & Bibliothecæ domus Præfectus, qui ſequentium operum maximam partem Mstorum penes Bibliothecam Nunningianam tum depoſuit, tum ejus Nomini honorifice nuncupavit.

I. *Michaelis Mörckenſi* Cartuſienſis *Conatus Chronologicus* ad Catalogum Epiſcoporum, Archi-Epiſcoporum, Cancellariorum, Archicancellariorum & Electorum Coloniæ, Claudiæ. Auguſtæ Agrippinenſium ſub prælo ſudans.

II. *Vindiciæ Surianæ* ſive *Laurentius Surius* Hagiographus Cartuſienſis abs æmulorum invidia & obtrectatione vindicatus per Fr. *Michaelem Mörckenſium* Cartuſienſem Coloniæ Agrippinæ anno M DCC XXXII.

III. *Ioannis Columbi* Manuaſcenſis, e Soc. Ieſu Diſſertatio de Cartuſianorum initiis, ſeu quod S. *Bruno* adactus fuerit in Eremum vocibus hominis

hominis redivivi Pariſiis : qui ſe *accuſatum Judicatum*, *Damnatum* exclamabat. Ad editionem Lugdunenſem ao. 1674. recuſa. A. C. MDCCXXXIII. Hoc opus Nunningiano Nomini 1733. perhumaniter inſcripſit.

IV. De S. *Brunone* Sacri Ordinis Cartuſienſis Fundatore *Diatriba Chronologico - Diplomatica* Fr. *Michaelis Mörckenſi* Cartuſ. Alumni domus S. *Barbaræ* V. & M. Colon. Agripp. *Apodixis Chronologico - Diplomatica* ad Diatribam Brunonianam.

V. R. P. *Michaelis Mörckenſii* Cartuſiani ad S. *Barbaram* opusculum MStum ſive Introductio ad rem Numismaticam ao. MDCCXXXVIII. Dono *Wieckinghovium* transmiſſa.

D. PALAZZI (*Franciscus*) Sedis Apoſtolicæ Antiquarius Cameralis, cujus cumprimis illi a quot annis perſpecta eſt humanitas in cœmendis colligendisque omnis æris Numismatis, tum libris antiquariis ex Alma Urbe ſubmittendis, quem fatis ceſſiſſe hoc anno 1744. litteræ Romanæ non minori dolore Cl. *Nunningii* quam Numismaticæ Hiſtoriæ detrimento renunciarunt.

D. POTTGIESSER (*Joachim*) Hujus Commercii beneficio variarum vocum mediæ & infimæ Latinitatis obſcuriſſimarum nec non rei Colonariæ curialis, vulgo Hoffhörigen dictæ (alia ad Hiſtoriam facientia taceo) debetur notitia.

D. RODE-

D. RODERICUS (*Ignatius*) Malmundarienſis J. U. D. &c. hodie Novellarum Gallicarum tum & Commercii Eruditorum *Correſpondence des Savans* &c. celebris ſcriptor, quocum varia Polyhiſtoricæ argumenta, præcipue vero Rem Diplomaticam, Numismaticam atque Hiſtoricam docta juxta ac copioſa litterarum Disceptatione ab annis bene multis pertractavit.

D. RUMP (H. A. *Gerardi Arnoldi* Fil.) Paſtor in *Ibbenburen*, cujus laudabiles Conatus in compilanda rerum *Beuthemenſium*, *Steinfurtenſium*, *Limburgenſium*, *Teclaburgenſium* Hiſtoria dilaudat Cl. editor P. Hachenbergii *Tubanti Redivivi* ſupra laudatus *Præfation. p.* 4. Hic eruderandis Patriæ Benthemicæ V. Æ. Analectis communem operam conferre nunquam defuit.

D. SENCKENBERG (*Henric. Chriſt.*) Vir tam primario in Aula Seren. Principis Rhingravio-Salmenſis Magiſtratu, quam libris omnis ævi Hiſtoriam cancernentibus typo editis edendisque de Republ. Literaria optime meritus, quo cum Rei Numismaticæ tractandæ Variarumque Civitatum Statutis nec non Tribunalium Ordinationibus colligendis ſingulari ſtudio incubuit.

D. STEINEN (*Joannes Thiedericus* à) apud Frömerenſes Comitatus Marchiæ Præco, Vir in Hiſtoria Weſtphaliæ præter vulgus verſatiſſimus, ac plurium Hiſtoriographorum MStis prædives, cui præter *Scaturigines Hiſtor Weſtphal.* (Brunquellen der Weſtphäliſchen Hiſtorie) Ioannis Höb-

 belin-

Digitized by Google

belingii *Deſcript.* Epiſcopat. *Monaſter.* aliorumque editio debetur. Hic erigendo Mauſolæo familiarum *Mimigardiæ* Illuſtrium eruderandisque Veterum ſigillis & inſignibus & præcipue Genealogiis ſuam Symbolam confert.

R. P. STRUNCK (Michael) S. I. Præsbyter S. S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, *Weſtphalia Sancta, Beata ac Pia* non tantum, ſed & libelli occaſione anni ſecularis Translationis S. *Liborii* Vernacula conſcripti Auctor. Idem ille qui *Annales* Schateni *Paderbornenſes* Tomo tertio auxit ao. 1741. Paderbornæ typis *Ferdinandi Ioſephi Schirmer* impreſſo Fol. Atque uti his Operibus expoliendis ſic & Nunningianis Lucubrationibus mutuæ Epiſtolæ navarunt incrementum.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ BIBLIOGRAPHICÆ SECTIO II.

ſive

Variorum Librorum

à Cl. D. *Cohauſen* M. D.

tum editorum, tum ſaltem manuſcriptorum

RECENSIO.

Cum illorum fatis, judiciis, ac Virorum celebrium Criſibus

Partim ex Cl. D. *Nunningii*

WESTPHALIA DOCTA adhuc inedita,

Partim ex Amicorum & ipſius Auctoris Epiſtolis excerpta.

Quanta moderno tempore Cl. Virorum ſit diligentia in deſcribendis Eruditorum & Theologorum & Iuriſconſultorum, & Medicorum vitis, eorumque colligendis ſcriptis, abunde notum eſt, ex Biographorum Catalogis, quos longa ſerie in ſuo lexico ſub finem adducit laborioſiſſimus *Jöcherus.* Inter quos tamen Weſtphalorum mortuorum pauci, viventium nulli locum inveniunt. unde Cl. *Nunningio* viſum eſt in *Weſtphalia* ſua *Docta* accuratiorem Eorundem texere Elenchum, & præcipuos, qui circa eorum ſcripta contigere eventus & criſes, deligentius. quam hactenus quisquam alius, adnotare. Hos inter & Domini Patrui mei Cl. *Cohauſeni* Polygraphi hactenus edita inedi-

Digitized by Google

ineditaque ſcripta cum variis fatorum phoenomenis per litteras illi ab eodem communicatis recenſere non intermiſit. Quæ hic ex *Weſtphalia Docta* cum multis additamentis mihi ex relatione D. Patrui notis repetere, & in uſum Biographorum ſiſtere placuit, addendo pariter ejusdem manuſcripta ſatis rara & curioſa, quorum magna pars jam perfecta prælum exſpectat, modo *D*eus ei vitam viresque in tanto ſenio adhuc uno alterove luſtro concelleri, quod omni ſtudio quoque promovere conabor. Vale lector, & hoſce meos conatus tuo favore ſecunda.

I.

Tentaminum Phyſico-Medicorum Curioſa Decas.

de vita humana theoretice & practice per pharmaciam prolonganda,

Ex Veterum & Recentiorum Philoſophorum ac Chimiatrorum Fundamentis, rarioribus & ſecretioribus inventis, Hiſtorice, ethice, medice, philoſophice, & chymice propoſita, Et omnibus longævitatis Candidatis conſecrata.

Cosfeldiæ ſumptibus Authoris.

Impreſſionis annum ſequens indicat diſtichon chronologicum paginæ tituli à parte averſa impreſſum.

ToLLe,

ToLLe, Lege, hICCe, MeVs, qVæ fert SeCreta LIbeLLVs,
QVIs qVIs VIs PytII VIVere fata SenIs.

Hic liber inter rariores reputari debet, nempe in pauciſſimorum Bibliothecis reperibilis, quia quingenta tantum exemplaria ſunt impreſſa, quorum tantum ducenta per bibliopolam Osnabrugenſem ad nundinas Francofurtenſes, delata, coetera inter amicos in patria Monaſterienſi ab *A*uthore diſtributa ſunt. Magnum invenit applauſum à multis exteris, tum præſertim etiam à medicis eo tempore quatuor *C*ollegis Cosfeldiæ una praxim exercentibus, quorum Carmina aggratulatoria tum Latina tum Gallica ſatis eleganti (a utut ſalias inter Medicos vicinos ſoleat regnare invidia) abunde in authoris laudem excurrunt.

Majorem autem invenit gratiam apud Reverendiſſimum & Celſiſſimum Glorioſiſſimæ memoriæ Principem & Episcopum Monaſterienſem, *Fridericum Chriſtianum*, cui liber inſcriptus & dedicatus eſt, præterquam enim quod præli ſumptus refundi juſſerit, etiam Episcopalis Archiatri titulum, & medici Provincialis Horſtmarienſis & Ahuſani munus tum temporis per mortem Doctoris *Gieſen* junioris vacans cum amplo Salario & immunitatis perſonalis privilegio Authori gratioſiſſime contulit, ut ut ringente nonnullorum patriæ procerum, qui ad illam ſpartam alium medicum fruſtra recommendarant, livore.

Occaſionem operi dedit ſequens Caſus, cujus etiam ipſe Author ſed obſcurius in præfatione ſuæ Decadis meminit. Dedicaverat nempe Cl. D. D. *Conradus Bertholdus Behrens* Reip. Hildeſienſis Poli-

Poliater famigeratiſſimus Celſisſimi Ptincipis & Epiſcopi, *Jodoci Edmundi*, Primario Miniſtro ſchediasma de vitæ humanæ longitudine, ut per hunc promptiorem ad ipſiusmet Domini manus acceſſum haberet. Reſpondet ſucceſſus voto. Defertur ad ipſum Principem cæterosque aulæ Proceres libellus, & inſolita concipitur lætitia, dum certum aliquod vitæ prolongandæ arcanum hujus libelli traditione ſibi communicari quilibet in aula gaudebat; verum eo vix perlecto, dum animadverterent thema ab exſpectatione longe alienum in illis pagellis pertractari; Autoris namque materia erat vitæ humanæ certo à Deo termino incluſæ brevitas, quam in multos annos extendi haud poſſe ſuſtinebat, projectum Schediaſma paucorum lectione & aſpectu dignatum eſt. Hæc eſt occaſio, quæ ad hunc tractatum conſcribendum authori anſam dedit. Formabat etenim ſecum ex ſubitanea ita animorum mutatione hanc concluſionem: ejusmodi librum, qui revera contineat potiora illa veterum ac recentiorum ſtupenda vitæ prolongandæ tentamina, & fore curioſum & cuivis maxime acceptum ac pergratum, cum humana cupiditas mortem remis velisque fugiens unice deſideret eorum ſcientiam, quæ quomodocunque facere poſſunt ad vitæ prolongationem. Et hæc primæva libri hujus eſt origo.

Verum enim vero hic in lucem emiſſus; ut ut nullius neque luci, neque medico in ſpecie mentionem feciſſet Præfatio, multo tœdio viſus eſt affeciſſe laudatiſſimum illum Poliatrum, quem neſcio ad quam vindictam irritabant Collegæ Medici, quaſi vero ignominioſum foret, hunc vitæ poſſibilem

lem prolongationem negâſſe, Authorem vero noſtrum tot illi prorogandæ accomoda remedia tam diffuſo tractatu enârraſſe.

Quocirca vir clarisſimus, cujus memoria pridem in pace eſt, viſus eſt in ſuis SELECTIS MEDICIS Authori noſtro bellum litterarium indicere, quando ſtatuit non dari medicinam univerſalem, quod variis argumentis exaggerat, ſibi perſuadens, Authorem noſtrum pro ea, qua eſt animoſitate, illis reſponſurum. Sed nihil peritus reſpondit, disſimulans quaſi *Selecta medica* non legiſſet. Quod ſilentium ægre ferens Cl. *Behrenſius* ipſe literas ad D. Patruum perſcripſit, notificans ſe illam Sententiam in *Selectis medicis* oppugnaſſe cujus defenſionem exſpectaret. Reſpondit D. Patruus ſe illius poſtulati non agere hyperaſpiſten, ſed ſaltem inter vitæ longæ tentamina ens univerſale & medicinam univerſalem repoſuiſſe, adeoque nolle cum Concive & Amico altercationis ſerram propter fortaſſis non ens odioſam trahere, ſic nunquam ad arma deventum eſt præter exſpectationem Æmulorum, qui virum optimum & pacificum ad monomachiam litterariam exſtimularant. Scio virum præclarum donec viveret, quæqunque D. Patrui ſcripta in lucem prodeuntia accurata indagine perveſtigaſte, num quid ad ſe pertinens in iis contineretur, quod litigiis & velitationibus anſam præbere poſſet.

Si omnium Medicorum de hoc libro elogia enarrare vellem, magnus illorum eſſet ineundus numerus. Adducam duntaxat duos. Cl. D. *Zacharias Fürſtius* Archi-Episcopi primum Treverenſis per multos annos, & poſtea Monaſterienſis Epiſcopi

copi

Digitized by Google

copi *Friderici Chriſtiani* Archiater in literis ad Autorem datis *Opus laudatiſſimum & ex omni parte abſolutisſimum Ingenii fœtum* candidisſime, nam in Viro ſi quo alio ſynceriſſimo nullus fucus erat, appellat. Non minus laudabiliter de illo judicat Cl. P. *Nivronus*, Conſiliarius & Archiater Duciſſæ Curlandiæ, Abbatiſſæ Herfordienſis in literis Reſæ 1721. 2. Januarii ad Autorem datis. *Legi tentamina tua admodum Curioſa eadem ſane voluptate & admiratione qua alii, quibus hunc tractatum minus notum ante aliquod tempus communicaram.* Etiam atque etiam rogat Diſputationem de liquore Alcaheſtino Helmontii, ut gratiſſimo hoc munere lætitiam ex prioribus doctiſſimis Criteriis Myſteriisve perceptum augere ne deſit. &c.

Adjungam tandem pro iis quibus nunquam viſus eſt rarior hic liber Elenchum Tentaminum in eo contentorum Tentamen I. Arbor vitæ curioſe inquiſita.

II. Præſidia ad vitam longam in ſacris literis quæſita,

III. Vita longa coelitus comparata à Platonicis & Aſtrologo-Chymicis.

IV. Vita prolongata ab Hermeticis per lapidem Philoſophorum.

V. Remedia longævitatis ex auro petita.

VI. Longævitas ex Ente univerſali hauſta.

VII. Vita medicamentis Balſamicis conſervata.

VIII. Remedia longioris vitæ ex animalibus vivacibus ac longævis deſumpta.

IX. Indagata in ipſomet homine longæ vitæ Phylacteria.

X. Pro-

Digitized by Google

X. Prolongatio vitæ mediante abſtinentia acidi fuga frigidi, & crebriori uſu ſalium volatilium.

II.

Tentaminum Phyſico - Medicorum de vita prolonganda.

DECAS CURIOSA SECUNDA.

Decadi huic multam longamque operam impendit Autor, nempe quæ continet ſublimiora artis Spagyricæ Arcana hactenus gryphis involuta, in illa vera ex fundamentis Chymico - Philoſophicis elucidata, & adjectis rarioribus inventis & experimentis illuſtrata. Quia vero in Weſtphalia non adfuit etſi quæſitus, qui huic Decadi imprimendæ ſumptus faceret, Bibliopola, non impreſſa hactenus remanſit. Immenſo labore novos conſcribere libros, propriisque expenſis prælo ſubiicere, cum non ſit de pane lucrando, non enim niſi Bibliopolis quæſtuoſis omnis inde cedit utilitas, teſte experto Roberto, ſumptus Autor periclitare noluit peregrino lucro ceſſuros. Interim Curioſis non ingratum erit, Tentaminum quoque hac in Decade propoſitorum Syllabum hic adjicere. I. Arbor vitæ rediviva. II. Interiora terræ viſitata. III. Centrum mundi Coelo concatenatum. IV. Ambita de immatura morte Victoria. V. Theſaurus vitæ repertus. VI. Fons vitæ detectus. VII. Radix vitæ vegetata. VIII. Vita per vitam confirmata.

IX.

Digitized by Google

IX. Fundamentum vitæ ſtabilitum. X. Dulcedo vitæ & totius Medicinæ Corona.

Tituli ſufficienter docent, non minora in hac, quam in prima Decade comprehendi vitæ prolongandæ tentamina. Facilis fortaſſe videri poſſet nonnullis circa illa impenſus labor. Sed ſi ab Univerſitate quadam aut Pariſienſi aut Burdegalenſi programmate quodam proponeretur pro bravio aureo intra anni ſpacium elaborandum hoc thema, dubito profecto, num quis eſſet inter omnes alienorum operum inſulſos cenſores futurus, qui Argumentum hoc ſufficienter & pro dignitate elaboraret, niſi ipſam, de qua quovis tentamine diſcurrendum eſſet, materiam Autor unà proponeret. Alius itaque Tractatui huic præfixus eſt horoſcopus, quem meliori fortuna in *ſupremo Medicinæ apice*, exſpectat.

Digitized by Google

III.

Mauſolæum Gloriæ Politico-Panegyricum

XXV. *Principalium virtutum Columnis erectum.*

In quo Principis Pacis Chriſtiano-Politici idea in Glorioſ. Memor. Principe *Friderico Chriſtiano* Monaſterienſium Epiſcopo Sexageſimo ſiſtitur, & appenſis Symbolicis veræ Nobilitatis & præclarè geſtorum imaginibus ſpectanda exhibetur, à I. H. C. H. S. M. D. ejusdem Principis quondam Archiatro Horſtmario-Ahuſano.

Cosfeldiæ Sumptibus Autoris anno MDCCXII.

Perenne hoc eſt, ut Glorioſiſſimi Principis *Friderici Chriſtiani* Memoriæ & *Familiæ Plettenbergicæ* honoribus erectum monumentum ſic nunquam in autore intermorituræ erga ſuum quondam Munificum Benefactorem & Clementiſſimum Principem gratitudinis Mnemoſynon. Quod ad voluntatem & beneplacitum *Reverendiſſimi* & Perilluſtris Domini *Ferdinandi L. B. de Plettenberg* Eccleſiæ Cathedr. Monaſt. Præpoſiti Germani Fratris Epiſcopi conſcribere & hujus Succeſſori Reverendiſſimo

diſſimo & Celſisſimo Domino *Franciſco Arnoldo*, Monaſterienſium & Paderbornenſium Episcopo. nec non Eccleſiæ Cathedralis Monaſterienſis Paulinæ Purpurato Collegio, ejusque Dominis Canonicis Capitularibus inſcribere & dedicare voluit, verum non unum fatum libro huic obvenit, nam cum erecto typothetæ literis integro fere mauſolæo, ut ipſe memorat autor in concluſione ad lectorem, ultima columna prælo ſubiiceret, et mox in lucem eſſet mittendus liber, inexſpectata morte ſupra memoratus D. Præpoſitus inter vivos eſſe deſiit, ut prius hic lucem amiſerit, quam ille acceperit, adeoque ab illo adhuc ſpirante ex parte quidem, non ex integro lectus fuerit, ita maxima libri columna cecidit, non impoſita illi eſt gratiarum coronis. Neque Mauſolæi Architectus pro opera recompenſatus, quæ quanta huic operi impenſa ſit, nemo niſi qui propriis oculis legendo inſpexerit, judicare poteſt. Tractatus hic in Medico pro Specimine Magiſterii Politici haberi poteſt, tam eleganter Politices axiomata & leges ad vitam & geſta Principis laudatiſſimi applicata ſunt. Alterum longe malignius fatum eſt, quod etſi hic liber magnifica ſane inſcriptione, cui ad elogium nil addi poſſet, Metropolitano Capitulo ſeu patriæ Patribus, ſummis nobilitatibus Heroibus Viris Principibus verbo ſuis & rei litterariæ maximis mecoenatibus dedicatus eſſet, hanc pro redhoſtimento remunerationem tulerit ut *D. Franciſco Artoldo* humanis erepto, ſede tum vacante Autor à Medicatûs Provincialis munere fuerit abdicatus, quamvis poſtea à ſereniſſimo moderno Electore Colonienſi & Principe Monaſt. *Clemente Auguſto* illi reſtitutus, ita quidem illum

unius alteriusve patriæ proceris invidia premere, ſupprimere non potuit, quin facile ad altiora, ſi hac ſtatione cedere voluiſſet, aſcendere potuiſſet. Ad Profeſſoratus namque munus in non una celebri univerſitate ſufficiens ipſi patuit acceſſus. Sed facile feliciterque tranſiit hunc Rubiconem.

Liber hic ad paucorum Exterorum manus pervenit. Diſpoſitionem operis ſatis artificioſam hic oculis ſiſtere non injucundum erit.

Fundamentum Mauſolæi

Ab avita virtute in antiquiſſimæ L. B. de Plettenberg Familiæ perilluſtri nobilitate poſitum. Epigraphe: *Cunctis exordia pandit laudibus.* Claud. in Seren.

Mauſolæi Veſtibulum

Friderici Chriſtiani Infantia & Pueritia. Epigr. *Pietatis limina prima.*

Columna I.

Friderico Chriſtiano in Iuventute à laborioſa Pallade in præcipuis literarum emporiis poſita, variisque poſt ſusceptum Dignitatis Canoniæ purpuram honoribus decorata. Epigr. *Hæc vitæ fulcra futura.*

Columna. II.

A Purpurato Baſilicæ Paulinæ Collegio per *Frid. Chriſt.* inaugurationem Decanalem exſtructa. Epigr. *Proximus hic ad ſumma gradus.*

Columna III. & IV.

Seu Gemma Symbolica,

A. Prælaudabili *Frid. Chriſt.* Gubernatione in Cathedra Decanali erecta, & Epiſcopali electione firmata Epigr. *Recta quia dir cta.*

Columna V. & VI.

Seu Gemma Principalis Symbolica.

Nexu invicem copulata ſuſtinens mitram Epiſcopalem Epigr. *Conſilio & conſtantia.*

Columna VII.

A *FRID. CHRIST.* per optimam cum Reverendiſſ. Cathedrali Capitulo harmoniam & amicitiam prudenter ordinata Epigr. *Conſonat Inferius Supremo.*

Columna VIII.

FRID. CHRIST. Pietati Sacra. Epigr. *Ardens evexit ad æthera virtus.* Virg. Æneid. 1. 6.

Columna IX.

A gravitate & authoritate ſtabilita, in qua erigitur *FRID. CHRIST.* ad vivum Symbolicis virtutum lineamentis effigiata ſtatua Epigr. *Hac Principe digna.*

Columna X.

Per *FRID. CHRIST.* prudentiam & providentiam diſpoſita. Epigr. *Thronus ejus in Columna nubis.* Eccl. 44. 7.

Colum-

Digitized by Google

Columna XI.

Frid. Chriſt. per miniſtros ſumme idoneos provide electos erecta. Epigr. *Hac quoque ſtat Regimen.*

Columna XII.

Per amicitiam cum coeteris Chriſtiani Orbis Principibus & patriæ ſtatibus ſervatam ſuſtentata. Epigr. *In fulcrum pacis.*

Columna XIII.

FRID. CHRIST à Civibus & colonis in perpetuam gratitudinem pro amore paterno exſtructa. Epigr. *Omnibus ille idem Pater eſt.* Lucret.

Columna XIV.

Clementiæ *FRID. CHRIST.* dicata. Epigr. *Æterni teſtis amoris.*

Columna XV. & XVI.

A juſtitia & moderatione ſtatuminata, appenſo ſcuto Gentilitio Plettenbergio. Epigr. *Æqua & recta.*

Columna XVII.

Humanitatis & affabilitatis ornatu decota. Epigr. *Fulcit & ornat.*

Columna XVIII.

Sive Obeliscus

Ex pluribus Principalis Munificentiæ Segmentis compilatus. Epigr. *Factis extendere famam hoc virtutis opus.* Virg. Æneid. 1. 10.

Digitized by Google

Columna XIX.

A liberalitate *Friderici Chriſtiani* Mauſolæo donata Epigr. *Plus ultra.*

Columna XX.

Frid. Chriſt. magno litterarum Mecoenati à Muſis excitata Epigr. *Quem referent Muſæ, vivet.* Tibull. 1, 1.

Columna XXI.

Olea & Sertis quernis circumdata Frid. Chriſtiano Principi pacis erecta. Epigr. *Decus hoc pretioſius auro.*

Columna XXII.

Ab induſtria indefeſſa *Frid. Chriſt.* elaborata impoſito aureo gloriæ globo. Epigr. *Superas evadere ad auras hoc opus, hic labor.* Virg. Æneid. 1. 6.

Columna XXIII.

Ab animi fortitudine formata & firmata. Epigr. *Stat neſcia caſus.*

Columna XXIV.

Cui mors imponit Coronam & Epigraphen: *Dabo tibi Coronam vitæ.* Apoc. 2. v. 1.

Columna XXV.

Cenotaphium Symbolicum

Epigr. *Virtus ſepulcrum condidit.* Horat. Ep. 9.

Addam

Digitized by Google

Addam Epigramma poſitum ad Zoilum.
His Mauſolæi tua ne ſuſpende columnis
Scommata, mordaci dente Canine Theon
Falleris. Hic non eſt Pasquino erecta Columna.
Virtuti ſacra ſunt templa; Recede Canis.

IV.

Neu aufgerichtete Mediciniſche Thee-Tafel.

Auff welcher fürtreffliche, ſo einfältig als künſtlich zuſammen geſetzte theils aus einheimiſchen theils ausländiſchen Kreutern und Gewächſen beſtehende Kreuter-Thee denen Liebhabern der Geſundheit und langen lebens auffgetragen und präſentiret werden. Von I. H. C. M. D. gedrucket zu Osnabrug in 8vo anno 1716.

bey Michael Andreas Fuhrman.

Prodiit ſine dedicatione liber, quam omitti petiit Bibliopola, brevitatem temporis ob accelerationem nundinarum Francofurtenſium, in quibus neceſſe eſſet tractatum ſatis mature comparere, frivole cauſatus, cum tamen poſtea compertum ſit, eundum nomine ſuo Dedicationem Regiminis Clivici Dominis Aſſesſoribus factam *Neothea* Exemplaribus, exceptis iis, quæ Autori tradidit, præfixiſſe. quod

 profecto

profecto Satyram *Guidonis Patini* Bibliopolam *animal fourbiſſimum* appellantis merebatur.

Non indiget Tractatus ſuspenſa hedera. Tam apud Nobiles quam ignobiles facilem ingreſſum habuit. Novi Diſtrictum, in quo fere nemo chyrurgorum hoc opuſculo amat carere. Ut plures fæminas nobiles, plerumque medicaſtras, ſilentio prætercam. In ipſa Hollandia plures, ad quos libri fama peruenerat, eum legendi vexavit orexis. Unde plurimum Reverendus & Doctiſſimus Dominus *Henricus Joſephur Grasperus* inter Urbis Amſtelodamenſis Parochos orthodoxos primarius in gratiam ſuorum patriotarum id oneris in ſe gratis ſuscepit, ex quia in idiomate Batavo ſibi nativo ex vernaculo ſumme erat verſatus, in illud *Neotheam* Germanicam ea dexteritate & exactitudine tranſtulit, ut ne unicum quidem latinum terminum etiam technicum inexplicatum, & non translatum reliquerit. Audiamus eum interprete lingua latina ad ſuos belgice in præfatione diſſerentem, quæ cauſæ eum ad tam operoſum translationis laborem permoverint. » Comperiebam inquit, tam opu-
» lentis quam pauperibus, tam magni, quam parvi,
» tam ſpectabilis quam vulgaris ſtatus hominibus,
» præcipue tamen indigentibus qui impotentes ſunt
» medicos arceſſere & pretioſa medicamina ſol-
» vere multum ſolatii & levaminis in ſuis affectibus
» acceſſurum. Autoris fama, profunda ejus ſci-
» entia, & multa experientia, ſtyli elegantia,
» conceptuum nitor, exactus ordo, ſuavia inter-
» loquia hinc inde intermixta, perspicuitas pro
» rudibus, & præſertim excellentes præſcriptiones
» quarum experientiam apud multos cum magna

» laude

Digitized by Google

laude, & in me ipſo quoque conſpexeram totidem «
mihi fuerunt calcaria ad tam moleſtum labo- «
rem inchoandum. & opus hoc ita proficuum ad «
ſervitium amantiſſimæ patriæ, cui omnia debeo, «
in noſtram Vernaculam transmutandum &c. «

Nitidiſſimum itaque frontiſpiciale ectypon, quod Hortum Academicum & in eo Neotheæ infuſum bibentes repræſentat, Tractatui præfixit, cui hunc fecit titulum ſatis elegantem:

Neo-Thea
of Niewe Thee-Tafel

Opgezogt voor alle Liefhebbers van een geſond lang en vrolyk leven:

Ofte wel eene naaukeurige Beſchryving van de Krachten der in- en uitlantſche Kruiden, Bloemen, Wortelen en planten,

Om de zelve als Thee te doen trekken, waardoor veelerhande Ziektens en pynen, op eene verzekerde wyze kunnen geneezen of voorgekomen worden, na lang Zoekens, eigene ondervindinge, en volgens de vaſtellingen, en goedkeuringen den vermaardſte en voornaamſte Geneesheeren onzes tydts by en gebracht.

Door den Zeer geleerden en Wydberoemden Heere den Heere.

IOAN HENRIK COHAUSEN

Ampts-Medicus van den Biſschop van Münſter en Paderborn.

En nu ten dienſte Zyner lants genooten, uit het Hoog-in het Nederduitſch vertaalt, en met aantekeningen opgeheldert en vermeerdert.

Door den geleerden Heere.
HENR. IOSEPH GRASPER
T. M. A. D. A. R. G.
t' Amſterdam
By Ioannes Ooſterwyk, Boekverkooper
op den Dam 1719.

Dicavit opus elegantiſſima inſcriptione celeberrimo Viro *Friderico Ruyſchio*, Medicinæ, Anatomiæ, & Botanices Profeſſori Amſtelodamenſium famigeratiſſimo, interim hæc Editio diſtractis inter tot Hollandicos theæ amatores omnibus exemplaribus intra breve tempus apud plures ſui deſiderium reliquit, & ipſa quoque Exemplaria præli Osnabrugenſis ita deficere coeperunt in Germania, ut ad multorum Neotheam deſiderantium exſpectationem celebris Bibliopola Lemgovienſis Dominus *Meierus* anno 1728. eandem de novo prælo ſubjecerit, accurante quodam *Kreutermanno*, Medicinæ, ut ſe ipſum appellat, practico, qui ſecundæ huic editioni antiquum titulum reliquit, Præfatiunculam tamen præmiſit, quæ Autorem jam beatum, id eſt ex vivis exceſſiſſe, memorat, qui tamen etiamnum à tot hucusque annis ſpirat, Deoque & Reip. litterariæ vivit pluribus ab eo tempore in lucem emiſſis curioſis tractatibus medico-chymico-moralibus. Qua tamen mortis ſuppoſita erronea opinione ductus ſeu potius deceptus Neotheæ Curator licentiam ſibi ſumpſit ſua qualiacunque de Thea, Coffée, Chocolada, Vino, Cereviſia, ſpiritu frumentaceo, lacte, tabaco tam naſali, quam

tumali

fumali à mundo hodie ſic dilectis Collectanea, utut Crambem à tot ſcriptoribus recoctam, ejusmodi Diætæ parergorum Amatoribus ſatis ſpecioſe proponendi, idque ut fieret honoriſicentius, ſub eodem libri titulo, & quidem non per modum appendicis, ſed loco ſtatim primo ipſi Autoris Neotheæ ſcripto præmittendi, quod ſane vel autophiliam redolet, qua Viri tot ſcriptis editis famoſiſſimi tractatum ſuis adverſariis ad captandam gloriolam inſervire voluit, vel ſaltem in re libraria ignorantiam, ſi enim in illa verſatus fuiſſet, non ignoraſſet, *Neotheam* anno 1719. à viro maxime erudito in linguam Batavam elegantiſſime translatam & notulis ornatam & ab ipſo Autore Neotheis antifebrilibus auctum, quæ ſatius editioni ſecundæ ſeu appropriata Auctoria adjungere, & ſua ſaltem, ſi voluiſſet, appendicis loco ad finem pro mole libri augenda adjicere potuiſſet. Si in re Litteraria fuiſſet exercitatior, ex Autoris noſtri Tractatu *Picanaſi* inſcripto, anno 1716. Amſtelodami impreſſo, imo anno 1720 Lipſiæ in Vernaculam translato ſciviſſet, qua ſatyra tabacum naſale mactarit, neque Neotheæ ſuum de illo diſcurſum encomiaſticum adeo impertinenter, præmiſiſſet.

Maneant Cl. D. *Kreutermanni* operibus ſua debita Elogia, Autor noſter non invidet, imo ille veneratur, maneat & ſuus Neotheæ honor. Quare ſi quis editionis aliquando tertiæ futurus eſt promotor aut Editor, monitum eum vult Autor, ut reciſis penitus D. *Kreutermanni* Rhabſodiis, vel ſaltem ad libri calcem appendicis loco rejectis, ex Editione Hollandica decerptas Neotheas antifebriles pro libri augmento ſupponat, imo ſi Deus vitam

vires-

Digitized by Google

vireſque adhuc pauliſper Autori conceſſerit, novum & inſigne augmentum per alias Neotheas promittit, ut tractatus priſtinæ integritati reſtituatur, imo mavult illum nunquam reimprimi, & vel Editionem ſecundam æternis damnari tenebris, quam ejusmodi fumoſorum, Naſo ſorbilium & potulentorum, tot hominum myriadibus noxiorum, laudes à Medico illorum damna intelligente ad ignaram plebem propagari,

V.

Benthemo-Crene,

das iſt,

kurtze Abhandlung

Von dem in der hochberühmten Graffſchafft Benthem zwar von undencklichen Jahren herfürquellenden, anjetzo aber durch fürtreffliche Würckung mehr und mehr in Beruf kommenden Geſundheits-Brunnen, in zwey Theile abgetheilet,

Davon der erſte den Urſprung, Weſen Nahmen und Eigenſchafften dieſes Medicinal-Waſſers klärlich vorſtellet,

Der andere die Kräffte, Würckung, heilſahmen inner- und äußerlichen Gebrauch

aus-

Digitized by Google

ausführlich entdecket, und aus den Lehrſätzen einer vernunfftmäßigen Artzney-Kunſt erweiſet, daß viele beſchwerliche und veraltete, aus Sauer und Schleim entſtandene Kranckheiten dadurch können geneſen werden.

Zu Nutzen hülffsbedürfftigen Menſchen ausgefertiget von

I. H. C. H. S. M. D.

gedruckt zu Cosfeldt anno 1713.

In Nemore non procul ab ara Benthemica jam ultra omnem hominum memoriam fontem ſulphure gravidum ſcaturiiſſe in comperto eſt. Qui cum multis curationibus, licet non admodum publicatis, eſſet celebris, viſum eſt illmo & Excellentiſſimo Domino *Franciſco Georgio* S. R. I. Comiti *de Manderſcheid, Blanckenheim, Gerolſtein* &c. Comitatus Benthemenſis Adminiſtratori ut & ejusdem Baglivo & Quæſtori, illuſtri Domino *de Beeſten* eundem in majorem famam, uſum & maximam totius patriæ utilitatem provehere, quocirca Expertiſſimos Medicinæ Doctores nempe Cl. D. D. *Lüning*, Profeſſorem Lingenſem D. D *Bucholtz* Practicum Haſeltinenſem DD. *Wichants*, Monaſterienſem DD. *Meyering* Oldenſalienſem, & Dominum Patruum meum Medicum Provincialem Monaſterienſem ſimultanee ad Arcem Benthemicam vocárunt, ut prædicti fontis ſoterii examen unà inſtituerent, & facultatem atque vires ſcrutarentur, de

de iisque publicam Relationem ad uſum indigentium facerent. Quâ occaſione coeteris medicis eum laborem fugientibus ſors ſuper D *Cohauſenum* cecidit, qui præmiſſo fontis ſulphurati exactiſſimo ſcrutinio ad requiſitionem laudatorum Dominorum pro informatione publica præfatum tractatum typis commiſit. Qui quanta diligentia atque ſtudio ſit elaboratus, etiam mediocriter eruditus lector facile intelliget. Neque duntaxat inſtituto cum Thermis Aquigranenſibus examinis parallelismo hujus aquæ ſulphureæ vires detexit, deſcripſit, & publicavit; ſed etiam certam tam pro plebeis quam majoris conditionis hominibus magno ignis compendio exſtruendorum balneorum methodum excogitavit & ſuggeſſit, quibus parandis jam duæ domus erectæ & aptatæ fuerunt, ita ut jam magna ſpes inde reſultaturæ in plurimos ægrotantes ſalutis & non exiguæ in univerſum Comitatum utilitatis atque lucri affulgeret, nam primo anno jam ad tria hominum millia ex partibus circumvicinis & præſertim Batavis valetudinis cauſa fontem viſitaſſe narrabatur à fide dignis.

Verum in Patriam redeunti & regimen ſuſcipienti Domino Comiti non arriſerunt iſti conceptus, eo quod iſtius ſcaturiginis ſtagnum cervis potandis alias ordinarium jam domunculæ incluſum & tectum eſſet, & propter hominum frequentiam cervi, quibus lucus abundat, à conſueta potationis ſtatione impedirentur. Rurſum igitur remotis ad Balnea deſtinatis domibus fontis uſus ceſſavit, quo fato etiam ipſe tractatus eviluit, licet nec ipſe fons ſoterius per hoc ſuas vires, neque liber ſuum pretium atque utilitatem amiſerit.

Ejus

Digitized by Google

Ejus tamen neceſſitatem aliquando alia tèmporum felicior ratio reducet. Satius namque cervos deſtitui lacu ſuo potulento quam ægrotantes dedefraudari de tam nobilis fontis adjumento. Si non alia, ſaltem ratio ſtatus politica, quæ Comitatus incolas tot commodis ex advenarum Vectura & Vendititiis alimoniæ neceſſariis potuiſſet beare, uſum hujusce fontis ſuspendere non debuiſſet. Conſultum eſt à Benthemocrenes autore ordinario loci medico, ut convenientibus, ceu par eſt, medicamentis & recta præſcriptionis methodo aquarum naturales vires promoveret & augeret: Neque alii, quam qui ad ſanitatem & ſalutem recuperandam apti reperirentur (promiſcua enim incurabilium admisſio fontem reddit fruſtratà curâ infamem) teſſera dato ad ejus uſum admitterentur. Sed ſurdo cantata fabula. Fluit fons hodiedum, ſed jacet uſus, donec ſuperis potius quam Aeſculapio & Hygieæ viſum fuerit aquas has ſoterias in generis humani uſum revocari.

Quia libri exemplaria ad nullum Bibliopolium, & conſequenter vix ad exterorum manus pervenêre, operæ pretium erit, ſuccincto Capitum Elencho indicare, quem ordinem & quam methodum in tractatione hujus fontis Autor ſervarit.

Inhalt des erſten Theils.

Das I. Capitel vom Urſprung und Alterthumb des weldtberühmten hochgräflichen Schloſſes Benthem.

II. Von

II. Von vormahlig- und jetziger Beſchaffenheit des Benthemiſchen Heil- und Geſundheits-Brunnen.

III. Feuerkünſtliche Zerlegung und Probe des Bentheimiſchen Brunnens: woraus eigentlich deſſen Weſen zuſahmen geſetzet ſey, und worin deſſen Natur beſtehe.

IV. Von der Arth und Weiſe, wie die Mixtur des Bentheimiſchen Brunnens unter der Erden gezeigt wirdt.

V. Von dem im Bentheimiſchen Brunnen vorhandenen Univerſal-Geiſt.

VI. Von dem Gewicht und Proportion der im Bentheimiſchen Brunnen angezeigten Ingredientien.

VII. Beweiß, daß in Benthemſchen Brunnen keine gifftige oder ſchädliche Boſahrdigkeit vorhanden ſey, und deßhalben ohne Sorgen und Forcht gebraucht werden könne.

VIII. Wahrſcheinige Anzeig, mit welchen Brunnen das Bentheimiſche Waſſer die meiſte Aenlichkeit habe.

Inhalt des zweyten Theils.

I. Capitel von Krafft und Würckung der ſchweſelichten heißen und kalten Waßerquellen ins gemein, worauß ein vernünfftiger Schluß auf dem Benthemiſchen Brunnen zumachen.

II. Von den beſonden Kräfften deren im Benthemiſchen Brunnen durch die Scheide-Kunſt entdeckten Ingredientien.

III. Von

Digitized by Google

III. Von dem Special-Nutzen und Gebrauch des Bentheimiſchen Brunnen innerlich zugebrauchen.

IV. Von der rechten Arth und Weiſe den Bentheimiſchen Brunnen innerlich zu gebrauchen.

V. Vom äuſſerlichen Nutzen und Gebrauch des Bentheimiſchen Brunnens in verſchiedenen Leibszufällen.

VI. Von der zufälligen Schädlichkeit des Bentheimiſchen Brunnens bey einigen Naturen und Zuſtänden.

VII. Von der beym Gebrauch des Bentheimiſchen Brunnen höchſt nothwendigen Diæt und Lebens-Regiment.

VIII. Von denen bey der durch den Bentheimiſchen Brunnen vornehmender Cur beſchwerlich- und langwirigen Kranckheiten nützlich-ja nothwendigen Medicamenten.

VI.

Lumen novum Phosphoris accenſum,

ſive

Exercitatio Phyſico - Chymica

De cauſa lucis in phosphoris tam naturalibus quam artificialibus, exarata

Ad Provocationem celeberrimæ Regiæ In Galliis Burdegalenſis Academiæ.

à

Ioanne Henrico Cohauſen M. D.

Reverendiſs & Celſiſs. Principis & Episcopi Monaſt. & Paderbornenſis D. *Franciſci Arnoldi* Archiatro Horſtmario - Ahuſano

Amſtelod. apud Io. Oſterwyck MDCCXVII.

Notum eſt in Rep. literaria verſatis, in Academia Regia bonarum literarum, ſcientiarum & artium, quæ *Burdegalæ* eſt, à ſereniſſimo Duce *de la Force* factam eſſe fundationem præmii ſeu bravii, quod conſiſtit in numiſmate aureo trecentarum librarum gallicarum & ſingulis annis illi confertur, qui argumentum, quæſtionem ſive thema ah Academia

demia

demia Programmate publicatum omnium optime & exactiſſime enodaverit & explicârit. Cum igitur anno 1717 propoſita eſſet explicanda cauſa lucis in phosphoris tam naturalibus quam artificialibus, ingenii ſui vires experiri, & ſingulari diligentia nobiliſſimam hanc materiam elaborando, cum certantibus pro præmio aureo concurrere voluit, quem quidem tractatum Amſtelodami charactere nitidiſſimo impreſſum & antificioſiſſimis Iconibus exornatum ipſi Sereniſſimo Duci Academiæ Protectori & Præſidi, Magnificis & Ampliſſimis Dominis Decano Seniori Coeteriſque graviſſimis Collegii hujuſce Aquitanici Aſſeſſoribus perquam eleganti inſcriptione, quæ in ipſo libro cuivis legenda patet, dedicavit, ad quam ex Iuſſu Academiæ Secretarii perpetui Domini de *Navarre* reſcriptum reſponſum hic meretur propter nitorem ſingularem adſcribi.

Colendiſſimo Viro Domino de *Cohauſen.*

S. P.

Quam ad Nos de Phosphoris miſiſti diſſertationem à menſibus aliquot accepimus Domine Colendiſſime. Opus mirata eſt univerſa Academia tanta Eruditione plenum, tanta exaratum diligentia, tot & tantis exquiſitis exemplis & experimentis illuſtratum. Mirata eſt, ſed magis lætata, magisque gratulata ſibi eſt, quod eſſet ſuo nomini conſecratum. Hoc unum doluit Vir ornatiſſime, quod ad concurſum diſiderata ſit tua Diſſertatio. Eximio aliunde operi tuo duo deerant, ut poſſit contendere, alterum quod ad Certamen accederet

tempeſtive, alterum quod eſſet manuſctiptum. Libellum tuum accepimus jam exeunte menſe Aprili typisque mandatum. Ea vero *A*cademiæ noſtræ decreta ſunt, nempe opera, quæ poſt primam Ianuarii diem accellerint vel impreſſa fuerint, non concurſura eſſe ad palmam. Si poſthæc igitur ſubeat animus ſcribendi aliquid ſimile, quod ſane pergratum nobis accidet, paucis aperiam, quid ferat conſuetudo. Prima Menſis die poſt electionem operis, quod Academia judice digniſſimum compertum eſt, adjudicatur palma. Tum in annum ſequentem diſtribuuntur Programmata Diſſertationis ſcribendæ Argumentum Continentia. Per Programmata duo potiſſimum admonentur contendentes, primum ut curent ſuas diſſertationes reddi ante primum Ianuarii ſequentis diem, vel ipſamet prima Ianuarii die, quoninam labentes quatuor menſes ad primam May diem in examine operum impenduntur ab Academia, dum convenit. Alterum quod contendentes monentur, ut illud ſit novum opus, quod ambit præmium, ideoque nondum prælo commiſſum. Et vero quæ juris publici ante erat Diſſertatio, non ei tribuit Academia Mercedem, ſed eam donat palma, quam publicam facit.

Hæc Domine eruditiſſime in ampliſſimam gratiarum actionem, & in ſummæ qua te proſequitur benevolentiæ ſignificationem, Academia voluit ad te ſcriberet.

Addictiſſimus tibi & obſequentiſſimus

Burdigalæ die 12 Aug. an. 1717.

Regiæ quæ eſt Burdigalæ ſcientiarum, litterarum & artium Academiæ à Secretis perpetuo.

Navarre.

Inſcriptio

Inſcriptio Epiſtolæ erat.

Colendiſſimo & Eruditiſſimo Viro Domino *Cohauſen* M. D. nec non Celſisſimi Principis & Epiſcopi Monaſterienſis & Pâderbornenſis Archiatro meritiſſimo.

Præmium igitur libri tam excellentis nedum incomparabilis autor quia contra ſtatutum fundationis & ultra terminum Scrutinio præfixum transmiſſus eſt, obtinere non potuit, ſed aſſignatum eſt & datum cuidam Abbati nomine *Dortous de Magran*, qui duorum qnoque antecedentium annorum bravio potitus eſt. Cujus Diſſertatio cum per laudatum Secretarium autori noſtro quoque transmiſſa eſt, juvat hic brevem ejus facere analyſin. In principio opellæ fere ad meditullium usque longum de luce in genere format diſcurſum, & penitus affert allodria ſe preſſione ætheris Carteſiana, quam ad longum refutat, de emiſſione corpusculorum, quæ pingunt in fundo oculorum imaginem, quam ſententiam approbat, ſcribit autem ſe penitus ignorare, quomodo hoc fiat, dum ait: *mais comme cet art eſt tout à fait inconnu, j' avoue, que je me vois reduit à ne pouvoir raiſonner de la matiere de lumiere, que ſur de ſimples probabilitez. C'eſt auſſi tout ce, qu'on peut raiſonnablement demander, dans une queſtion purement phyſique, & ſur laquelle la Geometrie, ne ſauroit quaſi trouver aucune priſe.* Sub hoc inſcitiæ ſuppoſito pergit tandem ad phosphoros & noctilucas vulgares, quorum tantum abeſt, ut agendi modum afferat, ut etiam ejus indaginem inutilem judicet, cum tamen Academia illi duntaxat

taxat ſtatuerit præmium, qui ejus cauſas & fiendi modum omnium optime explicârit. Audiamus ipſiſſima *Dortous* verba; poſt quam phosphoros aliquot nempe vermes & muſcas lucentes, lignum putridum, pilos, ſanguinem, carnem, adamantem aliquando lucentia & phosphorum Kunkelii, lapidem Bononienſem pyrophorum Hombergii ſaltem nominetenus adduxit, ſic concludit: *Le Deſſein, que j'ai eu dans ce long denombrement, a été de faire apercevoir le plan general de la nature dans la production de la lumiere des phosphores:* » *Car il eſt ſouvent plus* » *utile en matiere de Phyſique de s'attacher à ramaſſer* » *des faits, qu'à chercher les explications.* Quod tamen e diametro contrarium eſt Academiæ intentioni. Tandem ut videatur aliquid dixiſſe, ſtatuit, in omni phosphoro tam naturali quam artificiali dominari materiam unctuoſam & ſulphur (optaſſem ut tale in ligno putrido oſtendiſſet) & neceſſariam eſſe accenſionis cauſam nempe ſubitam & violentam fermentationem ſeu effervescentiam. Sed quis unquam talem in lapide Bononienſi, in phosphoro Balduini, in vermibus lucentibus, in Mercurio phosphoreſcente obſervavit? mirum quod pingues & unctuoſæ Cereviſiæ & vina ſulphurea ſola fermentatione non abeant in phosphoros. Quis vidit ſolis radios cum lapide Bononienſi aliisque phosphoris efferveſcere: addit ſic ſulphur exire ex ſuis parvis carceribus, in quibus clauditur, & evadere per iſtum motum corpuscula ſphoerica ſeu meros globulos lucidos, ut poſſint agere in viſûs ſenſorium. Pro qualia paradoxa! quales chymæræ! viſiones potius diceres dormiales, quam ſpeculationes phyſicas. Et tamen bravio aureo potitus eſt.

Longe

Digitized by Google

Longe ſanius aliquando viſus eſt ſomniaſſe vir quidem Eccleſiaſticus, qui tecto de phosphoris tractatu ſic ad Autorem ſcripſit: Hac nocte evigilanti ſe ſtitit *Cohauſenus* cum phosphoro & huic amplas laxans Cogitationum habenas Phosphorum ſcripturiſticum ad ejus imitationem me poſſe fabricare putavi, cujus quem communico, poſſet eſſe titulus:

Lumen novum ſcripturæ accenſum,
Seu Phosphorus Scripturiſticus,
In quo de omni lucis genere in ſcriptura paſſim obvio
Philoſophice & Theologice diſſeritur

Quam jucundiſſimus & ampliſſimus mihi diſſerendi campus hic ſe offerat, ictu oculi perſpicies & ſpecimen darem, niſi tempus mihi jam deficeret. Ita ille & ſane ſic opus conſcribi poſſet novum & perelegans.

Poſſem hujus tractatûs, niſi brevitati hic eſſet ſtudendum, & ab his laudes, & ab aliis vilius æſtimium necenſere, quia ad captum lectoris habent ſua fata libelli. Non tamen ſilendum in actis Lipſienſibus Phosphorum nactum eſſe jejunum Excerptorem. Cavillatur ab Autore ſtatuta quatuor elementa, quæ tamen tantum allegata ſunt modo loquendi vulgari ceu matrices phosphororum, cum in aere, aqua, terra, igne tales inveniantur. Pergemus nunc itaque ad ſecundum concertamen, quod pro palma ſequentis anni Autor noſter in eadem Academia tentavit.

VII.

CAPSVLÆ ATRABILARIÆ

Anatomice & Chymice recluſæ,

ſive

Diſſertatio Phyſico - Anatomica,

in qua

Renum Succenturiatorum
Seu Glandularum Renalium,
In iisque Secreti Liquoris
Verus ac genuinus uſus in foro medico
Hactenus controverſus & obſcurus
Concatenato Rationum & experimentorum
Ad provocationem Regiæ in Galliis
Celeberrimæ Burdegalenſis Academiæ
Clarius quam hactenus unquam demonſtratur.

à

IOANNE HENRICO COHAUSEN M.D.

Anno MDCCXVIII.

Epiſtola Nuncupatoria Excell. & nobiliſſimo Viro Domino de Navarre Burdegalenſis Academiæ Secretario perpetuo inſcripta ſequentis fuit tenoris.

Permitte Vir illuſtris, ut hæc ab ignoti manu Epiſtola é remotiori climate ad te mittatur & præſens

præſens de Capſulis atrabilariis Diſſertatio non præſentetur tantum ſed & celeberrimo tuo inſcribatur Nomini, jam primum quidem ob temporis brevitatem rudiori calamo exarata, typis tamen nitidiſſimis deinceps brevi exſcribenda.

Non eſt quod præſentationis hujusce cauſam Tibi multis referam, utpote cui vel viſo hoc ſchediaſmate ignotum haud eſt, ex famigeratiſſimæ Academiæ Regiæ veſtræ Decreto permiſſum eſſe, ut Diſſertationes pro aureo bravio comentaturæ ad te libere deſtinentur: Dedicationis vero fortaſſis audacioris potior cauſa neutiquam eſt ſubticenda, quam certe hoc tempore non aliunde quam à nominis tui celebritate, meritorum in Remp. Litterariam ſplendore, & officii in tam famigeratiſſimo per orbem collegio perpetui dignitate fas eſt accerſere. Inprimis vero haud dubito, temeritati meæ veniam à te facile concedendam, ubi ex literarum initialium præfixarum enodatione nomen meum aliunde tibi dubio procul jam cognitum aliquandò innoteſcet, nempe eundem rurſus eſſe Diſſertationis hujusce Autorem, qui priori anno lumen novum phosphoris accendit veſtræque celeberrimæ Academiæ ſubmisſiſſime inſcripſit, ſed cui ob libri tardius editi ſerovenientiam fortuna fuit iniquior, ut ad concurſum pro bravio aureo non fuerit admisſus. Quod fatum ne huic Diſſertationi quoque ut coeteris tardius miſſis libellis contingat, ſicque omnem Authoris operam rurſus eludat, tua vir illuſtris, qua erga exteros, & inprimis eruditos emines benignitas imploranda fuit, ut quantocyus & ſic mature ſatis, Academiæ veſtræ Manuſcriptum hoc, ſed ſine hac Epiſtola (ne authoris nomen quod præcipitis, Cenſoribus innoteſcat) Te curante

K 5 ad

ad ſolennem Cenſuram offeratur, quæ tamen ſub editione typographica in grati animi teſtificationem à me neutiquam erit omittenda. Intellexi laudatiſſimam Academiam veſtram priori anno pronam fuiſſe ad titulum Membri honorarii in veſtro Collegio gratioſe & gratis mihi impertiendum, ubi deſideravero, qui utique cum ſummo futurus ſit honori, utraque quod dicitur manu, à me avidiſſime acceptatur, & ad hanc meam ut par eſt, petitionem te quidem intercedente & procurante indubie exſpectatur. Non deero unquam celebrandis Academiæ veſtræ meritiſſimis elogiis & conferendo meo qualicunque ſymbolo ad ſcientifica objecta quotamis à vobis proponenda. Fave igitur magne literarum Mecœnas, & annue petitioni illius qui tuis per orbem celebrandis meritis viciſſim ex aſſe devotus, uti ſe totum tuis ſervitiis conſecrat, ſic enodato litterario grypho aliquando detectus publice ampliori conteſtatione profitebitur, quod ſit

Excellentiſſimæ & nobiliſſimæ Dominationis tuæ

Dabam	Cultor & ſervus obſequioſiſſimus
ex muſeo Vredenæ Cal. Mart.	Autor in libri titulo notatus.
	I. H. C. H. S. M. D.
MDCCXVIII.	P. M. & P. A. H. A.

Hæc fuit Dedicationis formula. Adjungam pro informatione lectoris, quia nondum impreſſa eſt Diſſertatio, Contentorum Elenchum.

Caput. I. De ſtructura & natura Renum ſuccenturiatorum quædam præmittuntur.

II. Re-

Digitized by Google

II. Refutantur præcipuæ quædam circa renum ſuccenturiatorum uſum ſententiæ erroneæ.

III. Renes ſuccenturiati non ſunt atræ bilis receptaculum.

IV. Succus in Renibus ſuccenturiatis ſecretus non eſt atra bilis.

V. Succus in Renibus ſuccenturiatis ſecretus non eſt acidus.

VI. Succus Renum ſuccenturiatorum non eſt ſaporis lixivi.

VII. Succi Renum ſuccenturiatorum vera natura & Eſſentia oſtenditur.

Hoc itaque Dedicationis & recommendationis viatico munitus libellus cum capſulis ſuis atrabilariis, *Burdigalam* felicibus ut ſperabatur avibus abiit & mature ſatis & ſecure cui omnem impendit operam Amſtelodamenſis Amicus, qui addita Epiſtola commendatitia, juſſit in omnium poſtarum ædibus ſcedulam receptoriam, ut vocant, ſumi, imo Certificatorias alteras cum novis ad Secretarium Authoris literis dedit, quarum hic copiam adjungere non pigebit:

Excell. & Nobiliſſimo Viro, Domino de *Navarre*, Acad. Reg. Burdegal. Secretario Perpetuo, Patrono ſumme venerando ſalutem & felicitatem.

Quam nuper per manus *Avogſtoblii* Civis veſtratis Burdegalenſis Regiæ veſtræ bonarum artium & ſcientiarum Academiæ toto orbe famigeratiſſimæ de Capſularum atrabilariarum vero ac genuino uſu Diſſertationem pro faciendo ad aureum

bravium

Digitized by Google

bravium concurſu à me conſcriptam & propria duntaxat manu primitus exaratam ſubmiſi. Tuis Vir præſtantiſſime oculis, ſi ſuffragiis veſtris fuerit approbata, ea qua par eſt, reverentia proxime ſe ſiſtet. Nempe non permittebat temporis anguſtia & longiſſima terrarum ſpacia, quæ hinc ad vos tranſire erat neceſſum, ut illi labor typothetæ impenderetur, ne quæ priori anno novo meo Phosphoris accenſo lumini iniquior, fato neſcio quo, accidit fortuna, ut ad cenſuram ne quidem pervenerit, huic Diſſertationi pariter contingeret. Habeo ſane, ſi non tam meo, quam Virorum in harum regionum Academiis & Collegiis ſpectatiſſimis judicio & criſi ſit ſtandum, quod doleam. Hi namque & meo & iſtius veſtri Adepti D. *Megerani* ſcripto ad exactioris æquiorisque cenſuræ bilancem appenſo, iudicandum putarunt, præmium Tractatui meo, niſi ſero veniſſet, deberi. Cum tantum abſit, ut vir iſte præclarus ſcopum à laudatiſſima veſtra Academia propoſitum, nempe lucis in phosphoro genuinas cauſas ſuis ratiociniis exacte attigerit, ut potius contra præfixam intentionem magis de nuda rerum phyſicarum exiſtentia, quam obſcuriſſimis cauſis diſcurrendum ratus admodum parce quæſtionis nodum intricatiſſimum evolverit, ut exactus & omni ſepoſito partium ſtudio cuivis utrumque ſcriptum legenti ad oculum pateſcet.

Verum enim vero eſt, quod tanto viro congratulemur de favore Minervæ propitiæ, quod ejus in rerum naturalium ſcrutinio ſingularis dexteritas eò jam obtenta tribus vicibus palma aſcenderit, quo vix alius apud vos liceat aſpirare, ita ut ne hos abs ulteriori indagine impoſterum abſterreat deſperatio,

peratio, neceſſum æſtimaueritis, eundem deinceps à concurſu publico elogio excludere. Magna hercule ingenii transcendentis excellentia! permittet tamen vir ille præclarus, ut nos, ſicuti alio hic coelo utentes, ſic forte alio oculo luminis cauſas inſpicientes, data occaſione de eius tractatulo aliquando publice mentem noſtram aliter exponamus,

Tametſi vero haud dubitem capſulas meas atrabilarias Anatomice & Chymice recluſas jam pridem Academiæ veſtræ traditas, meliori hoc anno fortuna potituras eſſe, nolui tamen fœtum hunc meum in tam remotas ignotasque terras ſine tutore ac patrono dimittere. Quocirca viſum eſt cum non modo tibi offerre ſed etiam ſi in lucem prodeat, tuo Nomini inſcribere, cum non ignorem non magis ſcientiarum quam induſtriæ illorum te eſſe patronum, qui rerum phyſicarum à ſapientiſſima Academia veſtra quotannis propoſitarum veritatem conantur vel eruere vel confirmare.

Fave igitur magne muſarum Mecoenus Capſulis hiſce à me recluſis, quas Academiæ Regiæ lynceis Cenſoribus jam pridem auſpicante Menſe Aprili, & ſic mature ſatis ſubmiſi. Non inſcripſi quidem illarum frontiſpicio nomen meum, utpote ſub ſymbolo: *Servire Deo regnare eſt*, velatum. Nunc autem rationem amplius non conſpicio, quare id etiam ante cenſuram apud vos peractam non debeat innoteſcere, cum ea ſit in veſtris arbitris ac rei litterariæ judicibus æquitatis cura & amor, ut non tam cujus gentis ſit Author, quam quid ſolide abs eo ſcriptum demonſtratumque ſit, dubio procul ſint ſpectaturi. Coetorum publica hac conteſtatione & Tuis & Regiæ veſtræ Academiæ ſervitiis

vitiis me perpetim volo conſecratum, illi quidem ſub eo, quem gratioſiſſime obtulit in laudatiſſima ſua ſocietate membri honorari Titulo, quem cum ſubmiſſiſſima reverentia & gratiarum actione accepto, tibi vero eum ſubſcriptione.

Nobiliſſime & Excellentiſſime Domine

Dab. Vredenæ in Weſtphalia Dioeceſis Monaſt.
XXVI. April.
MDCCXVIII.

Tui cultoris & Servi obſequioſiſſimi.
I. H, Cohauſen M. D.

Verum quæ fati iniquitas! pervenit hæc Epiſtola feliciter Burdegalam, opusculum vero ipſum de capſulis atrabilariis cum priori dedicatione ad Academiam non perveniſſe per ſequentes literas D. *Brun* Academiæ Regiæ typographi notificavit D. de *Navarre*, Secretarius.

à Bordeaux le 23 May 1718.

Monſieur

J'ay l'honneur de vous envoyer une reponſe de M. *Navarre*, Secretaire de l' Academie Royale de ſciences de Bordeaux. Elle avoit été oublié dans ſon cabinet par la negligence de ſes valets, qui onr confeſſé la choſe: il a receu l'Epiſtola Nuncupatoria de vôtre ouvrage ſur l'uſage des reins ſuccenturiaux, mais on ne ſçait, par quelle cauſe il s'eſt perdu dans le bureau de Hollande ou de Paris, car il eſt certain qu'il n'eſt pas venu à Bordeaux, où l'on a fait toute la recherche poſſible pour

pour le trouver. On plaint beaucoup cet ouvrage, tant par l'eſtime, qu'on a conceu de tous ceux, qui partent de vôtre main, que par le deſir de vous faire quelque plaiſir, & de reconnoitre la veneration, que vous avés pour l'Academie. On ne ſait ſi les Commis de Bureau de Hollande n'auroient point ſuprimé votre paquet pour profiter de l'argent du port franc, ou ſi le paquet affranchi jusq'à Paris n'y a point demeuré pour n'avoir pas eſté affranchi, jusqu'à Bordeaux. Pour prevenir un tel cas on croit, qu'il ſeroit mieux d'addreſſer votre Paquet à un Marchand de Bordeaux qui en payera ici le port, comme on en uſe pour les lettres communes. Neanmoins on eſpere que vous voudrez encore nous envoyer votre ouvrage ſur les reins Succenturiaux, par quelque voye ſure, afin de l'enregitrer dans les memoires de l'Academie. I'oſeray vous dire, Monſieur ce que l'on a dit ici de votre ouvrage ſur les phosphores, qu'il auroit peutetre remporté le prix, s'il fut venu à temps pour le concours. Ie ſuis avec tout le reſpect poſſible.

Monſieur

Votre très humble & très obeiſſant Serviteur
Brun Imprimeur de l'Academie royale
des ſciences de Bordeaux.

Inſcri-

Inſcriptio erat. A. Monſieur,

Monſieur de *Cohauſen* Premier Medecin de ſon Alteſſe Monſeigneur le Prince & Eveque de Munſter & de Paderborne.

Ex hiſce literis libelli infortunium abunde innoteſcit. Perditus eſt, à Scrutinio excluſus, extra omnem ſpem præmii poſitus, ſicque denuo omnis labor fruſtraneus. Doluère fatum, ſi fas Epiſtolæ credere, Profeſſores Burdegalènſes, doluêre plures in Hollandia *E*ruditi tam elegantis opuſculi factam jacturam. Sequentes doctisſimi Domini Grasperi literæ ad Autorem datæ merentur hic adſcribi:

P. P.

Vir ille (intelligit Cl. *Fridericum Ruyſchium* Amſtelodamenſium Anatomiæ & Botanices Profeſſorem) tibi ex commendatione mea, magis tamen ex doctiſſimis ſcriptis ei communicatis amiciſſime affectuoſisſimus nil magis quam tuum literarum commercium habere exoptat, rogavitque me exactisſime, ut tibi data opera procurrarem. Adeo picæ naſi opella arriſit ei, ut nihil ſupra. Leidenſem te Profeſſorem Chymiæ cupit viſo & avidiſſime lecto, quem de Phosphoris ſcripſiſti, libro omnibus numeris abſoluto. Sed qua lætitia exultabat venerandi illius ſenis animus cum pleno in

in convivio coram Venerandis Doctrina Viris mentionem de Capſularum atrabiliarum tractatus amiſſi fato injicerem? Quid exclamabat præclarus ne ille vir ea de re ſcripſit, libellum? illum mihi procures velim. Eidem namque materiæ adhuc ſenio confectus omnibus viribus inſudo, hactenus enim earum genuinus uſus nondum detectus eſt. Tradidi legendum &c. prælo dignum judicavit, ita ut Oſterwyckius ejusdem Ruyſchii amicus mihi dixerit ſe abſoluta Neotheæ impreſſione illum typographo traditurum &c.

Verum fata voluére, ut hucusque nondum prælo ſit ſubjectus libellus. Æquo tamen animo tulit hæc Capſularum atrabiliarum ruminator, unde pari ſtudio ac diligentia perrexit in Explicatione tertii argumenti publicato programmate de *Cauſa multiplicationis in fermento* pro palma anno ſequente propoſiti, de quo pertractationem ſaltem manuſcriptam ſub ſequenti Titulo ad Academiam Regiam tranſmiſit.

VIII.

Exercitatio Experimentalis Nova & Curioſa,

De concreto incomparabili,
Mole minimo, activitate maximo
Alterativo potentiſſimo,
Multiplicativo ſui ſtupendo,
Mirandarum rerum patratore

Fermento,

Sive intricatiſſimus Quæſtionis nodus,

Quæ ſit cauſa multiplicationis in Fermento

A bonarum literarum, ſcientiarum & artium
Academia Regia, quæ Burdagalæ eſt
Pro palma aurea propoſitus
Et Phyſico-Chymice & Mechanico-Carteſiane
Solutus
ab Eo, cui Symbolum

Qui non guſtaverit ſalium ſapores nunquam perveniet ad optatum fermentum fermenti

Autor Roſarij

Elenchus Capitum & in iis Contentorum.

Cap. I. Fermenti & fermentationis Eſſentia. Quæ non tam corporalis quam Spiritualis eſt, & fermentum fermenti appellatur à Philoſopho.

II. 1. Mo-

II. 1. Modus fiendi in Fermentatione. 2. Fermentorum diſtinctio & definitio varia. 3. Fermenti ortus primævus ex prima creatione, & inde vis multiplicationis tam Theologice quam phyſice adſtruitur: ubi ſeminis & fermenti analogia.

III. 1. Indagatur vis multiplicativa fermento intrinſeca. 2. Fermentorum multiplicatio experimentis illuſtratur. 3. Vis fermenti multiplicabilis eſt, quod ſe inſtar odoris habeat. 4. Ejus potentia.

IV. Cauſa proxima & genuina multiplicationis in fermento ſtatuitur. 1. Fermenti multiplicabilitas multum dependit ab ipſa ſubjecti fermentabilis diſpoſitione, & inprimis à particularum dilatabilitate & elaſticitate. 2. à ſalis acidi volatilis ſubtilitate penetrantia & extenſione. 3. Extenſio & conſequenter multiplicatio ab ejus volatilitate & ſpirituoſitate, quæ in ſubjecto motum & fluorem conciliat. 4. à ſubjectorum in ejus naturam transmutatione. 5. Fermenti extenſibilitas illuſtratur per miaſma contagioſum. 6. Fermenti multiplicabilitas ex eo quoque juxta naturæ Myſtas, quod ejus Spiritus ſit ſe natura ſalis ſeu ſpiritus univerſalis.

V. Principium Sulphureum ſeu particulæ oleoſæ ut cauſa multiplicationis primaria in fermento reprobantur. Ad ignem intrinſecum fermentorum vis multiplicativa philoſophice refertur, ubi analogia ignis & fermenti, uſtionis & fermentationis juxta illud D. Iacobi 3. Parvus ignis quam grandem ſuccendit materiam.

Digitized by Google

VI. Vis fermenti multiplicativa dilucidatur & concluditur.

Corollaria.

1. Nil phyſici eſt multiplicabile, niſi de fermenti natura participet.
2. Solvens ſeu menſtruum fermentale magnum artis eſt Myſterium, à ſcientiæ filiis indagandum.
3. Fermentum putredinis verum fermentum eſt, & potens in natura clavis corporum radicaliter & centraliter recludendorum.
4. Fermenti peſtiferi ſtupenda poteſtas dilucidatur.
5. Transmutationis metallicæ poſſibilitas ex natura fermenti probatur.
6. Fermenti poteſtas reſolvendi & volatiliſandi per experimenta chymica demonſtratur.
7. De Fermentis vitalibus & ſeminalibus brevis diſcurſus.

Brevis præfatio eſt hæc:

Palam natura eſt acore fermentari Effatum Plinii eſt l. 18. c. 11. jam vetuſtum, obſoletum, adhuc obſcurum à multis faſtiditum, apud plures dubium; novi illi igitur licet eodem authore res ardua ſit, novitatem, nitorem, lucem, gratiam, fidem conciliare ſtudebimus abunde pulcrum & magnificum rati etiam voluiſſe. Loquemur cum Recentioribus, ſentiemus cum Antiquis. Vetuſtiſſimam Platonis ſententiam fermentationis (adde & fermenti multiplicationis) cauſam eſſe aciditatem nova methodo

ſtat umina

ſtatuminabimus. An ſcopum tetigerimus, judicare illius erit, cui præ quocunque amico magis amica eſt Veritas.

Hæc brevis eſt opuſculi ſciagraphia ex qua lector Phyſicæ ſtudioſus haud difficulter intelliget, quanta exactitudine ſit elaboratum, neque dubitabit autori palmam deberi. Verum ô fati malevolentiam! quid non excogitat inter gentes connata invidia. Notificatum eſt fideliſſimi correſpondentis D. *Hoogſtob'ii* Reip. Hollandicæ ut vocant conſulis reſcripto nulli hoc anno ab Academia Burdegalenſi, ſuper themate multiplicationis in fermento conceſſum eſſe bravium, eo quod nemo illius mentem attigiſſet, ô inauditam vafritiem! Nempe ne Germano daretur prærogativæ gloria, nulli datum eſt præmium. Cum tamen certum & indubitatum ſit, Quæſtionem propoſitam ita circa omnes circumſtantias & magis quam opus fuiſſet ſuperfluè eſſe ſolutam, ut vix quid addi poſſe videatur. Audiamus viri longe doctiſſimi & judicioſisſimi ſententiam in literis ad autorem datis Gemertæ 10. Febr. 1719.

Quod de fermenti multiplicatione tractatum attinet, eum prout juſſeras exactiſſime revidi, omneſque mentis intendi nervos, ne quidquam me ſubterfugeret; Aſt eum omnibus numeris abſolutiſſimum reperi. Ejus lectio mihi jucundiſſima fuit, quam inter ſæpius applauſi tibi de reportando præmio. Tam clare namque & nervoſe omnes ejuſdem rationes enucleaſti, dilucidaſti, expoſuiſti, ut nihil deſideretur. Stylum quem mirum in modum variare noſti, præ coeteris miratus neſcio an docibiliori modo unquam aliquid edoceri queat. Amice ſi hac tam exquiſita opella præmio potiaris, deſiſte

Digitized by Google

quæſo ab ulteriori conamine. Gallorum namque tuæ ſors invida laudi ſole clarius cuique recte judicare docto patebit ad oculum, illud pro tot exantlatis laboribus tibi voto prævio medullitus apprecor. Non excuſationis quidquam Galli habebunt amplius Mature ſatis & ſecure, in eorum perveniet manus. Gratulor ſane tibi de tam præclaro opere, quod autori laudes laudibus addet, nomenque tuum ſuper æthera tollet &c.

Sed utriusque & authoris & amici ſpem fefellit eventus: nemo elegantius & uberius penſum hoc elaborare potuiſſet, quod tamen, quia Germani eſt, Gasconibus ſatisfacere non potuit, ſaltam videri non voluit.

Non offendit quidem illa Gallica procedendi ratio autorem, non nemo tamen ex ejus amicis Vir majoris abollæ, cui de illa conqueſtus fuerat, non ineleganti ſed ſatis ſevero ſarcasmo eandem excepit, qui hic apponi meretur.

Impoſtura Cascomica bilem mihi movet. Tantos theſauros in novo tuo lumine obtuliſti coecis ingratis! aliud de caruncolorum Gallicorum phosphoris merentur ſcriptum pro bravio de l'Abbé *Dortout* ſed cavendum eſſet cauſas, quas non curant, perveſtigare, ſi ſaltem ſubjecta noctiluca nota fiant. Subſequens thema de uſu renum ſuccenturiatorum elegantem obtuliſſet occaſionem, nam cum ipſis eum Excell. Domino *Verheyen* in anatomia corporis humani nondum conſtat, quorſum illæ capſulæ atrabilariæ contentum humorem nigricantem ulterius transmittant, audacter ſtatuerem, eſſe ſemen morbi gallici omnibus Gaſcombus commune, apud Germanos, Belgas, Weſtphalos, niſi hac

hac lue inficiantur, nuſquam reperibile, nec ullo alio modo, niſi ſecundum alterum thema per multiplicationem fermentalem curabile, cauſas autem multiplicationis conſiſtere in contrarietate fermentali quæ quo major tanto multiplicabilior, ſic ſine dubio brevibus bravium Gasconicum reportâſſem. Digni eſſent juſtitiarii Gasconicæ impoſturæ, ut omnia eorum judicia, quibus à tempore Phorphori bravia aſſignarunt, pica critica quaſi raptu reſtativo ab Apollinis Moroſopho aut ironice defendantur aut cenſeantur, quo vafrities & dementia cenſorum Burdegalenſium mundo patescat. Vale generoſo contemptu. Dabam B. in equinoctio philoſophico, quo alcali & acidum conſpirabant.

Verum linquamus triplici hoc fatalitate infame Litterarium commercium, æque periculoſum eſt cum Gallis Germanum diſputare quam belligerare, habet enim argutiſſima hæc natio ſua diverticula, ſua ſtratagemata.

IX.

Diſſertatio Satyrica Phyſico-Medica moralis.

de Pica naſi

ſive tabaci ſternutatorii moderno abuſu & noxa Amſtelodami apud Io. Oſterwyck anno 1716. in 8.

Mirus pluribus viſus eſt titulus *Pica naſi*, qui illum medicinæ terminum technicum non intelleze-

tellexerunt, ſcribebat I. E. S, ex Ericeto S. Nicolai in Friſia ad amicum Curio: Munuſculum gratiſſimum mihi miſſum accepi ſcilicet *Pica naſi* quæ vere garrula pica eſt, non communis, ſed pica docta garrire, quæ me ſæpe fatigatum aliis ſeriis occupationibus non deſinit jucunda ſua garrulitate recreare. Eritque ille præcipuus effectus quem Pica illa producet, cum abuſus hodierni talis materiæ videantur eſſe, ut rideri & corripi adhuc quidem velint, non tamen corrigi &c. ſed ſatis eſt de pica & ſiſto calamum ne me prodat picæ naſi garrulitate non tantum oblectari, ſed ex ejus garrulitate aliquid mutuaſſe, quo aures veſtras forſan cum faſtidio incogitanter obſtrepere pergo, hinc finis illius.

Bonus hic Vir putavit, Picam eſſe notam illam avem loquacem, uti & ille orbilius, cujus in Raptu Ecſtatico Autor mentionem fecit, ajebat mi Domine, quid rei pica naſi? quid naſo tabacoprophoro cum pica avi negotii, an & hæc tabaco utitur? nunquid elegantior titulos libro tuo ſpica naſi fuiſſet? cui ibidem reſponſum ſatis. vid. p. 85.

Scribebat aliquando Amſtelodamenſis amicus ad Autorem; in bibliopolio ſedenti occurrit Cauſidicus, qui picæ titulum inſpiciens exclamabat: Eho! quid hæc pica naſi! Stupidus illi putabat eſſe unum verbum, & ſi ſatis diſtincte duo ſint bene in titulo ſeparata verba, per me inſtructus pudibundus diſceſſit, erupit, evaſit.

Pica naſi pulveres ex naſis excutiens ita nonnullis viſa eſt rigoroſa, ut *Cobauſenus* fuerit Amſtelodami Janſeniſtæ & Mediciniſtæ titulo inſignitus: ſcribebat igitur ad eum aliquando D. *Graſperus*, qui

qui à malevolis judicabatur quoque Ianſeniſta. Sic decet, ut & amici ferat onera ſimul & commoda. Dudum jam id à primo inſtanti præſagiit animus. Si non detur Ianſeniſta niſi mentalis, certe nunc datur Mediciniſta Ianſeniſta realis, utpote qui naſo excutere velit pulveres, & ex funda elicere tam inauditas cupidinis conſequentias. Os populi meruiſti naſo adverſa locutus. Dicunt profecto tui, & mei, quos innumeros habemus, æmuli, me certe hunc tibi ſuggeſſiſſe conceptum, quem ut hæreſin in medicina proſcribent. Sed ſolemur nos mutuo veritatis clypeo tecti. Ringantur quantumcunque velint.

Iuſtius invidia nihil eſt, quæ primitus ipſum
Autorem rodit, diſcrutiatque ſuum.

Heri in auctione ab aliquo capiens tabacum naſale: Quid inquit & pica torqueris? Alios doces, te ipſum non doces. Verum eſt, ſed abuſum carpit autor, non uſum, reſponſio fuit, ita *Grasperus,* qui paſſim, quia picam naſi ad prælum promoviſſet ejusque corrector erratorum typographicorum fuiſſet, pro ejus autore habitus eſt, quaſi fictum *Cohauſeni* nomen ſuscepiſſet.

Quidam Torpecus proprio nomine *Pöeretus* ex Pica naſi conſarcinatum extractum ſeu potius compendium ſub titulo *Schimpende, Natuur - Genees-en Zedenkundige Verhandeling over den quaeden wan luſt der Neuze,* translatis belgice latinis Epigrammatibus libello Hollandico menſtruo, vulgo *Boekzaal*

der geleerde Werelt, menſe octobri ann. 1716. inſervit. Hic verba ſunt ipſius autoris noſtri in raptu Ecſtatico in Montem Parnaſſum p. 42. Picam naſi eo ipſo calamo, quo verborum prius imo & laudum illecebris demulſit, mox ſauciavit, inſtar ſcorpii viſus eſt paululum ludere, tandem feriit cauſa obliqua. Excerpſit Picam præferens amicum, aſperſit ſub finem calumnias Stylo inimico juxta dictum polyhiſtoris politici, peſſimum *inimicorum genus laudantes*. Verum egregie de hujus Archipedantici naſo vindictam ſumpſit Moroſophus in parnaſſo fumo chartæ accenſæ (Galli *Camouflet* appellant) & Satyrorum caudis naſum ſtrenue evertentibus, quam Comoediam l. c. curioſus legere poterit, perterrefecit hæc ejusdem libelli collectores tam vehementer, ut anno 1726. menſe februario c. 6. p. 229. verbotenus ita Batavice ſcripſerint: affecit hoc eo tædio D. *Cohauſen*, ut in præſenti opusculo Excerptoris naſum ita miſere tractârit, ut terrore percellamur & naſum noſtrum chariorem habeamus, quam tali ignominiæ & ludibrio expoſitum videamus à Satyris, qui ei fumum chartæ accenſæ inſufflant, & in conſpectu Apollinis & Muſarum ejus naſum tabaci fumo nigrum, & puluere naſali ſcatentem contemptiſſime habent. Metus ne noſter naſus ſimili modo tractetur, nos indubitate ab hoc opuſculo abſtraxiſſet, niſi animadvertiſſemus nos id cum gratia facere poſſe.

Coeterum magnam hæc Pica gratiam habuit etiam apud ipſos Naſi Helluones, qui riſerunt ſaltem, non inique ſusceperunt naſos arguto ſale defricari, cum enim ſingulari elegantia ſe recommendet, maluerunt legendo movere ſplenem, quam

iraſcendo

Digitized by Google

iraſcendo bilem. Sincerior fuit de hoc libello Eruditorum criſis. C. D. *Nunningius* in *Weſtphalia Docta* ita ſcribit: Opuſculum de Pica naſi applaudentem vidit Polyhiſtorum meliorem numerum, ſententiarum equidem gravitate commovet, delectat varietate rerum, ſingulare Epigrammatum acumen tranſitus plane affert novos, nec minus epiphonematis pungit. Opuſculum inventione nova, novitate rara utrobique ſe recommendans.

Memorabile eſt, quod aliquando ad Picæ Naſi authorem perſcripſit ſupralaudatus D. *Grasperus*: Naſi picæ foetus felicia ſat fata nactus eſt. Exemplaria fere diſtracta auguror, quaque late patet terrarum orbis, *Cohauſeni* increbuit nomen. Tribus abhinc diebus occurrit doctrina non minus quam ſtatura Vir ſpectatiſſimus, quem in auctionibus ſæpe videram. Hic me interpellans humaniſſime affatus ait: Eſtne Dominus Vir ille, cui Pica dedicata eſt. Affirmanti reſpondit. Libellus ille lectu digniſſimus noſtros egregie carpit inſulſos mores linguane vernaculâ prodibit in lucem? meretur ſanè, Ego pergebat, in tabacophilorum gratiam ex ea multa tranſtuli in idioma noſtrum, ut peſſimo iſto morbo liberentur, bonoque id factum eſt cum ſucceſſu. Sic bene vaticinatus es, foeda catharmata naſi petophili ſiſtenda, minus quoque nunc per avaros ungues ſturum tabacum. Ad hæc Ego. Promiſit ſcriptor, ſe in Vernaculum idioma eandem transmiſſurum, ſine dubio promiſſis ſtabit autor: ſed ajebat, quis ille *Cohauſen*? hic ego nec deſtiti meritas tibi promere laudes. *Cohauſenus* innotuit, & cum gratiarum actione diſceſſit.

Omnem

Digitized by Google

Omnem vero laudem ſuperat Viri ſcriptis famigeratiſſimi D. *Hermanni Adolphi Meinderſii*, potentiſſimi Boruſſiæ Regis Conſiliarii & Hiſtorici ſcriptum ad Cl. & Ampliſſimum virum D. *Germanum Dono Hunnincinum* exaratum, quod ex *raptu Ecſtatico in Montem Parnaſſum huc* transferemus :

» Scriptum elegantiſſimum doctiſſimi atque » ſagaciſſimi Viri Cohauſii noſtri ſive Coi noſtratis » de Pica naſi ſive hodierno uſu atque abuſu Ta- » baci ſeu herbæ Nicotianæ quod ad me gratis trans- » miſeris, de eo ingentes tibi Vir clariſſime ha- » beo atque debeo grates, niſi quod unicum illud » deſiderem, quod auctor longe celeberrimus at- » que naſutiſſimus, id eſt odoratiſſimus, non ip- » ſum hoc ipſemet longe digniſſimum hoc noſtro » ſeculo nec non eruditiſſimum ſcriptum ad me » transmiſerit. Quia ſummam & egregiam eru- » ditionem & virtutes viri eximii & non vulgaris » valde veneror & æſtimo, & ut me in Amicitiam » & familiaritatem ipſius inſinues, & literarum » Commercium cum ipſo concilies, maximopere » rogo. Scriptum illud egregie ſatyricum maxi- » ma animi voluptate legi, ac penitus devoravi. Et » illud publice aſſerere non vereor, mihi nullum » ſcriptum ſatyricum inter tot virorum eruditorum » ſarcaſmata & luſus ingenii magis arriſiſſe. Ha- » bemus ſane & habet Weſtphalia noſtra patria » ingenium , quod poſſit maximorum Virorum » etiam exterorum ingeniis & geniis ſi non exæ- » quare, ſaltem opponere & eodem loco repone- » re. Si enim aliorum ſcriptorum ſcripta ſatyrica, » v. g. *Eraſmi* Moriam, *Mori* Utopiam, *Heinſii* aſi- » num &c. & aliorum ejusmodi ſatyricorum ſar-

» caſmos

caſmos juſto calculo æſtimes, ad hoc amici no- «
ſtri ſcriptum nihil ſunt. Quia is miſcuit utile «
dulci, uti Hippocratem Coum, id eſt *Cohauſium* «
decet, & valetudinem ac ſanitatem mortalium «
egregio ludendi & criticandi generi & operi ſive «
Emplaſtro commiſcuit, Ego enim, ut verum fa- «
tear, neſcio quid magis mirer in Viro longe eru- «
ditiſſimo, utrum Stylum & ſcribendi ſolertiam «
atque omnium Poetarum & celeberrimorum Au- «
ctorum exactisſimam cognitionem, utrum pro- «
fundiſſimam in arte medica ſcientiam atque ex- «
perientiam, nihil magis optans, quam ut mihi «
talis Æsculapius & Archiater contingeret, ſi «
ſemel ægrotare & mori neceſſe erit, utinam «
felix illud & jucundum ingenium atque excel- «
lens judicium ad res ſerias & ſtudia noſtra anti- «
quaria, ſive hiſtorico-Politico-Iuridica ſe vellet «
applicare, & hiſtoriam noſtram patriam illuſtra- «
re, certe nil niſi magnum aliquid & excel- «
lens à tali ingenio ſperari, ac à tali manu & «
ſtylo proficiſci poſſet, ſed trahit atque abripit «
ſua quemque voluptas & ſuum cuique pulcrum «
videtur. Neque inutile eſt, ſed perjucundum ac «
maxime glorioſum, quod hos in omni doctrina- «
rum genere viros illuſtres atque excellentes in «
patria noſtra Weſtphalia habeamus, & cum po- «
litiſſimus nationibus ingeniorum varietate & «
opuſculorum literariorum gloria & præſtantia «
certare & palmam multis præripere queamus. «
Quare Vir illuſtriſſime etiam atque etiam te «
rogo, cures ut omnia illius Excellentiſſimi Viri «
ſcripta hactenus edita inprimis vero Neotheam «
quam primum nanciſcar, pretium quod pro me «
expo- «

» expoſueris, lubens redditurus. Eum quoque
» incites velim, ut iocoſeria de Weſtphalorum
» moribus, vitiis & virtutibus quamprimum pote-
» rit, publico diutius invidere nolit & me in nu-
» merum Amicorum ſuorum recipere non dedig-
» netur. Vale & fave tuo amico & cultori de-
» voto,

Hermanno Adolpho Meinderſio.

Verum necdum illa omnia ſunt. Plura de hoc opusculo referenda ſupereſſent, ſi pagellarum anguſtia ea admittere vellet. Etiam quidam Academiæ Lipſienſis, ni fallor, eruditiſſimus Profeſſor L. C. S. Picam naſi, quo utiliter quoque à fæminis tabaco naſali abutentibus legi & intelligi poſſet, in idioma germanicum elegantiſſime cum prolixa Præfatione tranſtulit. Cujus eſt titulus,

Sehnſucht der lüſtern Naſe.

das iſt

Von dem heutigen Mißbrauch und ſchädlichen Effect des Schnupff-Tabacks

nach denen Reguln der Phyſic, der Medicin und Morale aufgeführet,

von

Johann Heinrich *Cohauſen* Hildes. M. D.

aus dem Lateiniſchen ins Deutſche überſetzet von L. C. S.

X.

X.

Raptus Ecſtaticus

in Montem Parnaſſum,
in eoque viſus ſatyrorum luſus
Cum naſis tabacoprophoris
ſive

Satyricum Novum!
Phyſico-Medico-Morale

in modernum tabaci ſternutatorii abuſum
Authore
Io. Henr. *Cohauſen* Hildeſio-Saxone
Amſtelodami apud Guilielm. Barentſe
M. D. CC. XXVI.
Sub icone frontiſpiciali
legitur Chronòſticon,
NasICIDIVM In parnaſſo absqVe gVtta CrVoris.
Anno
QVo ſatYrI In rVpe parnaſI
Naſos à ſterCore tabaCI MVnDarVnt.

Liber hic rarior eſt & in paucorum manibus Picam naſi longe acumine vincens. Totus enim inge-
nioſa

Digitized by Google

nioſa fabula eſt, ocultæ veritatis cuſtos. Cum enim Author Picæ obſervaret, Phyſicas & Morales rationes non ſufficere corrigendo abuſui tabaci naſalis ad methodum Medicorum,qui in extremis morbis extremis remediis ferro & igne utuntur, novo quoque & acriori remedio, nempe naſorum tabaco prophororum ſectione per ſatyros facienda opus eſſe judicavit. Unde ingenioſo 'invento novam meditatus eſt fictionem, in qua in monte Heliconio à Satyris ex juſſu Apollinis tam fæminis quam viris naſi tabacoprophori abſcinduntur, & ad autopſiæ & experientiæ tribunal in pleno muſarum & doctorum conſeſſu ſiſtuntur, excutiuntur & examinantur ſinguli, an jactitata à picæ naſi autore tabacalis foeditas in naribus revera deprehendatur, quod inſtituto ſcrutinio cum ita ſe habere comperiretur, audita prius trium judicum Iuris Conſulti, Medici, & Pöetæ ſententia concluditur & decernitur, ut pro mulcta omnium pixides tabacariæ in Parnaſſo retineantur, naſi vero reciſſi ad montis pedem à Satyris rurſum deportentur, ut quilibet naſo vel ſuo vel ad lubitum alieno recepto ocyus & longiſſime a Parnaſſo diſcedat graviore alias poena ob excitatos tumultus caſtigandus. Effuſis itaque per Satyros e ſportula omnium naſis in unum cumulum, quilibet illum, quem caſus & fortuna dabat, in tumultuaria iſta confuſione ſibi vendicat, qui à celeberrimo Naſorum reſtauratore *Togliocotio* mox agglutinatur propitio Apolline, unde fit, ut nulli priſtinus rediret naſus, ſed huic minor, alii major nulli certe conveniens aut proportionatus, ita ut cunctorum facies non tantum maxime deformaretur, ſed & redderetur omnibus plane ignota.

Cum

Cum naſis hiſce inſulſis, peregrinis atque aſcetitiis quilibet ad patriam & ad ſuos redire cogitur, ſed jam à nemine & ne a marito quidem uxor, non mater a filia, non amicus ab amico agnoſcitur, unde querelæ & lamenta privata & publica communisque omnium anxia ſolicitudo de recipiendis naſis priſtinis. Conſuluntur itaque medici, agyrtæ, medicaſtri, imo & vetulæ ſagæ, ſed nullus naſi alieni turpitudinem tollere, & priſtini nativam pulchritudinem reddere potuit. *Picographus* tamen illorum ſortem miſertus, pluribus, à quibus conſulitur, adeſt conſilio & ſolatio, neminemque ſine novo naſo dimittit. Tandem ut excitatos in inſaniente populo tumultus caute compeſceret, ſuggerit expeditam methodum novos & ſagaciores naſos recipiendi é fonte Heliconio. Cui conſilio dum unanimes parent, & ſupplici libello Apollini porrecto illi naſos immergere permittuntur, nullus non de novo naſo providetur. Quo feliciter recepto an impoſterum ſobrior ſaniorque futura ſit iſta bene naſata tabacophilorum turba, tempus docebit.

Hæc ſumma fabellæ eſt, quam per plurima eorum quibus abciſſi & renovati naſi, exempla eleganter deducta hic exhibet libellus, qui non ſine ſingulari voluptate legi poteſt. Optandum foret, ut quis naſi picantis hoſtis eundem uti naſi picam, germanice redderet, tum & ſexus foemineus, & illi qui eruditorum idioma non intelligunt, ex eo utilitatem haurire poſſent.

XI.

Naſus picans peccans,

ſive

Spicilegium phyſico-rationale Medico-Morale

De enormi Tabaci ſternutatorii moderno abuſu,

Ex curioſiori pixidum tabacariarum inſpectione natum.

Autor, qui naſi picam in vernaculam tranſtulit, eleganter de natura ſatyrarum in ſua Præfatione discurrens ſcribit illas vitiis, ut ut eadem ridiculo modo proponant, corrigendis neutiquam ſufficere, aſſuetudo enim hanc vim habet, ut neque quod pravum eſt aut pro indecenti aut vitioſo cenſetur, facile emendari permittit. Deſiderat ergo in tractatu de Pica naſi majorem moralitatem ceu ſtyli ſatyrici fulcrum, ut oſtendatur tabaci naſalis abuſum repugnare ſanæ rationi, eſſe horrendam ſtoliditatem, imo eſſe peccatum, quibus monitis inductus Autor tertium hunc de tabaci abuſu tomulum ſub titulo naſi peccantis conſcripſit, in quo pulvere naſali abutentes contra decorem, ſanitatem, conſcientiam, prudentiam, modeſtiam & frugalitatem peccare oſtendit, ubi ingenioſe proſequitur fabulam, & fingit in Parnaſſo ſecretum eſſe, ut Amſte-

Amſtelodami ſubhaſtatione publica pixides tabacariæ quanti plurimi divendantur, & pro nummis acquiſitis iu templo Apollinis erigatur ſtatua Herculis laureata ſub pedibus inſulæ Virgineæ Draconem tricipitem habens, in perpetuam rei in Parnaſſo actæ memoriam. Curioſe igitur deſcribitur, quomodo in illa urbe publicata ſit ſubhaſtatio cum ſpecificatione Capſularum tabacariarum, materiæ, moduli, inſculpti Emblematis, ſeu figuræ, & quomodo facta venditio. Examinantur omnia illis impreſſa ectypa, ex quorum in plurimis obſcoena fæditate picantis naſi peccatum deducitur. Ita utile jucundo junctum eſt, ut recreare & docere poſſit: libellus tantum ad calcem non perductus, & prælo digniſſimus.

Digitized by Google

XII.

Joannis Henrici Cohauſen
Hildeſio-Saxonis M. D.

Oſſilegium Hiſtorico-Phyſicum

ad

Cl. Viri *Joh. Herm. Nunningii*
I. C. Canon. & Schölaſt. Vred.
Sepulcretum Weſtphalico - Mimigardico Gentile
in quo

De urnis ac lapidibus Gentilium Weſtphalorum ſepulcralibus pertractata variis circa cineres & oſſa obſervationibus phyſicis illuſtrantur Cosfeldiæ in 4. anno 1714.

Emiſerat in lucem Cl. D. *Nunningius Sepulcretum Weſtphalico gentile,* in quo diverſa propoſuerat obſcuriora, é foro ſaltem medico-phyſico dilucidanda, unde editioni ſecundæ Cl Autor adiiciendum putavit Cl. *Cohauſeni Oſſilegium*, in quo illa clarius explicantur. Liber rarus eſt. Pauciora enim tantum ſepulcreti exemplaria impreſſa ſunt inter amicos ab autore diſtributa, ſine hoc autem Oſſilegii nulla. Adjungam igitur pro curioſis contentorum Elenchum.

Caput. I. Centralis rerum Eſſentia in combuſtorum Cineribus ſuperſtes, ceu cadavera cremandi ratio

tio ab *Eudoxo* (ſic appellat Cl. Nunningium) allegata ventilatur & confirmatur.

II. Ex XIV. vaſis Friſiæ funeralibus ab Eudoxo productis præcipua urnula rurſus in conſpectum & ſcrutinium adducitur.

III. Circa oſſa & cineres eoque ſpectantium conditionem varia ab Eudoxo mota dubia reſolvuntur.

IV. Erroneis circa urnas ſepulcrales & oſſa ſententiis ab Eudoxo refutatis aliæ adjiciuntur.

V. Sententia Eudoxi contra Picardum confirmatur Dialogo Picardi & Surboldi in campis elyſiis de urnis & magnæ molis ſilicibus ſepulcralibus.

VI. Varia in ſepulcris & ad urnas paganorum inventa curioſe disquiruntur.

VII. Solennitatum apud Romanos funebrium ab Eudoxo deſcriptarum modus & ordo in typo politico-allegorico proponitur.

Liber hic à ſarcaſticis cenſuris penitus liber non fuit. Trivultiani enim Ariſtarchi duntaxat in ſcriptis aucupantes, quæ carpere & ſugillare poſſint, quædam ab Autore de manibus & ſpectris allegata obſervantes, ea fabulas pueriles (*des contes pueriles*) appellant. Quibus tamen egregie in novo lumine Phosphoris accenſo part. 2. c. 2. p. 234. Autor reſpondit, ut eos merito tales nugas contra veritatem Chriſtianæ religionis & ſacrarum literarum fidem attuliſſe pudeat. Quod etiam videtur in litteris inſinuaſſe amicus, quando ad autorem perſcripſit: Legi Cenſuram tuam *des Contes pueriles*, & pueri ad inſtar in cachinnos erupi, ſolus etiam

in cubiculo. Dignum ſane patella operculum! non video quin talionis jure juſtiſſime utaris. Diſcant Galli cautius cantillare; aſt amiciſſime cum aliquoties eos pungas, nunquid puncturis offendentur, ut minus faveant Germano? Conqueritur & de illorum ſcriptorum Diariis in literis ſuis famoſus *Patinus*, ſcribens: *Meſſieurs les auteurs du journal des ſavans ſibi arrogant magnum jus cenſuræ ſine ſuffragio quiritium.* Plures tecum id ſunt experti, quare merito te vendicaſti, ut icti impoſterum ſapiant: ita Amicus H. I. Gr.

Vanus ſane non fuit hic vates, ut triplex ille ad Academiæ Burdegalenſis bravium concurſus plane fruſtraneus conſequenter edocuit. Gallorum natio nimis faſtuoſa eſt, quam ut à Germano correctionem patiantur, licet in ipſum debacchari non reformident. Verum bellum ſpectriforme inde non orietur. Sanior fuit Cl. D. *Senckenbergeri* J. U. D. & Jllm. D. Rhingravio à Conſiliis Criſis in Epiſtola ad Cl. D. *Nunningium* Francofurti anno 1731. 27. Martij ſcripta his verbis. *Cl. Cohauſeni Oſſilegium mirabundus legi, ita eruditum, ita novis inventis refertum eſt. Hunc meo nomine ſaluta.* Ita ille magnum ingenii acumen & in re tam antiquaria quam Phyſica ſcientiam illud ſpirat, ut inepta ejusmodi Cenſura nauci ſit æſtimanda.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

Helmontius Ecſtaticus,

ſive

Viſa Medicaminum poteſtas

ab

Helmontio Somniante

Reviſa à Vigilante

Ioanne Henrico *Cohauſen* M. D.

id eſt

Tractatus Theoretico - Practicus

Arcanioris ſophiatriæ promuscondus &c.

Amſtelodami apud Salomonem Schouten

in 8. 1731.

Tractatusſ hic dividitur in duas diatribas, quarum prima viſionem Ecſtaticam Helmontii hactenus à nemine detectam clariſſime apperit; altera in præcipuas ejus Phyſico-Chymicas ſublimes novasque reflexiones omnibus ad arcana adeptorum aſpirantibus utiles atque neceſſarias proponit interſperſis magnis atque raris remediis. Accedit pro ſupplemento ſenſationis ultimæ Helmontianæ.

De Hermetis Aquina forma Pontica,

Quæ elementa diſſolvit,

nec non

Helmontiil iquore igni-aqueo Alcaheſtino Solvente Catholico

Diſſertatio Pyrotechnica Curioſa

notis ab autore Illuſtrata.

Raptus hic Ecſtaticus plures ſublimioris philoſophiæ ſtudioſos tantum non rapuit in ecſtaſin, imo ad commercium cum autore literarium allicuit, & quod magis eſt ad petitionem acceſſus ad eundem provocavit. Non enim dubitarunt rudimentis philoſophicis initiati & vel in ipſo regii ſophiæ palatii limine conſtituti authorem eſſe ſolventis cujusdam univerſalis poſſeſſorem, cum tam accuratè & ſolide de liquore alcaheſt & menſtruo Hermetis, de ejus materia parandi, & agendi modo egerit; unde Cum Cl. D. *Jo. Guil. Agricola* in Diſſertatione inaugurali Chymico - Medica ſub præſidio Exc. D. D. *Eliæ Camerarii* defenſa anuo 1731. quo Helmontius quoque Ecſtaticus in lucem prodiit, de Menſtrui univerſalis omnia ſolvantis, & revera alicubi exiſtentis experimentis & præperatione notabilia propoſuiſſet, plura de illis ſcire cupientem ad Cl. D. *Cohauſeni Helmontium Ecſtaticum* remiſit, ut ad prædicata paradoxa reſolutionem peteret, ut in Commercii litterarii Norici Temo I. Specim. 23. p. 183 latius memoratur.

tur. Poſſem in hunc librum magnorum Chimiatrorum recenſere elogia, ſed implebo potius pagellarum ſpacium curioſo corollario Epigrammatico-Sophico in Helmontii ſenſationes ab ipſo authore compoſito. quod ceu tractatui non inſertum per me publico communicare voluit.

Ad ſenſationem §. 12. & 13.

Sal geminum, geminusque ſapor coaleſcit in unum,
Dulcor ab auſtera ponticitate fluit.
Felix diſtinctos qui ſenſerit hoſce ſapores,
Sed mage, qui ſimul hos jungere novit, erit,

Ad ſenſationem §. 15.

Arcane affectas? Salium ſcrutare ſapores,
In quibus eſt Chymicæ maximus artis apex.
Sal magnes ſophicus, generat quem ſphæra Dianæ,
Salque chalybs ſophicus, cujus Apollo pater.

Ad ſenſationem §. 21.

Quod ſine foemella mas eſt: hoc absque ſale eſt ſal.
Hoc corpus cui non ſpiritus ullus adeſt
Sal connecte ſali, fixum connecte fugaci:
Sic res ex junctis una duobus erit,

Ad ſenſat. §. 24.

Mercurius vulgi loquitur.

Eſt in ente ſalis, ſapientum turba quod optat,
Invenies in me tale ſophiſta nihil.
Deſine rimari penetralia noſtra, Sophorum
Principians ſalium vena recludit aquam,

Digitized by Google

Ad ſenſat. §. 27.

Si fontem maculat purum ſaturnia labes
Et claudit portas Arſenicalis obex,
Nil hoc crede refert. In fundum eſt merſa poteſtas
Et ſub veneni cortice mella latent.

Ad ſenſat. §. 31.

Quidquid id eſt, quodcunque ſuas depromit agendo
Vires, has ſolo de ſale crede capit,
Spiritui non absque ſale eſt conſtantia fixa,
Corporibusque nihil roboris absque ſale,

Ad ſenſat. ſecundam §. eodem

Sal virgo eſt generata ſolo, generata ſaloque,
Et tamen hæc fœtum concipit atque gerit,
Sed non vitales illum producit in auras,
Vulcani obſtetricans in manus addat opem,

Ad ſenſat. tertiam §. eodem

Hic nihil alcalia & lixiva operantur, in iſtis
Semina nulla latent deſiderata ſophis
Alkaeſt alcalico non eſt genitore creatus,
Imo eſt; Hermetis ſi *ſoda* nota tibi.

Ad ſenſat. 4. §. eodem

Mercurii ſophici ſi radicalia vultis
Principia, ex ipſo quærite fonte ſalis
Univerſalis cuncto ſociabilis enti:
De facili fructus naſcitur inde novus.

Ad ſenſat. §. 32.

Spiritus iſte quidem differt à corpore multum,
Arſenici macula non tamen ille caret.

Quæ

Digitized by Google

Quæ vetat ingreſſum. Binis removere columbis
Hanc tamen ut referunt, prompta diana poteſt.

Ad ſenſat. §. 36.

I nunc & dubita, Chymiæ ſit quanta poteſtas,
Quæ novo tot generans entia, tanta patrat.
Thaumaturga quidem eſt natura, potentior ars eſt
Quæ, quod non potis eſt illa, parata facit.

Ad ſenſat. §. 39.

Namque metalla ſalis naturam induta per artem
Semina producunt, quæ latuere ſua,
In talem exaltata gradum, millecuplus ex his
Ut creſcat fructus, quod ſtupet ipſa Phyſis.

Ad ſenſat. §. 42.

Denôdanda ſuis ſed vinclis corpora tale.
Per ſolvens, quod non contrarietur iis,
In Radice, illud qui neſcit, rideat in ſe
Conceptus ſtolidos, queîs nihil artis ineſt.

Ad ſenſar. §. 43.

Cauta ſit ergo manus. Liquor omnia deſtruit Al-
kaîſt,
Ne quoque te incautum deſtruat ille, vide.
Muſca petens ignem ſe perdit. ita iſte Gehennæ
Innumeros ignis perdidit artifices,

Ad ſenſat. §. 41.

Inconſtans luna eſt Saturnusque Euclio: fallax
Mercurius, trux Mars, atque doloſa Venus.
Ergo planetarias ſi credis ineſſe metallis
Vires, multigenis hoc cave plena dolis.

Ad

Ad ſenſat. §. 56.

Mercurius loquitur.

Cur me uris variisque modis mea membra laceſſis?
Vultum, non genium muto ſophiſta meum.
Cor manet intactum, nullis ſuperabile flammis,
Mille licet crucies exteriora rogis.
Non morior quando occidor: cor ignis, ab igne
Vivo, ſed mortem ſola dat ignis aqua
Mercurius, Anagramma: *Cur me uris.*

Clauſula.

Magnes amat chalybem: ſaliumque volatile centrum,
Ad fixum ſalium vertitur inde polum
Inque polo eſt cor mercurii, ac in corde quiescit
Ipſe polus: juncto ſic fit utrique quies
Hæc ridet ſtultus, ſapiens ſed gaudit, ad extra
Verſum Centralem dum videt eſſe polum.
In quo ſtella micat, ſophici Cynoſura laboris
Ex nigro emergens candida ſtella chao.

Ut hoc Epigrammata ſophica melius intelligantur, ipſi ſenſationum textus erunt conferendi. Coeterum ſilentio non prætereundum hujusce tractatus fatum. Ejus dedicatio facta eſt illuſtriſſ. & Excell. Domino *Franciſco Georgio S. R. I. Comiti de Manderſcheid, Blanckenheim & Gerolſtein* &c. S. Cæſ. & Reg. Catholicæ Majeſtatis Conſiliario ſtatus intimo, & Seren. Principis Electoris Palatini Primo ſtatus miniſtro: ſed dum jam exiiſſet liber

ber prælo, & ejus Exemplar nitidiſſim: Amſtelodami compactum eſſet, oblatione deſtinatum, & ejus germanæ ſorori Reverendiſſ. & Excell. Dominæ *Mariæ Franciſcæ* Vredenſis Eccleſiæ Abbatiſſæ ad præſentationem ab authore traditum, triſtis advolat Mercurius nuncians, eundem inexſpectata morte e vivis ereptum: unde idem quod Mauſoleo gloriæ politico-panegyrico fatum contigit, Exemplar vero hodiedum in Bibliotheca, præfatæ Dominæ Abbatiſſæ ſervatur. Ita fere nullus Authoris liber ſine ſingulari fatalitate lucem aſpexit. Sequens præprimis tale expertus eſt.

XIV.

Clericus Deperrucatus

ſive

in fictitiis Clericorum Comis moderni ſeculi oſtenſa & exploſa vanitas,

cum figuris

Autore *Ænnaeo Rhiſenno Vecchio*

Doctore Romano Catholico

Amſtelodami

Apud Gulielmum Barents.

Quia liber odioſum Clericis Comas fictas geſtantibus continebat argumentum, ſub anagram-

grammate artificioſo Nominis ſui primitus latere voluit, ipſi vero Principi Vaticano *Benedicto XIII*, qui illarum abuſum in Clero penitus abrogare, intendebat, inſcribere & dedicare, unde donec ſe ipſum tandem author proderet, interim variæ de aliis ortæ ſunt ſuspiciones. Extractiones Batavæ de libris novis Biblioth. litt. ann. 1727. Menſ. jam & Febr, no. X. p. 87. quendem é ſocietate Ieſu Presbiterum ejus fecere authorem, eo quod ſacerdos Ianſeniſta ſplendide peruccatus in eo eſſet deſcriptus. Quidam Clericus Belga gratiæ & ſingularis premii obtinendi cauſa coram Archi-Epiſcopo Mechlinienſi, Capillitii ficti quoque magno oſore, ſe illius tractatus fabrum jactitavit, ſed quia hic oblato per amicum exemplari de vero authore ſoluto nominis anagrammate jam erat informatus, acri repiehenſione mulctatus cum naſo decumano abiit. Clerici Amſtelodamenſis inprimis Ianſenio addicti cognito authoris nomine multos clamores excitarunt. Quid inter illos nonnemo ajebet, ille medicus tangat noſtros ſacratos vertices? quid ni ejus inſolentiam acri refutatione ſupprimamus? verum nil actum ſecuto poſt magnos clamores alto ſilentio. Quidam ex certa Religione dudum dimiſſus, jam parochus inſigni quoque Caliendro ornatus ſe operis proſtitutionem facturum jactitabat, ſed de vindice autoris calamo monitus, mature conceptum mutavit. Taceo alios eventus, mirum ſaltem fatum libri narrandum eſt.

Neſciebat autor qua via & ratione Clericus hic deperrucatus ſummo Rom. pontifici eſſet ſiſtendus: conſulebat fideliſſimus amicus, ut per ordinis S. Dominici in Belgio Provincialem D. *Norbeatum*

à Bin-

Digitized by Google

à Bingen ejus Generali Romæ reſidenti ſubmitteretur; Qui ipſi Pontifici non raro PP. Dominicanorum Coenobium inviſenti ad manus proprias extradederet. Conceptus ſane optimus.

Dimiſſus igiter feliciter cum autoris literis recommendatitiis ad Belgii Provincialem pervenit. Harum tenorem hic adjungere nova inventio atque elegantia illarum videtur exigere.

Reverendiſſime Domine.

Quando Clericus deperrucatus, nuper valedicturus mihi longinquo in urbem & aulam Vaticanam itineri ſe accingeret, neſcio quæ eum inceſſebat anxietas timorque Pontificis Opt. Max oculos ſubeundi ſeque ad ejus Sacratiſſimos pedes projiciendi. Videbatur me quaſi affari hiſce verbis: Nullus in aula pontificia mihi facies, nullus favendi deſiderio notus eſt Mecoenas, dignitate & authoritate valens.

Quam igitur fortunam exſpectas? Certe ſperanda nulla eſt, niſi patronus aliquis ac tutelaris quaſi genius ad Vaticanæ Majeſtatis thronum me deduxerit. Hercule non eſt ſurdo dicta hæc Fabula. Abi inquam ego fortunato ſidere, ſed prius dirige per Belgium viam ad Reverendiſſimum & Pereximium ordinis Prædicatorii Provincialem, ille ſingulari propenſione favet Viris literatis eorumque promovet laudabiles conatus, ab eo tibi favorem ſpondere poteris.

En igitur Reverendiſſime Domine ad te prius accedentem *Clericum* meum *deperrucatum* enixe rogitantem, ut voti tui velis eſſe paraicus & apud Eccleſiæ Romanæ ſupremum in terris moderatorem gratiæ proxeneta conceſſis eidem ad ordinis veſtri

Reve-

Reverendiſſimum Generalem D. *de Pipia* literis recommendatitiis quarum manuductione auſit *minus auxius tremensque magni Pontificis in manus venire.* Hiſce votis ſi annueris nulli debebo plus quam orbis Chriſtiani Antiſtiti maximo, nulli prius, quam tibi & per te ordinis veſtri ſupremo Præſuli. Vale ſplendidiſſimi Prædicatorum ordinis illuſtre Decus, & Academiæ Lovanienſis in Cathedra ſuſpiciendum ſapientia qua prophanæ qua ſacræ oraculum, & fave Clerici deperrucati non ignoto tibi autori.

Annaeo Rhiſenno Vecchio.

Succedunt omnia ad votum. Transmittit à P. Provinciali ad ordinis Generalem nitidiſſimum exemplar, quod hic cuidam Cardinali tradens recommendat ad præſentationem ſummo Pontifici faciendam. Verum ô fata! Erat hic ipſe perrucatus, qui legens videnſque hunc Caliendri in clero geſtandi morem à ſcriptore valde laceſſi, imo penitus explodi, ſuppreſſit opuſculum, ut nunquam morte interim altero anno Benedicto XIII. obveniente, illi viſum nedum tectum fuerit.

Ita *Clericus deperrucatus* ad aulam Romanam nunquam pervenit. Si de egregio novi moris capillamento & litteris falſorum crinium recommendatitiis proviſus fuiſſet, ad illam utique, imo ad ipſum thronum Principis Vaticani per Cardinalem illum Cæſariatum manuductus plurimam gratiam inveniſſet,

XV.

Digitized by Google

XV.

PaCIs Lætæ PræLVDIVM

in quo de præſenti Europæ fato
ex arte Iconographico-Symbolica
Pictore calamo & plectro Epigrammatico
captantur auguria.
DVM ſpes paCIs In rota fortVna ſtat anCeps.
Additur præliminaris Effigies
Solis Auſtriaci
Sive

CAROLI VI.

Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris
Imago
in ſpeculo Solis ſymbolico-parallelo reflexa.
Auctor
Joannes HenrICVs CohaVſen M.D.
Hildeſio-Saxo.
Anno à mundo condito
Quo poſt Rom. Imperium tot graviſſimis
bellis agitatum
Magnæ MoLIs erat PaCeM qVoque reD-
Dere MVnDo
Anno poſt Salvatorem natum
QVo De Magno paCIs negotIo traCta-
batVr.
Burgo-Steinfurti.
Apud Conradum Cunradi ill. Arn. Typ.

Libellus hic longe eſt rariſſimus, quem credo vix una extra Diœceſin Monaſterienſem Biblio-

 theca

theca oſtendit. Dedicatus eſt amoris & amicitiæ ergo Cl. D. *Jodoco Hermanno Nunningio*, qui factis præli ſumptibus exemplarium poſſeſſor eadem ad nulla bibliopolia miſit, ſed inter ſolos amicos diſtribuit, unde libelli raritas. Contigit ut unum alterumve exemplar in manus Eruditi extra patriam forte pervenerit, qui illud auro contra pretioſum æſtimavit. Admirandum in eo eſt acumen. Sub vario ſchemate prodit in Theatrum *Spes pacis* jam dejecta metu, jam ſecundis rerum apparentiis erecta, jam dubiis vacillans, jam quoque ægrotans, imo fere & moriens.

Dum pacem ſpes certam facit, ſubjicitur ex vatum antiquorum Apollinea tripode deſumptis hemiſtichiis aut verſibus integris dubio mentis præſagium. Dum diffidentia & metus eam longe fugat, voto quaſi revocatur, ita ut in ancipiti tantum tota ſurſum deorſumque incerta volvatur, & multa dicendo nil tamen indubitatum concludatur. Diverſus iſte pacis ſtatus ſub olivæ ſymbolo potiſſimum, & reliqua ſub aliis occultæ veritatis imaginibus proponuntur, additis unicuique ſymbolo, ſua epigraphe Chronoſtica & Epigrammate. Quibus quæ ſubjiciuntur, aut hæc magis explicant, aut corrigunt aut excuſant. Nullam tamen author vult dictam ſcriptamve, qua quis lædatur ſatyram, nec imputari ſibi ſi (quod præ captu lectoris librorum fatum eſt) livor fortaſſis nonnulla ſiniſtre applicet aut interpretetur. Symbolicæ enim imagines ſpecula ſunt, quæ pro inſpicientium variis vultibus varias aſſumunt repræſentationes. *Ipſæ nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ.* Virgil. 2. Georg.

Ad-

Adjecta eſt Solis Auſtriaci effigies ſeu Auguſtiſſimi Rom. Imperatoris *Caroli VI.* imago in ſpeculo ſolis ſymbolico-parallelo reflexa hic quidem brevi Epigrammatum compendio præliminariter adumbrata, integro tamen ſtyli ſoluti opere meris inſcriptionibus ceu vivaciſſimis quibusdam coloribus veluti in hypothipoſi repræſentata, & aliquando in lucem publicam emittenda.

Hæc omnia ita ingenioſa, aucta & elegantia ſunt, ut ſi quis ex illis extractum vellet facere, omnia excerpere deberet. Ego unicum tantum hic oppono Epigramma finale ad amicum, cui facta eſt præludii inſcriptio:

Symbola venturæ ſunt hæc præludia pacis,
Sed ſi fallar, erit luſus hic ingenii.
Quæ tibi quando dico, non ludo doloſum amicum
Non eſt Syncero in pectore ludus amor.

poſſem in hujus opellæ laudes à viris graviſſimis datas fuſius excurrere, ſed unum ſaltem alterumque viri literati elogium ſufficiet. Vir inter ſocios Jeſu præclarus, cui Exemplar ſubmiſerat D. *Nunningius*, ſequentem ſubmiſit criſin: Legi & perlegi pacis præludium, perplacet conceptus ingenioſus, Carminis nitor, placent acumina Epigrammatum, veterum poëtarum apte accommodati verſus miror ſane laborem & ingenium Poëticum ac Poëtarum notitiam.

Clar. *Nunningius* in Weſtphalia docta ſcribit vel hoc ſolum Præludium ſufficienter oſtendere, Poëtarum Diademate merito coronandum eſſe *Cohauſenum.* Bibliotheca orbis literati ann. 1716. menſ. Decembr. p. 639. ſcriptum dicit rariſſimum, in quo Enthuſiaſmus Poeticus eluceat. Cl. D. *Graſperus*

 in

in literis Gementæ in Be gio, ubi tum temporis morabatur, 3. May 1718. ad authorem datis hæc ſcribit: *Pacis præludium* tuum ſupra modum placuit Viris doctiſſimis. Ego, quo penitius inſpicio eo magis in admirationem rapior: libellus ſane elegantiſſimo carmine adornatus, ſenſu, energia emphatica ſaturatiſſimus. Plura utinam exemplaria tuliſſem mecum. Tam avide literatus hic ea deſiderat orbis: ſunt qui illa pro Cimmelio habeant. &c. Pax eo tempore ſecuta vota & Vaticinia autoris complevit.

XVI.

GLorIa BoICa
In orbeM weſtphaLIæ reDVX.
Cui ſub triumphali arcu occurſans
Genius Mimigardicus
Pronææ & ſapientiæ ſociatus
applaudit & gratulatur
Et in Apodoſi
Reverendiſſimo ac Sereniſſimo Principi ac Domino
D. PHILIPPO MAURITIO,
Utriusqne Bavariæ & Superioris Palatinatus
Duci Comiti Palatino Rheni
MonaſterII & PaDerbornæ
nVper faVſte renVnCIato EpIsCopo
Quadruplicis in patria Ordinis
Clericalis, Nobilis, Civilis, Ruſtici
nomine

De-

Devotiſſimum præſtat homagium & vota cum
futuræ in Regimine felicitatis omine
humiliter perſolvit
opera
MVsæ, qVæ GLorIæ Bolæ reDVCI LItat.
Anno
QVo benIgno sIDere eLeCtVs eſt PræsVL
MonaſterIensIs.
Daventriæ
Ex Officina Viduæ Enochi de Vries Gymn. Typogr.

Hic libri eſt titulus, à parte paginæ averſa legitur:

Præco
Ad S. P. Q. M.
BolorVM InſVLato DVCI
GLorIa
NVbIt & VeL Ipſa arrIDente CœLo
ſe DeſponDet faVſtItas.
Vos MonaſterII InDIgenæ
HVC Vota Conferte.

Tractatui huic in folio regali chartæ mundiſſimæ nitidiſſimo charactere impreſſæ adjunctus eſt Arcus Triumphalis, cui hæc Inſcriptio:

Arcus Triumphalis Ornamenta,
Seu
Virtutum & Epiſcopalis Gloriæ Symbolicæ imagines, ex vario ipſiusmet Sereniſſimi nominis anagrammate veluti quodam fatidico tripode deſumptæ.

Subjectum ſequens literis majoribus per lineas diſpartitis:

Spectaſti lector novum triumphum gloriæ Boicæ, & quadruplicis patriæ ordinis nomine Genii Mimigardici votivas grationes & plauſus. Suſpice nunc ad fornicis triumphalis columnas affixa ornamenta, & crede deſtinanti cœlo, non gentili fato aut cæco caſui deberi, quod viris mundi primariis imponantur nomina, quæ in ſe teneant præſagam ſortis ſeu potius virtutis futuræ ſcientiam.

Verùm ô ſtupenda libri fata! vix hic ſub prælo erat abſolutus, & luctuoſa cataſtrophe excepit feſtivos plauſus, jubila in ſeſſum, & pœana in næ-nias & mœſtiſſimas lacrymas mutata ſunt; quando celeri mercurio allatum eſt nuncium de improviſo novi Præſulis Romæ obitu, quo ſumme conſternatus tot glorioſa Genii Mimigardici Lemmata felicitatis ac longævitatis præſaga lugubri Nænia clauſit, & arcui triumphali ſaxos & ferales cupreſſos affixit. Dum autem miranda & ſubitanea luctus in gaudium metaſtaſi nova fient Sereniſſimi Ducis *Clementis Auguſti* ad deſtinatum Fratri Epiſcopale ſolium electio, nova quoque devotionis Symbola ac inſcriptiones una cum præmiſſo opuſculo eidem dicavit & conſecravit ſub ſequente titulo;

Genii Mimigardici
Poſt Luctum Duplicata Gaudia,
ex
BoIarIæ GLorIa & MonaſterII feLICItate ReDIVIVa.

Sub

Digitized by Google

Sub

Altero Boiorum Duce

Reverendiſſimo ac Sereniſſ. Principe ac Domino

D. CLEMENTE AUGUSTO,

Utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatus Duce, Comite Palatino Rheni &c.

Monaſterii & Paderbornæ

Unanimibus ſuffragiis electo & confirmato Epiſcopo.

Sive

Arcus Triumphalis Symbolicus

Glorioſiſſimæ Memoriæ

D. Philippo Mauritio Bojorum Duci

Sub ſpe longævitatis nuper erectus,

Aſt DetraCtis IaM taXIs & CVpreſsIs.
Et aDfIXo aMpLIore GLorIæ BoICæ ornatV.

Sacratus

Sereniſſimo Duci, Fratri germano

Magno DeCore Creato eX Voto patrIæ AntIſtItI.

Daventriæ. Ære DeVrieſio.

In parte paginæ frontiſpicialis averſa alia legitur hæc inſcriptio:

Digitized by Google

Præco
ad
S. P. Q. M.
ADeſte nVnC VrbIs MonaſterIensIs CIVes.
MIttIte NænIas, DVpLICate pLaVsVs.
ArCtIorI, qVaM nVper fIDe
Conſtans faVſtItas
SVb Neo-PræsVLe ſe DeVInCIens
GLorIæ BoIæ ſe DeſponDet.
Vos In tripVDIIs Vota & heCatoMben
Conferte.

Panegyrin hanc eximia commendat Inſcriptionum elegantia ſingulare anagrammatum & chronoſticorum acumen, tum chartæ in regali folio, & characterum typographicorum nitor, illis impenſum huic operi laborem, his factos impreſſioni ſumptus ſatis oſtendentibus; obtenta hoc ſcripto, periti panegyriſtæ fama, & tanto Principi factæ dedicationis honor, laudatiſſima prædicata, ſufficientia fuêre tanti laboris redhoſtimenta, licet enim plures congratulatorios ediderint applauſus, feliciter electo Epiſcopo, viſa eſt hæc panegyris nulli alii elegantia ceſſiſſe. Antiquitus erat iſta Muſarum felicitas, hodie vix amplius exſpectanda, ut librorum præſertim encomiaſticorum Dedicationes donativo recompenſarentur; ſed mos iſte in tanta ſcribentium, & congratulantium multitudine hodie exolevit. Gratia Magni Principis omni dono major eſt, præterquam nil aliud author noſter in cujuscunque operis ſui dedicatione ſibi exſpectandum putavit.

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Archeus febrium faber & medicus Sive

Exercitatio Medico-Practica,

De uſu & methodo rationali, ſolida, certa & ſecura tam in febribus intermittentibus, quam periodicis continuis adminiſtrandi febrifugorum omnium maximum Corticem Peruvianum ſeu chinam chinam, Autore Jo. Henr. *Cohauſen*, Hild. Sax. Med. D. Archiatro Horſtmario-Ahuſano, & Diœceſ. Monaſt. Practico Seniore. Cui hæc præfixa Hecqueti Sententia. l. de purganda medicina à curarum ſordibus. c. 19.

Non imperet conſuetudo: Opinio non praeoccupet: Unus te regat amor veri, ſtudium recti, ſanandi cupido.

Amſtelod. apud Salomon Schouten. MDCCXXXI.

Occaſionem Scripto dedit febrium intermittentium & continuarum in Hollandia graſſantium frequentia & malitioſa vehementia, quæ innumeros non obſtante cortice à methodice uſurpato per conſectaria lethalia ad tumulum rapuit, ideoque ad inſtantiam Medicorum Batavorum ſingularis amici petitio, ut, quia pleroſque methodo Cohauſena ab iis per pulverem peruvianum liberatos conſtabat, autor eam vellet in gratiam tot febricitantium publicam facere, quod quomodo & quo libri loco fecerit, ipſe lector indagare non gravabitur.

Nullas equidem habuit libellus hic congratulationes, nullos applauſus publicos. Quis enim neſcit, quas perſecutiones & contumelias patia-

tur hodie etiam apud alias prudentes Divinus hic cortex, adæquatum, ſi debite uſurpetur, febrium remedium. Non deſtiterunt tamen præſtantiſſimi medici hujus opuſculi laudes extollere, imo etiam decantare. Verificabo utrumque

Excell. Magnæ Britanniæ Regis medicus aulicus DD. *Paulus Gottlieb Werlhoffius* in Obſervationibus de febribus intermittentibus, ſoporoſis & apoplecticis, quas fas eſt omnibus junioribus practicis recommendare, non paucis locis, uti p. 7. 51. 54. 64. 72. 81. 90. 93. 96. 148. 183. & Tr. d. limitanda febrium laude p. 69. ejusdem honorificam facit mentionem, ad quas brevitatis cauſa lectorem remitto.

Vis decantatorem? Cl. DD. *Wilhelmus Triller*, Archiater Naſſovio-Saarbruccenſis inter Medicinæ & Poëſeos Germanicæ Proceres non poſtremus Part. 3. Medit. Poëtic. p. 286. dum ob febrim periculoſam corticis peruviani uſu in ſe fugatam, Deo laudes & ejusdem præconia fusè decantat, in Excell. D. *Werlhoſii* & *Cohauſeni* elogium unà erumpit hiſce verſibus:

Soll ich bey dieſen Zeugen nicht
Den *Morton* und *Muraltus* loben,
Wird der *Cohauſen* nicht erhoben,
Der wahr, obgleich Satyriſch ſpricht?
Vor allen will es ſich geziemen,
Dich Edler *Werlhoff* hier zu rühmen,
Weil du am neuſten und zuletzt
Der edlen Gannanoperide
Die allerſchönſte Pyramide
In deinem Fieberwerck geſetzt.

Vid.

Vid. etiam p. 278. & 282. in Scholiis. Ponemus hic contentorum ſeu capitum elenchum pro iis, quibus nunquam viſus aut lectus eſt utiliſſimus hic libellus:

Caput I. Quidditas & Eſſentia febris.

II. Modus febrilis plane violentus & coactus eſt, adeòque illum ut primum fieri poteſt, exhibito ſpecifico tollere aut ſuſpendere permiſſum.

III. In Cortice peruviano agendi & febres fugandi modus.

IV. Circumſtantiæ & cautelæ ante corticis peruviani exhibitionem obſervandæ.

V. Expurgatio corporis ante corticis exhibitionem non in omni febri utilis ac neceſſaria.

VI. Qua methodo & quo tempore cortex peruvianus in febribus intermittentibus exhibendus.

VII. Nonnulla ſub corticis peruviani uſu obſervari digna.

VIII. Purgatio poſt exhibitum corticem raro neceſſaria, ſæpe inutilis, plerumque noxia.

IX. Symptomata febres præpoſtero Chinæ chinæ uſu ſuppreſſas non raro ſequentia quomodo tractanda & curanda.

X. Cortex peruvianus adæquatum in febri quartana remedium,

XI. Cortex peruvianus provide & cautè adminiſtratus tutum ſatis eſt efficax in febribus continuis remittentibus medicamentum.

XII. Corticis peruviani efficacia in variis aliis morbis & præcipue iis, quibus junctæ ſunt commotiones febriles.

XIII. Corticis peruviani componendi ſeu miſcendi neceſſitas.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Corticis ſecundum varias febrium indicationes miſcendi artificium & varia exempla.

Hæc ad informationem ſufficiunt: non faciam igitur ex libro extractum: adſcribam tamen elegans epicedium, memoratu dignum, ne intereat, quia libro non inſertum, quod Autor condidit in iſtum medicum anonymum, cujus facta mentio eſt pag. 76 qui ut podagram vitæ, ceu putabat, longæ cuſtodem non offenderet, à febri quartana per corticem liberare noluit.

Epicedium.

Plorate triſtes Camænæ
Immites Parcæ veſtro ni fallor, contubernali
Domino - - - - - - - Jatro Clariſſimo
Vitæ fila præciderunt.
Erro: veſtris non opus eſt Næniis
Cui nulla in vivis muſa arriſit,
Nec ulla neceſſe eſt ut deſumto plangat.
Cujus ex obitu Reip. litterariæ nullum illatum eſt damnum,
etiam ex longiori vita nil utilitatis acceſſiſſet.
Vixit in Medicorum choro,
ſed non medice, non modice,
unde crurifragam contraxit arthritidem
quia medicus noluit eſſe pedaneus.
Sociavit ſe huic tandem Medicorum opprobrium
Febris Quartana.
Quid hic conſilii?
Medice cura te ipſum,
Non arriſit rationalis ſanandi methodus,
voluit ſe curare per exſpectationem,

nul-

Digitized by Google

nullum remedium judicans eſſe optimum.
Noluit fugare quartanam ex metu panico
ne forte moreretur ex ceſſante podagra.
Glorioſius ſibi putans.
Cum gemino hoſte conflictari quam cum uno.
& ſi moriendum eſſet, cadere ſub utroque,
potius timide, quam temere decertandum putavit.
Sed jacet eheu! ab utroque devictus.
Qui quartanæ victor de podagra triumphum exſpe-
ctare potuiſſet,
jacet. Sed in pace admodum quietus.
Neminem in vita provocavit ad monomachiam
litterariam,
ſic ejus cineres nemo infeſtabit,
Honeſtius duxit fame auri, quam famæ poſthumæ
laborare,
Cujus favente fortuna eam ſibi congeſſit copiam,
ut veram fecerit Parœmiam:
Dat Galenus opes.
Felicem eum reddidit non tam furor magni
Apollinis,
quam fæminarum Principum,
Quarum aucupari gratiam, ſi mederi eſt,
Medicus fuit expertiſſimus
in vita nullo ſcripto ſibi parare voluit
æternæ laudis memoriam,
ideo de illo altum ſilebit tota poſteritas.
Et ego quoque nunc ſileo.
Criticorum filii diſcutite paradoxum.
Prudentiæ pars magna eſt ita mori,
ut poſteris nunquam conſtet vixiſſe.
Vanum namque eſt aliquid relinquere,
quo nos vixiſſe teſtemur.

XVIII.

bliopolam & Wilhelmum van Egmont venalis. Publicato in vernacula Hollandica hoc ſcripto chyrurgis & fœminis obſtetricantibus de ſyſtemate uteri Ruyſchiano maximum incepit oriri dubium, imo ejus auctoritas plane intercidere. Sicuti & famoſiſſimi Medici protectores poſt hoc tempus, neque in diſſectione uteri anatomica hunc muſculum orbicularem detegere potuerunt, neque ſententiæ tam periculoſæ ſubſcribere voluerunt. Debetur igitur vel ex hoc tractatulo nomen immortale Cl. *Cohauſeno*, quod humano generi & ſexui fœmineo ſervando omnium primus erroneæ huic ſententiæ publice contradixerit, & opuſculum tam utile atque neceſſarium ediderit. Cl. *Ruyſchius*, cui cum cœteris Collegii Amſtelodamenſis Medici Spectatiſſimis Aſſeſſoribus liber erat dedicatus, ut ut in Anatomia experimentali facile princeps, Lucinæ ſuæ patrocinium non ſuſcipit, neque medicorum ullus obſtante contrarietatis evidentia id ſuſcipere hactenus tentavit.

Poſſem, ſi neceſſe foret, recenſere plures poſtliminio ſcriptores anatomicos, qui inſtituto exactiſſimo uteri ſcrutinio muſculum orbicularem ſe non potuiſſe deprehendere profeſſi ſunt, ſed non opus hiſce teſtimoniis, autor noſter ſufficienter probavit, talem orbicularem muſculum quamvis profeſſorali licentia novo placentæ ſeparandæ munere donatum non exiſtere. Exſcribam hic ſaltem Elenchum capitum.

Caput I. Muſculi orbicularis Ruyſchiani ſtructura, actio, & uſus: & num is hactenus anatomicorum nulli innotuerit.

II.

II. An muſculus orbicularis in uteri fundo detectus ſit placentæ expulſor, & num ad alium finem & uſum à natura deſtinatus?

III. An placentam diutius in utero hærere aut permanere ſit extra periculum?

IV. Placentarum in utero retentarum mutationes num periculo careant, & medico non ſint attendendæ.

V. An obſtetrix remorante aut leniori manui reluctante placenta animo quieto domum abire, & muſculo orbiculari expulſionis officium reliquere audeat, modo vim placentæ non intulerit, licet gravia ſymptomata imo mors ipſa, ſequatur?

XIX.

Hermippus Redivivus,

Sive

Exercitatio Phyſico-Medica curioſa,

De Methodo rara

Ad CXV. annos proragandæ ſenectutis per anhelitum puellarum, ex veteri monumento Romano deprompta, nunc artis medicæ fundamentis ſtabilita, & rationibus atque exemplis, nec non ſingulari Chymiæ Philoſophicæ paradoxo illuſtrata & confirmata

Autore Jo. Henr. *Cohauſen* M. D.

Francofurti ad Mœnum apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort. anno 1742.

Grandævæ hic ætatis partus eſt, eoque miran-

 dum

Digitized by Google

dum magis quod & plures alii mirantur, ingenii atque memoriæ in tanto ſene eſſe vigorem, ut non hunc modo ſed & alios fructus hactenus anonymos in iſta alias decrepita ætate progenuerit. Occaſionem ſcripto dedit fortuitus cum duobus eruditis amicis diſcurſus de antiquis Epitaphiorum Monumentis, ubi illorum unus Hermippei epitaphii mentionem faciens dicebat, id aptam eſſe materiam Cohauſeni calamo, quo illa anhelitus humani efficacia & per eam vitæ prolongandæ poſſibilitas probetur. Dictum factum, intra duos menſes horarum ſubciſivarum labore voto ſatisfactum eſt, & *Hermippus Redivivus* in luce comparuit, de quo ipſi DD. Francofurtenſes ſequentem criſin publicarunt, ex idiomate germanico hic in latinum verbotenus translatam.

In Andreana & Hortiana Officina libraria ante paucos dies in lucem prodiit ſequens opuſculum:

(Hic allegatur integer jam ſupra deſcriptus libri titulus)

Medicorum obſequia nunquam gratiora ſunt, quam ſi citò, tuto & jucunde medicamentis opem ferant. Quemadmodum verò eadem duplicem ſcopum habent, vel ad ſanitatem præſentem conſervandam, vel ad amiſſam reſtaurandam, ut & longitudinem vitæ procurandam, ſic eorundem quoque opera dupplicato grata & accepta evadunt, ſi juxta triplicem hanc indicationem exerceantur. Tametſi vero triplices hæ remediorum conditiones non ſemper una conſpirent, eorundem tamen ſecuritas & jucunditas non ingratam reddit operationis moram.

D. Do-

D. Doctor *Cohauſen* in memorato opuſculo methodo ſua ſcribendi nitida & exaſciata pridem nota docet ſenectutem per anhelitum puellarum, ceu medium non ingratum ad annos CXV. prorogare. Occaſionem commentandi ipſi ſuggeſſit in veteri quodam Monumento Romano inventa hæc Inſcriptio:

Æſculapio. & ſanitati.
L. Clodius. Hermippus.
qui. vixit. annos CXV. Dies V.
Puellarum. anhelitu.
Quod. etiam. poſt. mortem.
Ejus.
Non. parum. mirantur. Phyſici.
Jam. Poſteri. ſic. vitam. ducite.

Non intendit autor veritatem hujus Hermippeæ longævitatis indagare, ſed rogat lectorem p. 9. opuſculum hoc ceu exercitium ingenii in ætate ſua plus quam ſexagenaria & fortaſſis poſtremum reputare. Ut inde cognoſci poſſit, nihil eſſe tam abſurde ab antiquitate excogitatum, quod exacta declaratione non poſſit credulos ſub ſpecie veritatis ſeducere, vel etiam ſpe vitæ longæ ad imitationem allicere. Digna profecto occupatio D. *Cohauſen* Senioris, jucundum amœnioris in ſenectute cerebri inventum: præbere ſpeciem veritatis, & tamen ſimul animadvertere, neutrum eſſe veroſimile. DD. pererudito joco talem monſtrat ſpiritus vivacitatem, ut ſi illi reſpondeat corporis vigor, nondum remedio, quo Hermippus tantam ætatem conſecutus, indigere, ſed iterato rejuveneſcere videatur. Totum opus in duas partes & per capita dividit. In prima præter ſenſum Inſcri-

ſcriptionis litteralem conſiderat conditionem anhelitus, & quomodo poſſibile fuerit, Hermippum mediante puellarum adhalatu ad tantam pervenire ætatem, eò quod parvæ tantum & nondum nubiles virgines fuerint, quarum anhelitu Hermippus redditus adeo ſenex. Refutat ergo p. 24. objectionem, quod cum illæ paulatim ad annos nubiles pervenerint, neceſſe fuerit easdem ſæpius mutare & ab anno ſexageſimo ad annum centeſimum decimum quintum ad minimum alias ſurrogare, quod cum ingentes requirat expenſas, *Hermippus* magnus diveſque neceſſario extitiſſe debuerit, ideoque alii eundem facile imitari non poſſint. Conjectura igitur p. 25. hariolatur Hermippum in Romano puellari Pœdotrophio præſidem fuiſſe. Negare equidem non vult, pueros quoque adfuiſſe, opinatur tamen id nequaquam ſuæ obſtare conjecturæ, eo quod notum ſit (p 26.) Ludimagiſtros omni tempore longioris vitæ quaſi privilegio potitos eſſe, ſingulariter obſtricti ſunt honeſti hi viri ad reddendas gratiarum actiones DD. *Cohauſen*, quod eos de commodo informarit, quod viſi ſunt hactenus ignoraſſe, interim cum juxta autoris poſtulatum à tempore immemoriali ſint in hujus commodi poſſeſſione, id de eorundem minervali detrahi non poteſt.

Poſthæc DD. *Cohauſen* dilucidat duplicem hanc quæſtionem: Quare Salomon de tot proviſus fœminis non ſit redditus ſenex? Quare Sultani perpetim ferè in Gynæceis degentes communiter ad ſenectutem non perveniant, nempe quod inſtar Hermippi talium juvencularum anhelitu non fruantur, quod exemplis confirmat.

Parte

Parte ſecunda Hermippæum vitæ ad CXV. prolongandæ medium adhuc plus ultra, quam ipſe *Hermippus*, extendere conatur. Satagit namque probare, non tantum puellularum anhelitum, ſed inſenſibilem quoque corporis tranſpirationem laudatas vires poſſidere, neque tantum illarum, ſed virginum quoque nubilium. Nam ſicuti in halitu ſubtiliſſimæ aqueæ, ſalinæ & oleoſæ expirationes pulmonum continentur, ita quoque ejusmodi particulæ inſenſibili totius corporis tranſpirationi inſunt, quas frigus ad ſpeculum ſatis conſpicuas faciat, & haſce Hermippi corpus intrâſſe, & cum ſenectus corpus reddat aridum & inflexile, illud in conſtanti naturali humiditate & flexilitate conſervâſſe; monet, quemlibet facile comprehendere poſſe, ejusmodi puellas ſanas atque vegetas eſſe debuiſſe.

Opinatur p. 58. ſi ſibi demandaretur obſequium, ſicut Regis Davidis Archiatris pulchram & vegetam Sunamitidem, illi ſervando, inquirendi, ſe malle puellam ruſticam præ tenera Virgine aulæda Regi Septuagenario frigido calefaciendo & effluviis recreando eligere. DD. *Cohauſen* laudatas vires, quas fæmellæ juvenis ſanæ exſpirationibus ad vitæ prolongationem tribuit, ex effectu contrario, quando juvenes ſibi vetulas matrimonio jungunt, probare conatur. Optamus quibuscunque viris juvenibus, qui propter opes tentantur ducere anus, ut antecedenter Caput hoc tertium partis ſecundæ hujus opuſculi legant, quia vires tribuet ad reſiſtendum huic tentationi, ſicuti è contrario illis, qui connubio vetulis jam juncti ſunt, ne illud legant, conſilium damus. Tandem diluit quæſtio-

ſtionem, num virum prudentem deceat methodo Hermippæa vitæ longitudinem quærere, quam diverſis propoſitis jocis longa negativa reſolvit. Et hæc tota eſt utilitas eruditæ diligentiæ quam DD. *Cohauſen* declarationi poſitæ in monumento inſcriptionis impendit.

Relatio hæc Francofurtenſis integræ opellæ ſciagraphiam continet. Operæ pretio dignum erit, nunc hic quoque adducere Cl. DD. *Cannegieſeri* Jurisconſulti, & apud Arnhemenſes Hiſtoriarum Profeſſoris celeberrimi criſin, quam ad rogatum Cl. D. *Nunningii* erga donatum exemplar Hermippi Redivivi in ſuis Reſponſoriis diſcurſu prolixiori, curioſo tamen atque docto remiſit:

„ Ad Hermippum *Cohauſeni* tui redivivum „ tranſeo, in quo libello quid prius mirer, ani„ mi in vergente ætate robur, an ſermonis & re„ rum elegantiam dubito. Quam ætatem puella„ rum anhelitus Hermippo ejus adflarunt, hanc „ ſuaves illius filiarum (quarum numerum ex ope„ re ejus cognovi) gratiæ, quæque deinceps ab „ illis & à filiis ejus neptes naſcentur, jucundiſ„ ſimo patri atque avo aſpirent. Imo vero mi„ tem viridemque nec non fortunatam ſenectam „ clementiſſimus Deus adnuat. Sed ad rem ad„ gredior. Vide quam religioſè exequar juſſa „ tua, ut nihil plane eorum prætermittam, quæ „ à te mihi mandata ſunt, quamquam non tua „ ea cauſa mandata eſſe cognoſco. Hermippi „ nobile monumentum hoc circumfertur deſcri„ ptum *Thomæ Reineſio* Syntagm. Inſcr. fol. 1. N. „ XIIX. hoc modo:

Æſcu-

Digitized by Google

Æſculapio & ſanitati.
L. Clodius. Hermippus.
Qui. Vix. An. CXV. D. V.
Puellarum. anhelitu.
Quod. etiam. poſt. mortem. ejus.
Non. parum. mirantur. Phyſici.
Jam. Poſteri. ſic. vitam.
Ducite.

„ Titulum hunc omnem verum eſſe & antiquum „ nullus credo, opinabitur, qui veteribus monu- „ mentis adſuetus eſt, in quibus me nonnihil ver- „ ſatum eſſe non nego, ſed quid adſuetas aures hic „ anteſtor? Ratio ipſa reclamat. L. Clodius la- „ pidem poſuit: quæro vivus an mortuus? utique „ mortuus, nam in ipſo lapide mors ejus memo- „ ratur. Nempe *poſt mortem mirantur*, ut cum „ illo tempore fata & vitæ curſum qui CXV. an- „ nonem, dierum V. fuit, impleviſſe intelliga- „ mus, idem docet verſus extremus atque in eo vo- „ ces *jam* & *poſteri*, nec non *ducite*; imo unde „ niſi ex morte vitæ ſpatium cognoſci potuit, „ quod ut dixi CXV. annorum fuit? Quis autem „ mortuus unquam monumentum poſuit? Sed ais: „ alius illius nomine & juſſu curavit. Non nego „ id factitatum crebro, ſed & hoc ſcio, addi li- „ teras ejusmodi inſcriptionibus P. F. J. vel C. id „ eſt, poni fecit, juſſit, curavit, aut ſimiles, verum „ nunc & aliud alterius nomine Diis, aut poſt „ mortem ejus, Deo ſupero conſecravit. „ Hoc omnem importabat Diis omnibus certe ſu- „ peris & medioximis inviſum, maxime Æſcula- „ pio & Hygiæ, atque ob id alienum prorſus ab „ omni antiquitate. Cedam tamen opinione

Digitized by Google

„ mea, ſi ex omni antiquitate unum mihi exem-
„ plar proferatur huic ſimile aut propinquum.
„ Credo Juriſconſultum fuiſſe, qui Cippum illum
„ commentus eſt, cui hominum generi licet eun-
„ dem hominem & mortuum dicere & vivum.
„ Qui hanc inſcriptionem confinxit, in tribus,
„ prioribus verſibus Hermippum vivum proponit,
„ ac cæteris mortuum. Sed pergo: Æſculapius
„ & Sanitas impoſtori illi Dii utique ſunt habiti,
„ atque Numinum eorum cauſa conſecratus eſt la-
„ pis. Sed quis Romanorum Deam ſanitatem no-
„ minavit? At video quid erraverit iſte. Æſcu-
„ lapio & Hygiæ lapides multos poſitos legerat,
„ hanc Deam latine, ut in latina inſcriptione, no-
„ minare voluit, in lexicis autem vulgaribus vo-
„ cem græcam *ὑγίειαν* latine ſanitatem dici repe-
„ rit, atque inde confeſtim eam in titulum hunc
„ tranſtulit, ignarus Romanis Deam ſalutem eſſe
„ dictam. Atque ita apud *Gruter.* Theſaur. p. 76.
„ n. 1. 2. *Reines.* Syntagm. Inſcr. l. c. n. 114 *Te-
„ rent.* Necyr. Act. 3. Scen. 2. v. 3. *Quod te Æſcula-
„ pi atque te ſalus ne quid ſit hujus, oro*; mitto alia
„ multa. Aras ſaluti poſitas, qui volet, adeat
„ *Gruterum*, *Gudium*, *Muratorium*. Quare ve-
„ riſſimam arbitror hanc *Reineſii* ſententiam de
„ illa Hermippi inſcriptione, *jocularίam eam eſſe,
„ & ſapere ſeculum barbarum.* Nam quod addit
„ *indignam cujusquam cura*, egregius *Cohauſenus*
„ oſtendit, quam digne & utiliter opera in ea de-
„ claranda ponatur. Deinde nollem etiam titu-
„ lum totum damnaſſet *Reineſius*. Nam quam
„ particulam ejus *Jacobus Cujacius*, Vir Summus in-
„ genio & eruditione, dedit, latiniſſimam puto &
„Ro-

Digitized by Google

„ Romanorum ſectæ convenientem. Ita autem
„ exhibet in expoſitione N. S. L. CLODIVS HYR-
„ PANVS VIXIT ANNOS CXV. D. V. ALI-
„ TVS PVERORVM ANHELITV. Dicit exta-
„ re in antiquiſſimis Inſcriptionibus urbis Romæ.
„ Majore is fide fuit, quam fallere voluerit, &
„ naribus emunctioribus, quam ut fallaciam alio-
„ rum, ſi qua facta erat, non fuerit odoratus.
„ Scio *Hyrpanus* cognomen Romæ parum frequen-
„ tatum fuiſſe, verum quis neſcit inſuetas non
„ tantum, ſed & barbaras & ridiculas nonnun-
„ quam voces in cognomina tranſiiſſe, maxime
„ ſub Cæſaribus. *Hirpi* & *Hirpini* qui fuerint, ex
„ Geographis notum & præter Geographos ex *Ser-*
„ *vio* ad Virg. Æneid. V. 185. Credidi aliquando
„ vocis veſtigia ſupereſſe in hac epigraphe agri
„ Auguſtani apud Velſer. p. 407. *Apollini Granno*
„ *ſignum CM. Baſe MirPA.* id eſt M. *irPA* vel
„ *Hirpa* ſive *Hirpanus.* Literas priores aſperari le-
„ vigarique promiſcue etiam uſurpari nonnun-
„ quam I. & Y. notum eſt. Hyrpix inſtrumen-
„ tum ruſticum memoratur eidem *Servio* ad Vir-
„ gil. Georg. 1. V. 95. ali puerorum anhelitu dici-
„ tur is, qui puerorum aura veſcitur, noſti dictum
„ Virgilianum:

Quid puer Aſcanius? Superatne & veſcitur aura?

„ Neque autem credendum, ita Clodium alitum
„ fuiſſe, puerorum aura, ut præter eam cibo pa-
„ ſtus non ſit, non magis enim hoc de illo ve-
„ rum eſt cenſendum, quam *Aſcanium* præter au-
„ ram non alium cibum ſumpſiſſe. Imo vero ali
„ dicuntur, qui quomodocunque ſuſtentantur,
„ nec cibis tantum, ſed & lætitia. Ita ali verbis,

Digitized by Google

„ ſpe dicimur. Illud eſt apud *Ovid.* ſpes alit agri-
„ colas: ſucceſſu ali eſt apud *Virgil.* Æneid. 5. V.
„ 231 ſtudiis apud *Ciceronem* pro Archia c. 7. ubi
„ nequicquam alii amant, legunt. Nam & ita
„ Cicero apud *Suetonium* de Rhetor. c. 2. nec non
„ Auctor ad Herennium de cauſis corrupt. Eloq. c.
„ 14. Denique *Quintil.* Inſtit Nat. l. 1. c. 8. &
„ lib. 8. procem. Alitur ergo anhelitu ſive anhe-
„ latione ſenex, qui inde utrumque vires & ala-
„ critatem animi auget. Tu vide quæ de hac vo-
„ ce *Obertus Giſanius* homo latini ſermonis ſi quis-
„ quam alius, callentiſſimus in Collectaneis in Lu-
„ cretium, ubi hoc Virgilii exponit:
Hos ſucceſſus alit. id eſt, ait, *alacriores reddit,*
„ *auget alacritatem.* Dubitabit forſan aliquis de
„ uſu vocis *anhelitus*, pro adhalatione & adflatio-
„ ne, verum non tantum ferendam puto, ſed &
„ cauſæ huic accommodatiſſimam reor. Anhelo
„ eſt ex am, quod ex Græco ἀμφὶ circum & halo.
„ Adhalat, qui leviter adflat. Anhelat, qui colle-
„ cto undique atque ex toto corpore ſpiritu flat,
„ ut laborantes ex morbo, atque ex opere & fati-
„ gatione, imo etiam ex animi ardore, ut anhe-
„ lare dicitur Mars in certamine *Virg.* Æneid. 12.
„ v. 790. Solis equi. *Virg.* Georg. 1. v. 205. de
„ quo vocis uſu erudite diſputantem lege *Janum*
„ *Ulitium* ad *Nemeſiam* Cyneget. v. 255. Pueros
„ ergo anhelantes L. Clodio Hyrpano accipe, qui
„ follium inſtar circumſtantes aut circumſedentes
„ adflabant hilariores vegetioresque ſeni decrepito
„ ſpiritus. Forte tantum unus adſedit, & quia
„ eam operam plures præſtabant per vices, pueri
„ fuiſſe memorantur, & quia ab imis penetralibus
„du-

„ ducebatur ſpiritus, anhelitus vocatur. Nam ut „ aliis beatioribus in Græcia ac Romæ dormienti„ bus à pueris & puellis flabello refrigerandi cau„ ſa ventulus fiebat, de quo officio *Terent.* in eun. „ act. 3. & 4. v. 50. *Martialis* l. 3. Epigr. 82. „ Quod Epigramma in zoilum à te perlegi velim, „ ut luxurioſorum hominum miniſteria cognoſcas, „ quibus haud difficulter anhelatores, quos dixi, „ accenſebis. Quod autem flabello iſtis, hoc *Clo„ dio Hyrpano* puerorum ore factum, non refrige„ randi cauſa, ſed alendi. Pueros accipio ſervos „ ætate florentes, de qua ſignificatione non ſolum „ Grammatici monuerunt, ſed & *Paulus* Juriscon„ ſultus in L. 204. de Verb. ſignif. atque inde apud „ antiquos frequens teſte *Feſto* Quintipor, Marci„ por, Caipor, id eſt, puer ſive ſervus Quinti, „ Marci, Caji. *Terent.* Andr. Act. 2. S. 2. v. 31. „ *Etiam puerum inde abiens conveni chremis, olera „ & piſciculos minutos ferre obulo in cœnam ſeni.* & „ Hecip. Act. 3. Sc. 2. v. 24. *Tu pueris curre Parme„ meno obviam*, atque his onera adjuta. Atque „ inde Magiſter puerorum domus Auguſtæ ſive Cæ„ ſaris. *Gruter*, 1023. 8. *Reineſ.* 1. 101. & 9. 34. „ Et cum voluptatum omnium officia inter ſervos „ habuerint, quis dubitet iſtiusmodi eos anhela„ tores habuiſſe. Servum à cura Catellæ *Liviæ* „ vide apud *Gruter*. 578. 5. Non autem unum „ alterumve iſtius operæ ſervum habebant, ſed ag„ mina ducebant.

„ De Milone *Cicero* c. 9. cum uxore veheretur „ in rheda pœnulatus magno & impedito & mu„ liebri & delicato ancillarum puerorumque co„ mitatu. Quod addo, ne fingamus iſtum Clo-

„dium

» dium Orphanotrophio aut ſcholæ præfectum
» fuiſſe, qualem finxit Doctiſſimus *Cohauſen*, quaſi
» non aliunde puerorum & puellarum anhelitus
» Hyrpano ſuppetierint. Nil dico de quadrin-
» gentis *Pedanii* ſecundi ſervis, de quibus *Tacitus*
» Annal. 14. c. 43. Nil de familia Trimalchionis,
» cujus decima pars Dominum ſuum non novit, ut
» eſt apud *Petron.* c. 37. ſed Laurentium narrantem
» audi apud *Athenæum* l. 6. c. 20. ô bone Maſſuri:
» Probe noſti Romanos quam plurimos ſervos poſ-
» ſediſſe, ex iisque permultos habuiſſe mancipio-
» rum decem millia, & viginti atque etiam plu-
» ra, non quæſtus & proventus gratia, qua ſpe
» *Nicias* Græcorum ditiſſimos ſervos comparabat,
» verum magna ex parte, ut Romanorum cuique
» comitum, anteambulorum & ſpectaculorum in-
» gens ſit numerus. Ex pediſſequorum autem
» illorum numero, quos συμπρϱοίοντας nominat
» *Athenæus* anhelatores fuiſſe puto egregia forma
» egregioque cultu adoleſcentes, differtos odori-
» bus & unguentis, quo habitus eorum eſſent
» amæniores, & ad ſuſtentandas fovendasque Hyr-
» pani vires validiores. Deſino plura hariolari de
» modis, quibus *Hyrpanus* curatus fuerit ab his
» pueris. Multus in ea re eſt *Cohauſenus* c. 9. ſed
» metuo ne multa ſibi præter morem Romanorum,
» maxime de Orphanotrophio & Pædotrophio.
» Miror non in mentem veniſſe ſagaciſſimo ſeni
» Gynæceorum Romæ, in quibus remotis viris mu-
» lieres habebantur, nec Romæ tantum, ſed & in
» Provinciis, unde crebra mentio in *Notitia Impe-*
» *rii*, quæ ævi Theodoſiani eſſe creditur. Hacte-
nus Cl. *Cannengieſerus*.

Cujus

Cujus Criſin lectoris judicio ſubmittimus. Inſcriptionem ſuam ex *Cujacio* deſumptam, quia hic falli & fallere neſcius, *genuinam*, *Cohauſeni* vero ex *Reiſnero* & *Kayſero* depromptam *falſam* & *jocularium* appellat. *Hirpanum* nominat, quem hic *Hermippum*. Loco *puellarum pueros* ſubſtituit, quos tamen nec hic penitus reprobat cap. 6. Quid ſit anhelitus & anhelare, fuſe grammaticaliter explicat, quod *Cohauſenus* phyſico-medice eleganter deduxit. Orphanotrophiis Gynæcea Romana præfert, à quibus tamen viros excludit. Verum pertractet libellus argumentum fabuloſum, manet tamen cum gloria, quod ſive *Hermippi* ſive *Hirpani* redivivi manes ut ut imaginarii tam eleganti probabilis ſaltem exiſtentiæ indumento veſtiti in conſpectum orbis litterarii prodierint.

Digitized by Google

XX.

Troſt der Podagriſten,

Oder

Lob- Schertz- und Satyriſches Spiel

Marco Livornæ Murciæ, der hochlöbl. uralten Podagriſchen Faction beſonders Zugethanen Zum tröſtlichen Unterricht,

Sallio Gintrioni aber als des Podagrams Verſpottern Zum Verweiß und Beſchimpffung

Von dem Hochw. hochberühmten *P. Jacob Balde S. J.*

In Lateiniſcher Poëſie abgefaſſet, nunmehr aber Dem Sinn nach, doch in vielen verändert, vorgeſtellet Von J. H. C. H. S. M. D.

Denen Podagricis dieß Büchlein neues Licht,
Viel Wohlfarth, Leben, Heil, Freud, Luſt und
Troſt verſpricht.

Franckfurt in 8. 1745.

Utile mihi quidem viſum fuit, ut illi adjungeretur tractatus olim ab autore compoſitus ſub Titulo: *Triumphus de Podagra debellata reportatus*, continens famoſa celebrium chymiatrorum arcana ad Podagræ ſanabilis curationem, ſed quia latine conſcriptus eſt, judicavit non conveniens diverſi idiomatis tractatus conjungere, quare in aliud tempus illius publicationem rejiciendam putavit. Notabile eſt Epigramme huic præfixum:

Humanas vibrat ſua tela arthritis in artus
Innumeroſque ferit ſtrage potente viros.
Si ſapis, hoſtiles contra jaculare ſagittas,
Suggerit hic noſter ſpicula multa liber.

Qui

Quid licet exiguus ſit, multa arcana recenſet.
Qui capit, à podagra liber hic eſſe poteſt.

Quod fatum habiturus ſit uterque libellus, tempus docebit. Prodiit priori anno *Cohauſeno* autore ſub ejus nominis Acroſtiche in inſignem Chymici voluminis tractatum M. S. D. Diſſertatio Præliminaris A. P. M. E. G. inſerta, cujus plures commentarii quotannis ſucceſſive in lucem prodibant, ſed quia Autor ob cauſas nomen ſuum illi clare præfigere noluit, & nos hic illud ſubticebimus.

Neque etiam alius libelli ſub Titulo: D. U. D. U. L. M. G. C. P. editi hic mentionem faciemus, ipſe namque ſuo tempore in clerico medicaſtro ejus ſe autorem publice profitebitur in libri defenſionem, illiusque hoſtium promeritam majorem confuſionem. Deſcribam igitur librum, qui licet nullo ære exſcriptus ſit, in aliorum tamen Muſæis manuſcriptus jam verſatur, & ſub ficto *Aletophili Wahremundi* nomine ad defenſionem Monaſterienſium Medicorum olim ante plures annos Satyrice ex illorum rogatu compoſitus eſt, ne ejus memoria plane intercidat, aut etiam poſt mortem, alius ejusdem gloriam ſibi vendicet. Inſcriptio hæc eſt:

Digitized by Google

XXI.

Medulla Medicinæ enucleata,

Das iſt,

Kurtze in der wahrhafften Experientz und rechten Vernunfft, auch auf den Fundamenten der Rational-Artzney-Kunſt wohlgegründeter Gegen-Bericht,

In zwey Theile abgefaſſet.

In dem erſten: Daß die in der ſogenannten Medulla Medicinæ zum Vorſchein gekommene Lehr eitel, falſch, und nichtig ſey.

In dem zweyten wird das falſche aufgeblaſene Urinſehen der Marckſchreyerin entdecket.

Allen der Wahrheit Liebhabern zu Gefallen in Schimpff und Ernſt aufgeſetzet

Durch Aletophilum Wahremundum, Artzney-Erfahrnen.

Primæ parti præfixum eſt ſequens Epigramma.

Der du geleſen haſt das Marck der Medicin,
Welches gebohren hat ein Weib voll böß Venin,
Leß auch, was jetz darauf berichtet *Wahremund*,
So wird dir Sonnen-klar die Wahrheit werden kund.
Es iſt ein fauler Kern, es iſt ein ſtinckend Marck,
Davon ein praleriſch Weib macht alſo groſſen Quarck.
Da aber von dem Marck das Weib macht viel Geſchrey,
So ſagt man recht, daß ſie eine Marckſchreyrin ſey.

Prima

Prima pars libri concluſa eſt ſequenti Epigrammate:

Jam licet antiquæ ſileant miracula Memphis,
Et reſponſa ferat Delphica nulla tripus.
Attamen ex vetula eſt, matula dans indice plebi
Reſponſum vitæ ſignaque certa necis.
Eſt nova ſtercoribus lotioque ſuperba Sybilla
Quam Pithius tetigit vaticinando furor.
Concepit gravidis medicaſtra furore medullis,
Nil igitur, quod ſit nata medulla, novi.
Nec ſatis eſt, vel cuncta ſibi volet ilia rumpi,
Dummodo Doctorum ſic quoque fama crepet.

Zu Teutſch:

Obſchon zu Memphis jetzt man kein Oracul mehr hört,
Und auch Apollo ſelbſt zu Delphis nunmehr ſchweigt,
Ein altes Weib dennoch von Harnſehen gantz bethört,
Zu Münſter ſich dem Volcke als ein Prophetin zeigt.
Sie wahrſagt viel daher vom Leben und von dem Todt,
Als wann ſie raſend wär, wie vormahls die Sybill,
Starck aufgeblaſen nur von dem Urin und von Koth,
Woraus ſie ſagen will der Menſchen Lebens-Ziel.

Es iſt mit Gallen-Gifft ſo angefüllt dieſes Weib,
Daß, wann mit ſterben mögt der Artzen gute Fam,
Sie auch nichts achten würd, daß davon berſte ihr Leib,
So weit iſt ſie beraubt von aller Ehr und Schaam.

Secundæ parti ſequens Epigramma præfixum eſt:

Was in des Menſchen Leib in tieff bedeckten Gründen
Entfernet vom Geſicht, gäntzlich verborgen iſt,
Das will ein altes Weib in deſſen Waſſer finden,
Durch ſonderbare Kunſt mit ohnerhörter Liſt.
O groſſer Thorheit Werck! O Falſchheit eines Weibes!
Welches weiß machen will anjetzt der klugen Welt,
Daß alle Zeichen ſeyn der Kranckheiten des Leibes
Enthalten im Urin und klärlich vorgeſtellt.
Es denckt ein ſchlechter Menſch, das Weib kan ſolches ſehen,
Das Harn-Glas zeiget ihr, was mir und jenen fehlt,
So wird ſie ſicherlich ſich auch darauf verſtehen,
Wie hier und dar muß ſeyn die Cure angeſtellt.
Allein verſeht euch nicht, laſſet euch nicht betriegen,
Es iſt ein falſcher Wahn, es iſt ein eitler Schein,
Es iſt nur ein Geſchwätz, es ſeynd nur lauter Lügen,
Damit das alte Weib beym Volck ſich dringet ein.

Wer

Wer die Experientz, wer die Vernunfft will fragen,
Und aus dem rechten Grund die Medicin verſteht,
Der wird ohne Betrug aufrichtig können ſagen,
Daß ſolches Harnſehen auf ſchwachen Füſſen geht.
Auf daß ein jeder nun auch ſolches könne ſehen,
Soll dieſer zweyter Theil anzeigen Sonnen-klar,
Daß die Marckſchreyerin thu bloß allein umgehen,
Mit Lugen und Betrug, mit lauter falſcher Waar.

Narrabo brevibus totam rei hiſtoriam. Degebat Monaſterii in Weſtphalia circa annum ineuntis præſentis ſeculi mulier medicaſtra, quam Doctoriſſam Stinam paſſim vocabant, cujus uromantia & opera etiam Patriæ primatibus & primario clero clam ſerviebat, quorum patrocinio confiſa eo proterviæ proceſſit, ut ſe etiam Doctoribus opponere non reformidans ſcriptum valde ſarcaſticum & in juniores urbis eo tempore medicos injurioſum à medicinæ quodam forte tyrone compoſitum publicare, & ipſi Principi ac Reverendiſſimo Cathedralis Eccleſiæ Capitulo dedicare non erubeſceret ſub titulo *Medulla Medicinæ*, in qua ex negligentia & ignorantia non unius ſub illorum cura mortui cauſam perfricta fronte adducere auſa fuit. Cujus merito vindictam ſpirantes illius temporis Medici Practici Monaſterienſes à Cl. Autore libelli verè infamis refutationem ſollicitabant, eam ſuis ſumptibus prælo ſubjicere promittentes. Quibus ut fieret gratificatio, non minus docte quam ſatyrice Tractatus ille ſub titulo: *Medulla medicinæ enucleata* conſcriptus eſt, verum non diu poſt primario ex prædictis Doctoribus è vivis erepto, neſcio qua fata-

talitate vel neglectus, vel à Medicaſtræ fautore ſuppreſſus lucem publicam nunquam aſpexit. Glorioſum non putavit Auctor ex eo gloriolam aucupari, aut cum vetula impudente medicaſtra altercationis ſerram trahere, unde libello pſeudonymum præfixit. Tandem medicaſtra ob mirum vaticinium, etiam verificatum, ſuſpecta urbem ſponte deſeruit, atque ad alias Weſtphaliæ oras ſeceſſit, ubi parem fortunam non experta jam aliquot ante luſtra ad plures abiit, medicinæ opprobrium & verum ſui temporis medicorum flagellum. Ejus vita à magni nominis medico auctori quidem communicata, ut libro insereretur, quod tamen ob unam non cauſam ab eo factum non eſt. Sic uromantiæ & empiriæ muliebris clauſa eſt ſcena, & tractatus non impreſſus remanſit.

Digitized by Google

XXII.

Novus Solis Coloſſus Panegyrico-Synchairiſtico-Symbolicus,

Ad Summam Gloriam
Sereniſſimi
Lotharingiæ & Magni Hetruriæ Ducis
FRANCISCI
Feliciter electi & coronati
Romanorum Imperatoris Cæſaris,
Ejusque Sereniſſimæ Conjugis
MARIÆ THERESIÆ
Potentiſſimæ & Invictiſſimæ
Hungariæ & Bohemiæ Reginæ,
Supremæ Archiducis Auſtriæ &c.
Auguſtiſſimæ nunc Romanorum Imperatricis
inter publicos Rom. Imperii plauſus
erectus
à
Joanne Henrico Cohauſen
Hildeſio-Saxone M. D.
Et Archiatrorum Monaſter. in Weſtphalia Seniore.
Francofurti ad Mœnum,
apud Joannem Benjamin Andreæ.
Anno MDCCXLV.

Libri huius contenta ſequentia ſunt:
Dedicatio Cæſari ejusque Auguſtæ Conjugi.

Præloquium ad Lectorem. Præliminaris Allocutio ad Auſtriam.

Symbolum I. Coloſſus Majeſtati atque æternitati Domûs Auſtriacæ ſacer, in cujus apice Sol, cum Lemmate: *Ardens evexit ad æthera virtus.*

Symbolum II. Corona Imperialis filo ex cœlo ſuſpenſa ad Solem ſe convertens. Lemma: *Clara volat orbe corona luce micans.* Manil. l. 1.

Symbolum III. Sereniſſimi Franciſci Loth. & M. Hetr. Ducis unanimi Germaniæ Procerum conſenſu in Rom. Imperat. electi Sol meridianus in ſummo faſtigio lucens. *Medio eſt altiſſimus orbe.* Ovid. 1. Met.

Symbolum IV. Coronationis Francofurti peractæ Sol cinctus ſtellarum corona. Lemma: *Dant aſtra minora coronam.*

Symbolum V. Franciſco non otioſo delatæ Coronæ Sol ſemper in motu. Lemma: *Mens agitat molem.* Virgil. 6. Æneid. v. 276.

Symbolum VI. Imago Hieroglyphica Coronæ Imperialis Aug. Cæſari Franciſco impoſitæ. Lemma: *Tot fulgida gemmis.*

Symbolum VII. Solemnitatis in Electione & Coronatione Sol Horizonti Germanico, & imprimis Francofurto imminens. Epigr. *Novum terra ſtupeant luceſcere Solem.* Horat. in Carm. Sat.

Symbolum VIII. Imperator ſole radiatus globum mundi manu tenens. Epigr. *Terra autem in manibus noſtris.* Virg. 9. Æneid.

Symbolum IX. Expoſita ad Solem purpura ſeu paludamentum Cæſareum Majeſtatis index. Lemma: *Nec maculam prodit.*

Sym-

Symbolum X. Imperii Rom. à Cæſaris regimine dependentis mundi Sphæra Soli catena aurea alligata. Lemma: *Hac pendet ab illo.*

Symbolum XI. Harmoniæ inter Cæſarem & Imp. Electores Globus ſolis ſuper globum mundi. Lemma: *Hoc* Rectore *valet.*

Symbolum XII. Nobilationis per Neo Coronatum Cæſarem gladius evaginatus à Sole fulgurans. Lemma: *Solis de Lumine ſplendor.*

Symbolum XIII. Urbis Viennæ reducem Francofurto Cæſarem impatienter exſpectantis Sol oriens. Lemmà: *Currum ſolitos vertit ad ortus.* Boët. l. 3.

Symbolum XIV. Seu effigies Emblematica Potentiſſimæ & Invictiſſimæ Hung. & Bohem. Reginæ *Mariæ Thereſiæ*, Caroli VI. filiæ, nunc Rom. Imperatricis Auguſtiſſimæ.

Symbolum XV. Fortitudini & Conſtantiæ *Mariæ Thereſiæ*, Hungarorum Reginæ, Rom. Imperatrici ſacrum, globus Solis nubibus circumdatus. Lemma: *Nec cadit, nec cedit.*

Symbolum XVI. Univerſalis inter litteratos gaudii & tripudii, ſtatua Memnonis Sole oriente gratum fundens concentum. Lemma: *Primo latans cum lumine Solis.*

Symbolum XVII. Ad Regni Hongariæ Proceres, ut Neo-Cæſari & Reginæ ſuæ, ejus conjugi, applaudant & congratulentur. Sol in Hungariæ montibus aurum producens. Lemma: *Sol præſtat homágia Soli.*

Symbolum XVIII. proponens Autoris votum: Saturnus tenens Clepſydram & manu Solem in

cœlo oſtendens, cum Lemmate: *Hac aurea Solis hora.*

Carmen ad Zoilum.

Hiſtoriæ Bibliographicæ Sectio III.

Continens Cl. D. Cohauſeni manuſcripta, magnam partem ad prælum parata.

Præfatio.

Infelix quandoque ſors eſt, & non raro dolendum fatum Manuſcriptorum. Quot enim eorum Myriades non conſumpſit Vulcanus? quot non deſtruit Gradivus? Quot invidioſa temporum vetuſtas non detrivit? Quot Blattæ & tineæ non devorarunt? Recenſet Phyſicorum princeps *Plinius* in librorum ſuorum præfationibus plures centurias Autorum, ex quibus ſua ſcripta de rerum natura & proprietatibus ſe excerpſiſſe memorat, quorum tamen codices nunc deſiderantur, quia typographiæ decimo quarto ſeculo primum inventæ beneficio ſervari non potuerunt. Interim adhuc hodiedum in Cæſaris, Regum, atque Principum, imo & privatorum bibliothecis multa antiquiſſimorum varii idiomatis manuſcriptorum millia cuſtodiuntur, quæ merito raritatis cauſa apud poſſeſſores omnis pretii valorem excedunt.

Aliud adhuc fatum premit manuſcripta; nempe illud hodie ſatis commune plagium litterarium? Quid enim facilius, ſi hæc hæreditatis vel emptionis jure ad alienas manus perveniant, quam quod alii

Digitized by Google

alii horum ſe authores faciant, & facta per typum publicatione ex aliorum labore famam ſibi acquirant juxta notum illud:

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honorem,

Sic vos, non vobis { nidificatis aves.
mellificatis apes.
vellera fertis oves.
fertis aratra boves.

Cui plagio vix reperiri poteſt remedium. Quam facilis enim eſt tituli aut diſpoſitionis mutatio, ut jam aliud opus appareat. Excerpere & ſcribere authore ſubticito eſt facillimum. Non dubium ſic in publico hodie libris inſcripta legi nomina plurium, qui nil minus ſunt, quam illorum authores.

Remedium tamen aliquod, licet non adeo adæquatum & ſecurum, furtis iſtis literariis, videri poſſet Manuſcriptorum, quæ Viri Eruditi poſt ſe reliquerunt, & in iis contentorum exacta recenſio, quod & jam plures, qui Manuſcriptorum à viris doctrina illuſtribus relictorum bibliographias typo publicas fecerunt, laudabiliter præſtiterunt.

Cum igitur plura manuſcripta cedro digniſſima, & multo ſtudio etiam in ætatis acmi elaborata, vel ipſum Editorum numerum adæquantia, in D. *Cobauſeni* Patrui mei pulpitis aſſerventur, digniora quam quæ blattis voranda relinquantur, ſic non inutile viſum eſt, enarratis jam editis eorundem quoque ſaltem titulos cum brevi materiarum contentarum elencho curioſis recenſere.

Nemo autem ſibi imaginetur hoſce meros eſſe titulos, quorum innumeri in quovis arguménto facile effingi poſſunt, quod eſſet penitus nugatorium,

ſed reales eſſe tractatus, magnam partem ad calcem perductos, ut nil niſi mundioris deſcriptionis ultima manus ipſis deficiat. Deſcribam hæc illâ fide, qua mihi ab ipſo autore communicata ſunt, ſunt vero opera Phyſico-Medica, opera Hiſtorico-Politico-Moralia, partim ſatyrica: Opera Hiſtorico-Oeconomico-Moralia: Opera chymiatrica: Opera Alchymica: Opera Panegyrica. Quæ ordine recenſebo ſingulis addito materiarum conſpectu. Inprimis autem hoc notabile eſt, quod Autor argumenta penitus nova, neque proletaria ab aliis jam pertractata calamo ſuo elegerit. Poterit, dum vivit Autor, Bibliopola quivis ex his prælo ſuo librum, quem volet, petere ære typographico exſcribendum, Autor lubens concedet. Voveo ex corde, ut Deus ei adhuc vitæ luſtra aliquot viresque concedat, ut pleraque jam prælo deſtinata eo adhuc ſpirante lucem publicam aſpiciant.

Opera Phyſico-Medica

I.

J. H. C. H. S. M. D.

De Sede plantarum anomala, & miro in fundos peregrinos tranſitu Schediasma Curioſum.

cum figuris æneis,

additus eſt

Conſpectus Oſtracodermorum, ſeu Scleroſteorum ſciagraphicus &c.

Occaſionem ſcripto dedere duæ conchæ, in quarum

rum ſuperficie enati frutices marini, quas ex Muſeo ſuo Cl. D. *Nunningius* autori ſubmiſit ſpectandas, ut hujus excreſcentiæ ſeu transplantationis cauſas velit detegere. Rarum & Curioſum eſt libri argumentum, de quo adhuc nemini in mentem venit quid commentari, conchæ fruticatio, rarum planta peregrinis profuga facta locis. Tractatus dudum numeris omnibus abſolutus eſt, & ſaltem nutum exſpectat illius, cui inſcriptus eſt, nempe Cl. D. *Nunningii*, qui illi imprimendo ſumptus ſe facturum promiſit. Vide Commercii hujus litterarii Epiſtolam.

Proponemus nunc prævie ipſum Capitum elenchum: Oſtracodermorum vero conſpectus fuſior eſt, quam ut hic in compendio oculis ſubjici poſſit.

Caput I. De geminis Conchis fruticiſcentibus, variisque illarum parallelis.

II. De fruticiſcentiæ in conchis origine, & transplantationis vegetabilium in conchas, lapides, ligna occaſione.

III. De admirando plantarum ortu & metaſtaſi in corpora animalium.

IV. De miro variarum plantarum in corpora humana commeatu.

V. De plantarum in corporibus mortuis, & inprimis de uſneæ in craniis humanis proventu.

VI. De plantarum in locis, in quibus nunquam antea viſæ, fortuito & ſpontaneo proventu & variis vegetantium connubiis, ſeu in alia ſpecie diverſa vegetabilia tranſitione.

VII. De admiranda viſci generatione & in variis arboribus tam naturali proventu, quam artificiali inſitione.

VIII.

VIII. De veterum Romanorum ominibus & præſagiis ex vegetantibus in peregrino fundo ſubnatis.

II.

J. H. C. H. S. M. D.

Scrutinium Phyſico-Medicum
Remedii contra veſicæ calculum Anglicani,
Magni in Emptione pretii,
Maximæ ſub uſu ſpei,
infidi ſucceſſus,
Ratione & experientia inſtitutum.

Mirum eſt contra tot omni ævo expertiſſimorum & in arte Hippocratica Principum medicorum aſſertiones, obſervationes, & experimentationis potuiſſe, fæmellam medicaſtram tot lynceis magnæ Britanniæ Archiatris per trivialia iſta tot jam ſeculis uſurpatiſſima diuretica, teſtas ovorum, cochleasque calcinatas, & ſaponem fucum & ſpem calculi veſicalis ſolvendi facere, cum & tria illa requiſita tuto, citò & jucunde maxime in iſtis deſiderentur. Optandum igitur foret ut obſervationes & experimenta Medicamentorum horum noxam & in quavis Lithiaſi ſolvenda ignaviam ac infidum ſucceſſum autor brevi publica faceret, ne tot homines empiricorum & ſine ratione medicam artem exercentium temerariorum conniventiâ & deceptione paſſivâ ſe inaniter macerarent; ſimulque doceret quibus in caſibus ab hocce decantato & tanto pretio empto remedio prudenter ſucceſſus optatus exſpectandus, cum certum ſit, illud non prorſus ſua laude defraudandum, aſt in multis caſibus à prudenti & circumſpecto at ſimul longo ejusdem uſu

uſu aliquale ſolamen ſperari poſſe, quales obſervationes paſſim reperire licet; ipſusque deſuper nonnulla in commercio literario Norico *Ann.* 1743. *Hebd.* 30. *p.* 233. *& ſeq.* fuſius commentatus fui; dumque hæc ſcribo, mihi ſub cura eſt Vir Eccleſiaſticus veſicæ calculo (ut fundata ſuſpicio credere facit) laborans, qui ſimiliter hujus adeo laudati remedii periculum ut faceret multorum continuis perſuaſionibus adductus eſt, utcunque diu conſentire illudque præſcribere noluerim, timens ne præpoſterus ſucceſſus ſpem conceptam illuderet, quod quoque evenit, nam poſt moderatum ejusdem uſum, tantus ſucceſſit dolor, urinæque ardor, ut non duntaxat ulteriorem uſum prohibuerit, ſed vix oleoſis & emulſionibus iterum ſedari & demulceri potuerit, alium ejusdem characteris novi, qui Medici cujusdam conſilio perſuaſus cum ingenti fiducia pilulas has ſaponaceas devoravit, verum tanta ſupervenit nauſea & anorexia, ut licet contrarium perſuadente Medico deſiſtere debuerit; urgebat enim experimentator Medicus continuato uſu effectum patienter exſpectandum, appetitumque ſponte rediturum, ſed ſapientior æger ſe indies in deterius ruere obſervans, ſuoque de corio ludi videns finxit ſe pilularum ſumptione regulariter continuare, atque ex ordinaria pixide ſingulis diebus conſuetum pilularum deglutiendarum numerum aliorſum depoſuit, ſicque viſitanti Medico provide impoſuit, quaſi uſurpaſſet, redeunti igitur priore appetitu ſibi applaudebat & in ſinu gaudebat Medicus inquiens: *Nunquid verus augur prædixi, Naturam tandem aſſuefactam reſuſcitaturam priorem orexin.* Pudibundus autem & niſi effrons rubore ſuffu-

ſuffuſus abiit, cum patiens conſervatas pilulas oſtendebat addendo ſe infelicis experimenti vires & energiam morte luere debuiſſe, niſi à temerario & improvido uſú ceſſaſſet; caveant igitur practici præprimis juniores, ne præconceptæ opinioni nimis pertinaciter inhæreant, fidantque ab aliis laudatis, ſed nullâ experientiâ fundatis remediis, ac vi naturam cogere intendant, cum vident effectum minus laudabilem aut prorſus contrarium ſequi; præſtat enim maturè deſiſtere, quam obſequioſum ægrum certæ dare internecioni; ſuper hac materia & ego plurima ſæpius meditatus ſum, ut proin de infido ac incauto hujus & aliorum Lithontripticorum uſu diſſertatiunculam conſcribere promiſerim Academiæ Cæſareæ N. C. Excellentiſſimo Domino Præſidi A. E. Buchnero, cum me in illuſtriſſimæ hujus Societatis album ſcribere dignabatur; attamen cum arduum hoc argumentum Amantiſſimus Patruus annis, doctrina & jugi experientia graviſſimus, judicioſè excutiendum ſuſceperit, ſpartam hanc lubens cedo & relinquo, hoc illum ſolummodo adhortans, ne publicum utiliſſimo hoc ſcripto diutius defraudet & ſuſpirare ſinat.

Diſpoſitio operis nondum ad manus meas pervenit, operæ pretium vero videtur Epigramma in frontiſpicio libri poſitum hic legere:

Sunt ſterlingorum libræ quingenta ſolutæ,
Et inſolutus Calculus manet tamen.
Smegma & ovi teſtæ pretio ſunt vendita tanto,
Et ſola miſeris empta ſpes lithontibus.
Quottidie ſumunt calcem, Hiſpanumque ſaponem,
Prodire Calculus tamen non vult foras.

O qua-

O quam ſubtilis medicaſtræ ars, vafraque fraus
eſt,
Quæ docta fucum facere tot ſummis Viris!
Magnates, Medicos, ægros ſpe lactat inani.
Teſtas, ſaponem, cochleas his venditans.
Anglica de tanto mercatu fœmina gaudet,
Sub pertinaci calculo miſeri gemunt.

III.

J. H C. H. S. M. D.

Tumulus Peſtis recluſus Helmontii

Ex eoque in lucem egrediens

Hippocrates Redivivus.

In frontiſpicio libri legitur ſequens Inſcriptio :

Sta Lector,
Titulus, quem legis, non eſt terror lugubris,
Non intus mortem, non mortis genus,
Et Hominum nunciat flagellum,
Non hic funus, non cadaver, non ſceleton
Non luctus, non contagium
Sed tumulatum ab Hippocrate & Helmontio
Mortiferæ luis genuinum remedium
In lucem profertur.

Tractatus hic veneni peſtilentialis abſtruſam Eſſentiam, formalitatem, modum fiendi & praxin curandi Hippocraticam, & Remedia exquiſitiſſima juxta graviſſimi Helmontii poſtulatum clarius deducta & comprobata proponit, illa licet antiquiſſima ex profundiſſimis magiæ naturalis fontibus juxta manuductionem *Hippocratis & Helmontii* eruit & quaſi ex orco in lucem reducit Author. Cum enim fermentum Mumiale, unicum illud ſit ſpe-

ſpecificans, quod venenum in elementorum condo genitum ad infectionem & exterminationem certi generis animalium determinat, ſic e contrario ex lege Symboliſmi & Magnetiſmi in natura neceſſario requiri videtur, ut iſta antidotus per ſimile firmentum mumiale ſpecificum ad curationem certam generis infecti appropriētur, quo ratione ſimilitudinis quaſi magnetice in ſimilem Mumiam jam contagio affectam operetur.

IV.

Diatribe Phyſico-Medica Experimentalis

De tribus Naturæ Columnis,

Mumia, Gas, & Fermento.

Quibus naturæ poteſtas innixa exequitur Stupendas operationes, & miras patrat morborum geneſes & curationes.

Incomparabilis eſt hic tractatus, in quo non ratiociniis, ſed meris experimentis probantur & confirmantur poſtulata, quæ hic curioſis recenſebimus:

I. Fermenti Mumialis exiſtentia probatur experimentis.

II. Mumia ex homine vel animali vivente deſumpta agit in mumiam viventem ſymbolizantem ſympathetice.

III. Mumia ex animali mortuo deſumpta in mumiam viventem ſymbolizantem operatur antipathetice.

IV.

IV. Mumia fermenta tam morbifica quam ſalutaria ſibi connexa transfert in Mumias ſyngenias.

V. Ideæ quæ in Mumia reſtant archeales, Archeo vivo communicantur cum notabili ſubjecti alteratione.

VI. Mumia fermentis medicamentorum ſalutiferis imbuta ea defert ad proprias mumias diaſtatice & magnetice.

VII. Per fermentum mumiale fit appropriatio veneni ad certum animalium genus.

VIII. Fermenta Mumialia tam naturalia, quam præternaturalia, tam ſanativa quam morbifica per modum Gas influunt & operantur.

IX. Varia Gas, varias in archeo ſuſcitant ideas pavoris, & terroris, unde rerum antipathiæ.

X. Subtilitas & potentia Gas ſtupenda, ejusque Effectus fere inſtantanei.

XI. Fermenta ſeu diſpoſitiones vitæ mediæ cum mumia tranſeunt in aliena ſubjecta.

XII. Imaginatio ſeu appreheuſio idealis fortiter mente concepta & archeo communicata ex non ente ens reale in corpore noſtro producit.

V.

Capnopægnion
Sive
Serius in fumis luſus
Symbolico-Phyſico-Medico-Moralis,
Id eſt
Sexcenta nova Epigrammata
De fumatione Tabaci,
Ejus effectu, uſu & abuſu.
Autore J. H. C. H. S. M. D.
Innocuos Cenſura poteſt permittere luſus.
Martial. l. 1. Epigr. 6.

Pagina frontiſpicialis averſa hoc præ ſe fert Epigramma:

Hic noſter luſus de fumis Nicotianæ
Acceptus multis, mens niſi fallat, erit.
Dogmate non tantum, ſed & oblectamine pollet.
Inſtruit atque ſimul continet illicias.
Si me vana putas Epigrammata ſcribere, cauſa
Ipſe es: nam fumans quid niſi vana facis.

Hoc opus admodum curioſum multo conſtitit labore & ſpeculatione. De uno namque ſubjecto ſexcentos formare conceptus, qui gratiam habeant, haudquaquam facile eſt. Addidit aliquando autor ſingulis Epigrammatibus Reflexiones Phyſico-Morales, quibus tamen tractatus nimium increvit, ut ceu vade mecum, quale fumatores tabaci deſiderant, ſervire non valeat. Tandem quia prævidit librum latine ſcriptum non niſi eruditis ſerviturum, eum in poëſin germanicam in ſummo licet ſenio feliciter tranſtulit, cui talem præfixit titulum:

VI.

VI.

Capnopægnion,

Das iſt,

Natur-Kunſt-und Sitten-kündiges
In Glimpff und Schimpff, Schertz und Ernſt
abgefaſtes

Rauch-Spiel,

Beſtehend in ſechshundert Sinn-Gedichten,
Von den Kräfften und löblichen Gebrauch,
Wie auch ohnordentlichen Mißbrauch

des Rauch-Tabacks.

Aus den lateiniſchen Verſen in die hochteutſche
von dem Authore ſelbſten verſetzet.

Es mag der Neider tadlen, was er will.
Cenſur kan leiden ohnſchuldiges Spiel.
Martial. l. 1. Epigr. 6.

Liber hic jam pridem ex toto perfectus cuicunque Bibliopolæ, qui illi imprimendo ſumptus vult facere, erga certum Exemplarium numerum offertur, qui id Authori vel mihi ſignificare poterit. Cujuscunque ſtatus Viris, etiam illiteratis, imo fœminis ad inſtructionem & delectationem inſervire poterit.

Opera Hiſtorico-Politico-Oeconomico-Moralia

VII.

Nobilis Weſtphalus

Secundus Strabo

Sive

Ælius Papyrius Pætus

Antiquiſſimæ Nobilitatis Weſtphalicæ Decus
ex adverſariis autographis
Perilluſtris D. *Schwederi Schelei*,
Quondam Dynaſtæ in Welſel & Welbergen,
Capellani hæreditarii in Vennebrugge
in lucem productus,
Et ordini in antiqua Saxonia Equeſtri
in ſpecimen & exemplar propoſitus,
Cum animadverſionibus
Hiſtorico-Oeconomico-Politico-Moralibus
opera
J. H. C. H. S. M. D.

Curioſitatem, & utilitatem, nec non jucunditatem hujus Tractatus abunde indicat ſequens contentorum Elenchus.

I. Introductio hiſtorica de origine quarundam in Weſtphalia familiarum nobilium & in ſpecie gentis *Scheleanæ*.

II. Conſilium peculiare D. Schelai de conſervanda Nobilitate.

III. Conſervatio bonorum Nobilibus neceſſaria & quomodo inſtituenda.

IV. Conſervatio nobilitatis laudabilis & neceſſaria per convenientia connubia.

V.

Digitized by Google

V. Agricultura Nobilitatis cuſtos.
VI. Mercatura Nobilium quæ & qualis eſſe poſſit ac debeat.
VII. Regulæ præcipuæ practicæ Viro nobili pro norma vitæ ex amuſſim ſervandæ.
VIII. Pietas domeſtica Nobilium.
IX. Arces & domus Nobilium.
X. Horti & ſylva Nobilium.
XI. Culina & menſa Nobilium.
XII. Supellex Nobilium.
XIII. Veſtimenta Nobilium.
XIV. Famulatus & equitatus Nobilium, eorumque ſubditi.
XV. Diæta Nobilibus conveniens.
XVI. Studia & Bibliothecæ Nobilium, & inprimis Juris & Hiſtoriæ ſtudium.
XVII. Exercitia Nobilium & inprimis Venatio.
XVIII. De Peregrinatione Nobilium.
XIX. Inſtructio pro juvene nobili in regiones exteras Galliam, Italiam &c. ituro.
XX. Conſilium *Zwederi Schelei* ad ſuum filium.

De his Pætus Weſtphalicus in ſuo manuſcripto Diario ſtylo admodum confuſo & idiomate Hollandico ad ſuas proles locutus eſt, quæ tamen in meliorem ordinem & latinitatem reduxit auctor, additis, ubi opus, reflexionibus Oeconomico-Politico-Moralibus. Si plures Nobilium familiæ dogmata & monita illa *Scheleana* obſervâſſent, in ſuo priſtino flore perſtitiſſent.

Digitized by Google

VIII.

Orbis Weſtphaliæ antiquus,

à Tempore & Status Ratione
poſt introductam Chriſtianam Religionem
inverſus, graphicè delineatus.
Authore J. H. C. H. S. M. D.

Rebus ineſt quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum verſantur.
Tacit. 3. 55. 5.

Opus curioſum & ſatyricum, in quo inter Weſtphalorum Gentilium & Chriſtianorum mores, naturam, corpora, vitam, regimen, & quæcunque vitæ conſectaria ad Taciti ductum paralleliſmus vel antitheſis inſtituitur, ut Chriſtiani in multis gentilibus ſimiles, in aliquibus pejores oſtendantur. Hiſtorica, Politica, Oeconomica, Phyſica & Moralia in eo eleganter tractantur.

IX.

Analecta Weſtphalica,

in quibus continentur Diſſertationes
Phyſico-Politico-Oeconomico-Morales,
quarum ſequens eſt index:

I. De ruditate & barbarie antiqua Weſtphalorum, & de modernorum policia, doctrina & ſtudiis.
II. De frugalitate Weſtphalorum, eorumque diverſoriis.
III. De Diæta & longævitate Weſtphalorum, eorum morbis, & moribus.
IV. De idiomate & peculiari genio Weſtphalorum.

V.

Digitized by Google

V. De Weſtphalia extra Weſtphaliam, & Weſtphaliæ legatis in orbem.
VI. De gente Weſtphalorum Ruſtica.
VII. De alimentis Weſtphalicis, pane atratu, pulte, carne porcina, caſeo, fabis, piſis, braſſica, & cultu mellificii &c.
VIII. De cereviſia Weſtphalorum.
IX. Calumnia à Weſtphalis remota: *Weſtphalus eſt ſine pi. ſine po. ſine con. ſine veri.*

Opera Chymiatrica.
X.
Artographia Spagyrica,
In qua miranda naturæ arcana & magnalia
in pane tam ſiligineo quam triticeo
ad vitæ & ſanitatis conſervationem
Theoretice & practice
per plurima curioſa experimenta proponuntur.
Authore
J. H. C. H. S. M. D.

Contenta operis præcipua hæc ſunt:
I. Speculationes Philoſophicæ circa panis productionem.
II. Spiritus panis typus ſolventis univerſalis, de natura ſpiritus univerſalis quoque participans.
III. Panis pro materia Philoſophorum ſecunda à nonnullis erronee habita.
IV. Vis menſtrualis in ſpiritu panis & per eum varia facilius parabilia chymiæ arcana.
V. Spiritus panis baſis ſolventium compoſitorum arcanorum.

VI. Tincturæ elegantes metallorum & mineralium Lunæ, Martis, Saturni, antimonii, cinnabaris, talci rubri, coralliorum per illum parabiles.

VII. De ſpiritu oleo, & terra ſeu ſale panis, & mira in ſpiritu panis phœnomena.

VIII. Aroph Paracelſi & Helmontii ex pane vel per panem parabile.

IX. Ænigmatica Roſini Lentilii deſcriptio alcaheſti elucidata.

X. Myſterium panis triticei Fluddianum.

XI. Terra foliata philoſophica cum ſpiritu panis.

XII. Tentamen curioſum cum ſpiritu panis, & typus operis Philoſophici.

XIII. Varii ſpiritus panis medicinales.

Nullum eſt dubium, cum tanta pani inſita ſit Divina Benedictio, ut vel ſolus corpori nutriendo urgente neceſſitate ſit ſufficiens, etiam in eodem vitæ in ſanitate conſervandæ arcanum, & medicinam illam, quam de terra creavit Altiſſimus, deliteſcere. Salvator noſter orationis Dominicæ Doctor ſub prædicato panis omnia ad vitam neceſſaria indicare voluit, quidni etiam medicamen vitæ ſervandæ utile? qui vel ejus ſuperficialem unquam tentavit analyſin Spagyricam, de hujus veritate non dubitabit. Libellus igitur multa paſſim non obvia & nota proponit.

XI.

Digitized by Google

XI.

Novellæ Medico-Chymicæ
ſive
Helmontii Elucidati
Diſſertatio I.

De Medicinis Mercurialibus, Paracelſico-Helmontianis: Mercurio diaphoretico, arcano corallino fixo, & Præcipiolo antihydropico.

Authore
J. H. C. H. S, M. D.

Diſſertatio hæc pridem conſcripta & ad prælum parata eſt, quod autem Novellas Medico-Chymicas appellet, ratio eſt, quia *Helmontium Elucidatum* partitim & ſucceſſive per modum Novellarum quovis ſemeſtri communicare decreverat. Sed non invento in Weſtphalia, qui impreſſionis ſumptus faceret, bibliopola, in ſcrinio talem adhuc exſpectat.

XII.

Diſſertatio Phyſico-Chymica De Anima Auri,

Quod mundi hodie rerumque gerendarum vera eſt anima.

Dabo Elenchum, ut ex ungue leo cognoſcatur.

I. An detur & quid ſit auri anima?

II. An quid ſpirituale an corporale auri ſulphur, an extrinſecum aut intrinſecum.

Digitized by Google

III. De ſeparatione animæ auri ſententia Adeptorum.
IV. De extractione animæ auri philoſophica.
V, Senrentia antiſtarum, qui transmutationi metallorum particulari inſudant.
VI. Horum tentamina, extractionis conceptus & variæ experientiæ.
VII. Probatur animam auri magnam eſſe medicinam.
VIII. An auri anima etiam in aliis ſit ſubjectis, quam auro, ut Marte, Venere, antimonio, &c. aliisque particulas auri continentibus.
IX. De variis Menſtruis auri animam, quod putatur, extrahentibus.
X. De auri anima diſcurſus Phyſico-Politicus.

Sciendum animam auri eſſe terminum technicum, per quod ſulphur auri vel internum vel externum aliquod artiſtæ intelligunt, illud autem neutiquam extrahi poſſe, & ſi poſſet, nullatenus ad transmutationem utile eſſe, genuini Philoſophi contendunt. Suſtinent enim totum aurum eſſe ſulphur, & absque ſeparatione principiorum fieri fermentum, ſi Philoſophico ſuo mercurio ſeu ſolventi radicaliter combinetur ac figatur. Vid. Autoris M S. D.

XIII.

XIII.

Sal tartari volatile intricatiſſimum extricatum.

Seu

Diſſertatio Phyſico-Chymica,

De præparatione ſalis tartari volatiliſati vice-alcaheſtini,

Authore

J. H. C. H. S. M. D.

Elenchus Capitum.

Cap. I. Salis tartari volatiliſati indago chymiatro perutilis & deficiente liquore alcaheſt juxta Helmontium neceſſaria.

II. Sal tartari fixum volatiliſationis quæſitæ ſubjectum, De ejus prævia diſpoſitione.

III. Recenſetur & refutatur Lud. de Comitibus ſententia de ſale tartari volatiliſando.

IV. Ottonis Facchenii volatiliſationis methodus examinatur.

V. Sal tartari volatile Lullianum indagatur.

VI. Excutitur volatiliſationis fundamentum in Helmontii doctrina & ſententia.

VII. In quo ſalis tartari genuina volatiliſatio conſiſtat.

VIII. Inveſtigatur, qua ratione aër juxta Helmontium ſit volatiliſationis inſtrumentum.

Quam difficilis nedum ferè impoſſibilis ſit ſolventis alcaheſtini acquiſitio, tot mille artificum docent fruſtranei labores, unde & ipſe Helmontius exhortatur ad præparationem ſalis tartari volatiliſati,

ſati, utpote quod ſit quaſi vice-alcaheſtinum, & pluribus ſubjectis ſolvendis & extrahendis, & morbis gravioribus curandis ſufficiat. Sed quia & hujus volatiliſatio difficillimæ eſt inventionis & præparationis, nunc rarius poſt tot inania tentamina practicis conatibus ſubjicitur, præſertim cum medicorum vulgus ſibi aliisque perſuadeat, in aliis ſalibus alcalicis volatilibus ammoniaci & cc. ut ut ex fixitatis ſtatu non provenientibus, eandem eſſe virtutem, cui tamen contradicit experientia, ideo hæc Diſſertatio plurimum ſerviet ſal volatiliſatum quærentibus, qui invicem comparatis magni Lullii, Helmontii, Tauhenii, de Comitibus, & autoris noſtri ſententiis magnum lumen ad viam rectam volatiliſationis inveniendam haurire poterunt.

XIV.

Gazophylacium Chymiatrico-Practicum.

Quod nobiliora & rariora ſeptem metallorum Mineralium, ſalium, lapidum nec non menſtruorum

Experimenta & Arcana.

Tum ex experientia, pluriumque quam quinquaginta annorum variis laboribus,
Tum chymicorum practicorum monumentis etiam ineditis deprompta continet,
primùm quidem in laboratorii domeſtici nunc Chymiphilorum uſum Aphoriſtice excerpta.

In Tractatu hoc Sectione 1. Arcani proceſſus metal-

tallorum. Sect. 2. Sulphuris, cinnabaris nativæ & factitiæ. Sect. 3. Experimenta ſalium nempe ſalis communis, nitri, vitrioli, ſalis ammoniaci, tartari, aluminis, ut & ſalium, & ſpirituum volatilium & urinæ, Sectione denique quarta arcana & experimenta menſtruorum ſeu liquorum ſolventium eleganter & compediose proponuntur. Tractatus plene abſolutus prælum exſpectat.

XV.

Supremus Medicinæ Apex

in Centrali Dulcedine
Triplicis naturæ Regni ſubjectorum
extraverſa poſitus,
Antiquiſſimis artis pyroſophicæ fundamentis
impoſitus,
per Emblemata ſophiatrorum conſpectui
expoſitus,
In graviſſimorum morborum fugam
& ſpem vitæ longioris.
Authore
J. H. C. H. S. M. D.

Hic liber eſt parvus, ſecreta aſt maxima pandit,
Qui capit, eſſe poteſt ſanus & eſſe ſenex.

Opus hoc totaliter abſolutum præ cœteris meretur, ut omnia ejus capita in iisque contenta materia exacte recenſeantur. Præmiſſa Dedicatione, Præfatione, & Epigrammate ad Zoilum ſequitur,

Digitized by Google

Sectio I.

Demonſtrans Eſſentiam, univerſalitatem, excellentiam & neceſſitatem ſalis dulcis.

Caput I. Nux juglans dulcis corticè viridi auſtero induta. Emblema Eſſentiæ ſalis dulcis centralis Lemma: *Quod eſt interius non eſt ſicut id, quod eſt exterius.*

II. Homo quærens lapidem ad littus maris. Emblema dubitantis de ſalis dulcis univerſalitate ſeu ubiquitate. Lemma: *Fruſtra alicubi quaeritur, quod ubique eſt.*

III. Luna in plenilunio fulgens Emblema Excellentiæ ac prærogativæ ſalis dulcis. Lemma: *Fulgentior omnibus una.*

IV. Salinum menſæ impoſitum ſymbolum neceſſitatis in ſale dulci. Lemma: *Sal primum imponito menſa.*

Sectio II.

Centralem Dulcedinem in univerſalibus mundi ſubjectis demonſtrans.

Caput I. Crux ex linea horizontali lineam polarem magneticam in Circulo decuſſatim ſecante figurata Emblema ſalis dulcis in duobus magni mundi principiis aqua & aëre latitantis. Lemma: *Dulcis ob incluſam circulus iſte crucem.*

II. Plorans centoculo nox oculatior argo. Emblema dulcedinis in rore de cœlo in terram ſtillantis. Lemma: *O Domine quam ſuavis eſt ſpiritus tuus in omnibus!*

III. Arundines Saccharinæ Emblema dulcedinis in Regno Vegetabili affluentis. Lemma: *Tenera dulces ab arundine ſucci.* Lucan. l. 3.

IV.

Digitized by Google

IV. Vir in ſpeluncam draconis lapſus ſucco dulci ex terra exſudante per totam hyemem ſe ſuſtentans referente Kirchero in mund. ſubterr. Emblema occultæ in Regno minerali dulcedinis. Lemma: *Viſita interiora terræ, invenies occultam dulcedinem.*

V. Fontina tribus rivis aquas dulces fundens, Emblema dulcedinis ex prima mundi materia in ſal, ſulphur & mercurium emanantes. Lemma: *Fluit undique dulcor.*

VI. Manna de cœlo decidens Emblema abſconditæ in Elixirio philoſophico dulcedinis; Lemma: *Nemo ſcit, niſi qui accipit.*

Sectio III.

Monſtrans centralem extraverſam dulcedinem in Regno metallico & ſupremis ex illo per artem productis.

Caput I. Occiſus à Samſone leo, in cujus rictu repertus mellis favus Emblema dulcedinis in veterum philoſophorum univerſali, medicina & auro vero potabili exiſtentis. Lemma: *De forti egreſſa eſt dulcedo.* Jud. c. 14. v. 18.

II. Bufo transfoſſus & ad ſolem exſiccatus Emblema dulcedinis in mercurio latitantis. Lemma: *Salutem ex inimicis noſtris.*

III. Vipera venenata theriacæ tamen inſerviens Emblema dulcedinis in antimonio latitantis. Epigraphe: *Antidotus nigri ſub cortice clauſa veneni.*

IV. Apicula mel geſtans emblema dulcedinis in igne ſeu ſulphure veneris. Epigraphe: *Quod recreat mel, quod pungat acumen habet.*

V. Ceraſum dulce rubicundum emblema Electri mineralis immaturi, & dulcedinis in ejus tinctura tili extraverſæ. Epigraphe: *Ore purpureo arridet, dulce ſed intus habet.*

VI. Tribulus aquaticus emblema dulcedinis in ſale marino latitantis. Epigraphe: *Sub cortice dulcis eſca latet.*

VII. Apis ex abſinthio mel legens ſymbolum dulcedinis latitantis in nitro & alumine. Lemma: *Douceur d'amertume.*

VIII. Auſters uvæ botrus ad ſolis radios pendens. Symbolum dulcedinis in auſtero vitriolo maturabilis. Epigraphe: *Dulceſcet, tandem ſi ſole coquatur.*

Sectio IV.

Docens Methodum Dulcedinis Centralis extravertendæ & maturandæ.

Caput I. Ficus immatura ſolis radiis expoſita ſymbolum dulcedinis philoſophicæ per ſolam digeſtionem & coctionem emergentis. Epigraphe: *Non profert dulcem ſuccum, niſi ſole coquatur.*

II. Semen in terram projectum emittens dulcia germina ſymbolum dulcificationis per philoſophicam putrefactionem. Lemma: *Occultum fit manifeſtum.*

III. Magnes chalybem attrahens ſymbolum ſolventis ad ſulphur centrale dulce eliciendum neceſſarii. Lemma: *Attrahit & ſequitur.*

IV. Propheta Ezechiel librum comedens emblema dulcedinis, quæ eſt totius medicinæ corona, totius

tius chymiæ apex & hujus libri coronis. Epigraphe: *Comede volumen iſtud, & comedi, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.*

Hæc eſt totius operis vere Philoſophici ante multos annos in Vulcani officina compoſiti brevis ſciagraphia, in quo author oſtendit, ſe non tantum eſſe Philoſophum, ſed & oratorem & Poëtam, ſingulis namque capitibus elegantiſſimum Epigramma ad materiam ſubſtratam apprime faciens ſubjicit. e. gr. ad Caput I.

Ætheris internum ſtudeas cognoſcere centrum,
 Externam centri quære ſuperficiem.
Junge ſuperficiem centro, ſic æther ab alto
 Defluet in terram, terra petetque polum.
Hæc duo ſi ſophico prudenter coxeris igne,
 Dulcedo exſurget totius artis apex.
Hæc tibi promittit vitam, gazasque repoſtas,
 Divite quas claudit vera chymia ſinu.
Abruis? es ſtolidus. Refugis? piger. Expetis? Aude,
 Iſte labor ſolus dulcia dona dabit.
Sed tot durantem noctesque diesque laborem
 Quid tolerare facit? quid niſi ſpes & amor?

Sufficiunt hæc pro ſpecimine. Sed quia prævideo Extractum hocce meum non minus quam ipſum librum, ſi aliquando in lucem proditurus eſt, ſuos habiturum Zoilos, ſic hoc, quod illi præfixit Autor Epigramma adjungere viſum eſt:

 Quod

Quod per amara tibi mea ſint hæc dulcia Mome
    Nil mirum, auſtero viſcera felle ſcatent.
Hos nec ego tibi Mome favos, non mella paravi
    Nam vos non fucis mella paratis apes.
Fæna bovi, ſaccharumque decet dare Pſittaco, at ori
    Arcadici pecoris carduus eſca manet.
Et licet arrodas livoris dente, latente
    Sub teſta nucleo non fruiturus eris.
Sed licitum eſt, comedas: Rumpantur ut invida melle
    Repleta à dulci hoc ilia Mome tua.
Teſtis *Ripleus*: nimium ſe nectare vitis
    Inebriare ſolet, ſicque crepare bufo.
Opus completum, munde deſcriptum & prælo aptum eſt.

Ope-

Digitized by Google

Opera Alchymica.

XVI.

Vertumnus Chymicus.

In Metallorum transmutatione particulari
per Novem Schematiſmos
à Philoſophorum ſimiis tentata.
In quo ex naturæ & Philoſophiæ veræ fontibus
Clare deducitur.
Origo, prætenſa veritas & utilitas
Famoſorum hactenus particularium
ſic dictorum:

I. Augmentum auri & argenti.
II. Extractio animæ ex auro & argento.
III. Pars cum parte.
IV. Inductio & ſeparatio auri ex argento.
V. Transmutatio cupri in lunam & dealbatio veneris.
VI. Fixatio & gradatio argenti in aurum.
VII. Fixatio argenti vivi ex plumbo & antimonio in aurum.
VIII. Conjunctio inſeparabilis auri & argenti.
IX. Transmutatio ferri in cuprum.

In frontiſpicio operis poſita Philalethæ ſententia in introit. apert. ad occl. Reg. palat. c. 1.

Credat qui volet, improbet qui poterit,
Carpat cui libet, hanc certe mercedem reportabit
altam ignorantiam.

Addit autor noſter : & ſi in praxin hæc redigere tentarit, temporis & opum certam jacturam.

Tractatum hunc ſaltem manuſcriptum ante multos, quinquaginta & plures annos Autor Magno Viro artis Hermeticæ ſtudioſo, ſed ſub ignorantis Chymicaſtri præſidio & directione in meris particularibus laboranti dedicavit & obtulit. Qui tamen procul dubio ab illo impoſtore, utpote ejus dolis & commodis non ſerviens Vulcano ſacratus eſt. Fraudes & deceptiones tam activas quam paſſivas detegit, unde apud præfatum Dominum gratiæ parum promeruit. Impoſtor ille laboribus arſenicalibus intoxicatus non diu poſt contractura paralytica affectus vitam præmature amiſit, Dominus vero podagricus ex omnibus tentaminibus nil lucri acquiſivit. Tractatus igitur ſumme utilis, imo omnibus particulari metallorum transmutationi præcipitanter incumbentibus neceſſarius, aliquando lucem meretur.

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Gazophylacium Alchymico-Philoſophicum.

Varia arcana Chymica, & lapidis Sophici Proceſſus hactenus ineditos, & in ſecretioribus Principum archivis ſervatos revelans.

Opera J. H. C. H. S. M. D. collectum.

Autor, ſeu potius horum arcanorum computator, à juventute artis ſpagyricæ ſingularis amator, imo quantum ſtudia & praxis Medica permiſerunt, ſtudioſus in itineribus ſuis ſingulari caſu & fortuna innumeros artis Hermeticæ Proceſſus obtinuit, quorum præcipuos in hoc tractatu congeſtos publico communicat, non ut illos practice tentando quis temporis opumque faciat diſpendia, ſed cautius mercari diſcat, conſiderata tot proceſſuum differentium varietate, cum tamen juxta veros Philoſophos unica tantum ſit materia, una via, unum vas, omniaque in Monade conſiſtant. Quia tamen interdum optima enchiriſium chymicarum documenta ex ejusmodi ſic dictis proceſſibus capiuntur, ſic non ingratum fore ſperat, illos ſecretioris chymiæ conſecraneis communicari. Cum igitur nuda libri commemoratio gratiam habitura non foret, generales ipſorum proceſſuum titulos hic recenſere juvabit.

I. Proceſſus univerſalis *Nathanaelis Melſinii* Fratri Adolpho donatus. Hunc egregiis notis & animadverſionibus Philoſophicis Cl. Cohauſenus olim illuſtravit.

II. Proceſſus Mercurii Philoſophici ad lapidem benedictum ex Collegio Chymiatrico-Venetorum, à Viro illic per vitæ tempus in laboratorio degente ex originali deſcriptus & ad Fratrem clam & callide miſſus.

III. Manuſcriptum *D. Caroli Ludovici* Ducis Neoburgici in ejus ſecretiori Muſeo aſſervatum, & à quodam ejus domeſtico clam excerptum, & bono amico Briegam in Sileſia anno 1698. transmiſſum. Huic alii proceſſus ſunt adjuncti, ut Tincturæ metallorum, auri potabilis &c.

IV. Adverſaria Philoſophico-Chymica ex manuſcripto Joann. Chriſtiani à Wildeck expertiſſimi chymici anno Coloniæ viventis. Continentur in iis ſequentia.

1. Parabola Philoſophico-Ænigmatica cum Explicatione.
2. Diſcurſus perquam curioſus de Mumia naturali.
3. Theoria de transmutatione lunæ in ſolem.

V. Arcana Chymica inter D. Mauritium Haſſiæ Landgravium & Joannem Hartmannum Chymiatrum communicata, & ex manuſcripto in archivo Holſatiæ Ducis ſervato extracta quæ ſunt ſequentia.

1. Præ-

Digitized by Google

1. Præcipitatus aureus ex literis Jo. Hartmanni ad D. Mauritium H. L.
2. Practica cujusdam Carthuſiani ad augmentum lunæ ex manuſcr. D. *Mauritii* H. L. Joanni Hartmanno communicata.
3. Theſaurus theſaurorum ex MS. Jo. Hartmanni ad D. Mauritium H. L.
4. Experimenta de luna fixa Jo. Hartmanni ad D. Mauritium H. L.
5. Theſaurus Medicinæ & Tinctura pretioſa ejusdem ad eundem.

VI. Duo Proceſſus Alchymici à *Joſepho Borry* chymiſta famigeratiſſimo Romæ certo Principi devotionis ergo oblati & donati, nempe

1. Oleum Mercuriale.
2. Oleum Philoſophorum.

VII. Antiquiſſimi Philoſophi *Joannis Ferrarii* Proceſſus eidem Principi Romæ à *Marino Calergi* datus.

VIII. Experimenta Proceſſuum Philoſophicorum ex Manuſcriptis *Erneſti Bogislai de Troſten Bohemi* circa particularia.

1. Transmutatio argenti in aurum.
2. Transmutatio Mercurii in Lunam.
3. Aqua gradatoria fixativa lunæ.
4. Transmutatio lunæ in ſolem & mercurii in lunam per aquam mercurialem.
5. Oleum ſolis ad particularia.
6. Sulphur veneris.
7. Fixatio antimonii & veneris.

Digitized by Google

8. Particulare ex Marte.

IX. Laboratorium Sendivogianum.

1. Secretum Medicinæ Univerſalis tingentis ex MS. D. Ern. Nizenii Archiatri quondam H.
2. Mercurius Philoſophorum.
3. Jacobi Alſternii ſecretum Sendigovianum.
4. Ludus puerorum & opus mulierum D. Matthiæ Eicholtzii ſive explicatio Proceſſus Sendivogiani.

X. Proceſſus de terra Virginea in eoque quæſita Fontina Philoſ. ex variis chymicorum manuſc. ineditis, ut Minſingero, Chriſtiani à Wildeck, L. B. de V.

XI. Arcana Alchymiæ cum quibusdam particularibus à quodam ſemini ſuo, ut Deo & proximo ſerviant quam fideliter poſt obitum relicta.

1. Tinctura univerſalis ad ſolem & lunam.
2. Particulare ad lunam, in ſolem, quod miniſtro ſuo Rex quidam donavit.
3. Aqua mirabilis conducens mercurium ſaturni vel antimonii in ſolem.
4. Præparatio mercurii ex ſaturno, ex antimonio.
5. Mercurii rubificatio & fixatio.
6. Aqua gradatoria lunæ fixæ & p. c. p. & lunæ communis ad 24. gradus.
7. Proceſſus verus auri potabilis ad medicinam, & mercurium perfecte in aurum tingendum.
8. Extractio Q. E. ex auro & tinctura mercurii & lunæ in ſolem.

9. Luna

Digitized by Google

9. Luna fixa vera in cujus marca obtinendæ auri quatuor unciæ.
10. Proceſſus ad ſolem cum oleo ſalis, quo argentum in aurum tingitur.
11. Fixatio cinnabaris in aurum.
12. Extractio auri ex marca argenti ad duas uncias.
13. Fixatio lunæ Principis Sigismundi ex Auſtria.
14. Tinctura ad lunam: pars una tingens partes 800.

XII. Tinctura veriſſima mercurii in lunam. Proceſſus datus pio homini propter Deum à Religioſo peregrino qui per animæ æternam ſalutem jurabat, eum verum eſſe, & à ſe à principio usque ad finem intra medium annum abſolutum anno 1402.

XIII. Teſtamentum aureum *Jo. Gottmanni* ad Nepotem ſuum *Henricum Vierott* Hermeticæ Philoſophiæ filium.

XIV. Manuſcriptum arcanum continens præcepta & obſervationes circa præparationem liquoris Alcaheſt.

XV. Laboratorium aureum ſive varii circa auri ſolutionem & extractionem ad potabilitatem curioſi nec vulgares labores.
1. Labor *Michaëlis Neandri* ad aurum potabile.
2. Oleum Philoſophorum ſive aurum potabile, cujus deſcriptionem cum teſtimonio veritatis

Digitized by Google

poſt ſe reliquit D. *Pithopæus* Medicus Cæſareus.

3. Panacea aurea.
4. Tinctura ſolis.
5. Lapis mineralis & animalis ex MS. D. *Nitenii*.
6. Aurum potabile tam ad ſananda corpora humana quam metallica ex MS. Comitis de R.
7. Pulvis aureus medicinalis ſingularis & raræ præparationis.

XVI. Proceſſus Philoſophici de minera argenti rubea translucida, quod & Electrum minerale immaturum Rohtgülden Ertz appellatur.

1. Proceſſus duo ad viam operis univerſalis.
2. Veriſſima via ad Tincturam albam per Electrum minerale & corpus lunare ex MSpto D. *Ern. Nitenii*, qui hoc uxori & filiis ſuis ceu magnum legatum reliquit his verbis: Chariſſima uxor, caſu quo moriar, quod Deus adhuc diu avertat, ſerva hoc in mei memoriam & pro ſecreto tibi commendatum ſit, quam chara tibi eſt anima ejusque ſalus. Utere ad Dei honorem mearumque prolium & omnium pauperum utilitatem, & ſolatium, ad quod SS. Trinitas tibi fortunam & benedictionem tribuat. Amen.

Hoc ex genuino & proprio ejusdem MSpto ipſemet D. Patruus meus deſcripſit, niſi quod hæc verba germanice fuerint expreſſa.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Epiſtolæ Chymicæ Ducis Palatini *Richardi* ad Archi-Epiſcopum & Electorem Colonienſem Erneſtum Bavarum, quas in Originali & propria *Richardi* manu ſcriptas ex donatione D. patrui mei illas poſſidentis nunc ſervat Chartophylacium *Nunningianum*, magnum ſane artis Hermeticæ Cimelion.

Hæc Gazophylacei Philoſophici hujus contenta ſunt. Si quis forte ex artis ſophicæ filiis erit, qui hæc hactenus in ſacris Eleuſynis habita ſcire deſiderat, illi gratis eadem offert Autor, modo in gratiam ſuorum confratrum illa ſuis ſumptibus, qui reſpectu tot arcanorum ſat erunt exigui, prælo ſubjicere velit.

Opera Satyrica.

XVIII.

J. H. C. H. S. M. D.

Clericus Medicaſter.

Non eſt prædicatum hoc bonum de ſubjecto: pejus tamen ſi à parte rei illi inſit. Oſtendit igitur hic tractatus, Clericum praxi medicæ illotas manus adhibere, eſſe contra divinam ordinationem, eſſe contra tenorem ſacræ ſcripturæ, eſſe Eccleſiæ Catholicæ intentioni adverſum, refragari Sanctis Patribus, non convenire rectæ rationi, non vocationi, non moribus, non Sacerdotis decori, non perfectioni, non obligationi, unde Clerico praxin Clinicam non permittendam, ſed ſe-

vere

vere inhibendam eſſe concludit, probat, confirmat. Nemo ſibi perſuaſerit, tractatu hoc laudabili Clericorum ordini aſpergi nævum, cum unicus illi ſcopus ſit, ut uterque ſtatus tam Clericalis quam Medicus ab hujusmodi fungis, qui utrumque auſu temerario inficiunt, penitus liberetur. Unde & ipſis ſummis Cleri Antiſtitibus & Præſulibus facta eſt libri Dedicatio, ut peſſimo huic practicandi mori, quæ poſſunt, frœna injiciant. Utile igitur foret imo neceſſarium, ut liber jam lucem publicam aſpiceret. Licebit enim Autori nemine nominato, damnoſam methodum publico ſcripto caſtigare ad imitationem *D. Hieronymi* in Epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum, quæ longe eſt acerrima, ſic proteſtando loquentis. *Nullum læſi: Nullius nomen ſcriptura mea deſignatum eſt, neminem ſpecialiter ſermo meus pulſavit. Generalis de vitiis Diſputatio eſt. Qui mihi iraſci voluerit, ipſe de ſe, quod talis ſit, confitebitur.* Sed hæc uberius in *Clerico Medicaſtro* autor deducit.

Digitized by Google

XIX.

Philomachia Epiſtolica

Inter Cl. Weſtphaliæ Duumviros

DD.

Jodocum Hermannum Nunningium

&

Joannem Henricum Cohauſen

Circa fundationem Bibliothecæ publicæ.

Ob controverſam Quæſtionem:

An ad utilitatem publicam nec non fundatoris majorem gloriam magis ſerviret in urbe Monaſterienſi quam oppido Vredenſi ex libris D. Cl. Nunningii quà Canonici Senioris & Scholaſtici erigi Bibliothecam publicam.

Non eſt Quæſtio, an in genere utile ſit fundare Bibliothecas publicas, quod nemo vocat in dubium, & quod docte ſatis arguit Cl. Nunningius; ſed an magis glorioſum & proficuum, quod urget Cl. Cohauſenus, libros Canonici Scholaſtici ad perpetuam ejus memoriam donari & relinqui Vredenſi Capitulo ad privatos Canonicorum poſterorum, imo & ad publicos aliorum Eccleſiaſticorum & Religioſorum uſus.

Theſis quam Cl. Cohauſenus ſuſtinet & fuſe probat eſt: Eſſe laudabilius pro fundatore Canonico, & utilius bono Capituli & paucorum certis ac privatis commodis conſecrare Bibliothecam, quam publico plurium ſed ſuperficiali & vago uſui, ſeu potius viſui. Unicum namque de quacunque ma-

materia docte conſcriptum volumen, diligenter cum judicio & ex integro inter privatos parietes lectum & ruminatum plus ſolidioris tribuit ſcientiæ legenti, quam vel decem vago oculo & perfunctorie, quod in Bibliothecis publicis plerumque fieri amat, inſpecta & luſtrata volumina, quæ quidem omnis generis authorum tribuunt notitiam, ſed non quæſitæ in iſtis ſcientiæ encyclopædiam.

Certamen igitur hoc literarium lectu dignum eſt, in quo librorum & in publicis bibliothecis, & viciſſim in privatis muſeis lectorum utilitas invicem confertur.

Opera Panegyrica.

XX.

Amphitheatrum Gloriæ,

Majeſtati, Felicitati & Æternitati
Domûs Auſtriacæ
Tam Novis Imperialibus
quam antiquiſſimis
Virtutum Regio-Politicarum
Columnis
ſtabilis atque immotæ
Sacrum
Authore
J. H. C. H. S. M. D.

Hoc magnæ molis multæque induſtriæ eſt opus. Con-

Digitized by Google

Conſtat Inſcriptionibus ſtylo ut vocant lapidario, ſed ſublimi exaratis, quibus ſingulis ſuum eſt ex Sole ſymbolum cum Lemmate: Subjunctis Reflexionibus Politico-Moralibus, quæ ejus exponunt tum Gloriam, tum felicitatem, nec minus perennitatem augurantur, imo certo promittunt. Si opus ab ipſa Suada conceptum, à Politica genitum, à Minerva expolitum dixeris, ſane non errabis. Præ omnibus enim hactenus in gloriam Domus Auſtriacæ in lucem emiſſis encomiaſticis ſcriptis, auſim dicere, tantum extollit caput, quantum quod dicitur, inter Viburna cupreſſus. Summa enim in terris Majeſtas ſupremam quoque panegyrin depoſcit. Tractatus hic cœlo propitio hoc anno lucem videbit.

XXI.

Gloriæ Auguſtæ Obeliſcus,

Das iſt,
Ehren- und Gedächtnuß-Seule,
Dem hoch-ruhmwürdigſten Chur-Fürſtlichen
Jacht- und Luſt-Hauß
Clemenswehrt,
Wie auch dem im Stifft Münſter glücklich
verfertigten
Canal-Strom,
Und hochlöblich in der Stadt Münſter
aufgerichteten
Zucht-Hauß,
Als dreyen,
Von dem Hochwürdigſt-Durchlauchtigſten
Chur-Fürſten
Herrn CLEMENT AUGUST,
Als Biſchoffen zu Münſter ꝛc.
Dem Vatterland bezeigten hohen Gnaden-
Wercken,
Zum höchſt-ewigwahrenden Welt-Ruhm
In hochteutſcher Poëſie
Mit Lob- und Sinn-Gedichten
aufgerichtet
Von
J. H. C. H. S. M. D.

Suſpenſa ex hoc Obeliſco eſt Symbolica Sereniſſimi Ducis & Electoris Clementis Auguſti imago, hie-

hieroglyphicis ex Ejusdem Nomine confectis anagrammatibus adumbrata, olim quidem in Genio Mimigardico expoſita, nunc adjecta paraphraſi poëtica in vernaculam translata. Obeliſcus jam ante triennium in ſua perfectione ſtetit conſummatus, ut ære typographico æternitati poterit inſcribi. Recommendari igitur meretur ob elaborationis elegantiam Weſtphaliæ Bibliopolis. Curioſi namque lectores non deerunt Domino ſuo devoti, qui gaudebunt ſpectare Domum Principis Patris patriæ illuſtri panegyri exornatam.

XXII.

La Princeſſe achevée
Repreſentée
Sur le Theatre de la Gloire Symbolique,
ou
Diſſertation Panegirique
De Madame Marie Françoiſe,
Princeſſe d'Elten, Abbeſſe de Vreden, Comteſſe de Manderſcheid, Blanckenheim, Gerolſtein &c.
en Exemple
A toutes les illuſtres Perſonnes Eccleſiaſtiques du Sexe,
Conſacrée
A la Gloire immortelle de cette Princeſſe
par
Jean Henry Cohauſen, Docteur en Medecine,
L'An
QVI etoIt troIsIeMe après trepas
De Cette PrInCeſſe.

Elegans hoc encomiaſticon funebre ſymbolico

hieroglyphicum, licet in hujus Principiſſæ glorioſam memoriam æternis litteris dignum, prælo ſubjectum non eſt, neque poſt tot annos de illo publico quid exſpectare licet. Autor priusquam idiomate gallico opus hoc panegyricum ſcriberet, latino concepit. Cujus hic fuit titulus:

Illuſtriſſimum Gloriæ Theatrum,
in quo
Coram aſpectabili mundo,
Vidente & applaudente cœlo,
Comparet
Suas vitæ Scenas
Prudenter, fortiter, pie, ſancte, agens
MARIA FRANCISCA,
Comitiſſa de Manderſcheid, Blankenheim, Gerolſtein, Principiſſa Eltenſis, Abbatiſſa Vredenſis &c.
Illuſtri omnium generoſarum Virtutum Comitatu ſtipata
Omnibusque illuſtribus Dominabus Canonicis in Exemplum propoſita.

Quia vero hoc extra ſpem prælli poſitum perpetim manuſcriptum manebit, addemus ſaltem Inſcriptionem gallicam in ſplendidum ejusdem momentum ex lapide artificioſiſſime exciſum, quod in Sacello S. Michaëlis in Eccleſia S. Felicitatis Vredenæ ſpectatur:

Ar-

Digitized by Google

Arréte toy cher voyageur,
qui cherche les choſes rares,
& les tréſors cachez.
C'eſt ici, que tu trouvera à te ſatisfaire.
Voici un genie,
Qui tient un cophin d'argent épandu
temoin des richeſſes, qu'y ſont enſevelies.
Mais voila auſſi un genie tenant epée nue à la main
pour les garder.
Mais ne t'abuſe,
Cette-ci eſt la *Juſtice*, cette-là, la *Clemence*,
Qu'accompagnerent la Princeſſe jusqu'au tombeau,
& pour temoigner,
qu'Elles n'ont jamais l'abandonnée en vivant,
ſe poſterent ici après ſa mort.
Attendans le temps de la reſurrection du corps
pour le conduire à ſa glorieuſe Ame.
Voici *Marie Françoiſe*,
Qui gyt à genoux proſternée par l'humilité,
Envisageante l'image de ſon adorable Createur,
Que pendant à la croix: lui un ange preſente,
La ſtatue de ſon corps devoit regarder celui.
Qui étoit toûjours regardé de ſon ame
Les armoiries de la très illuſtre famille ſont rangées
Autour de ce monument.
Mais elle étoit plus illuſtre de vertus, que de ſang.
Comptante pluſieurs ſignes éclatans de perfection,
Que d'armoiries d'ancienne race:
Elle tient ici le doux repos,
Non ſeule, mais embellie de ſes plus precieuſes
Joyeaux.
Non de piereries, mais de merites très brillantes.

Tu a veu ici dans ce monument cher voyageur
Tout ce, que tu cherche dans les autres du monde,
Savoir,
l'image de la mortalité du corps,
& celle de l'immortalité des vertus.
La Princeſſe morte eſt repreſentée ici quaſi encore vivante,
Parce qu'Elle vivra à jamais
Dans ſa memoire & Veneration des ſiécles.
Allés, tâchés de vivre, pour devenir auſſi immortel.

Hæc monumenti ſepulcralis explicatio eſt. Meretur Glorioſa Princeps, hic quoque addi, quod autor noſter in prædicto tractatu in ejusdem honorem decantavit, Epicedium ſeu potius Epinicium:

Levés vous, vos Muſes, vos neuf Sœurs chantantes
Qui vous étes Deeſſes les plus obligeantes
Quitez le Parnaſſe, pour louer cette Comteſſe
& grande Princeſſe.
Prenés vos inſtruments, prenés votre guitarre,
Et joués de votre luth la plus douce gaillarde.
Et pour faire des odes à Divine Epouſe
Prenès la flute douce.
Et tu grand Apollon maître d'Helicone
Hâte ſoi & viens de ton auguſte trône,
Fay à cette Princeſſe une douce Muſique
Et Panegirique.
Elle caſſa à la mort les dards effroyables
Emporta les trophées guerriere aimable
Fait à cette heure le triomphe la très glorieuſe,
Et bien heureuſe.

Elle

Digitized by Google

Elle vaincut le mor de dominant de vices
D'où elle tient là haut les celeſtes delices
Puis qu'elle fût ſi chaſte, juſte, humble & bonne
Porte la Couronne.
Elle poſſede le comble de toutes les richeſſes,
Et l'aura à jamais ſans aucune triſteſſe,
Et parmi les Cherubins en rejouiſſance
Elle fait la danſe.
Parce qu'Elle fut ſi douce & ſans aucun fiel,
Et toujours à ſon epoux ſi conſtante & fidelle
Sa gloire & luſtre eſt au ciel plus belle
que les étoilles.
Elle eſt auſſi parée plus que charmante Flore,
Et ſa ſplendeur éclate plus que belle aurore,
Son luſtre eſt brillant plus, que les aſtres clairs
En ſa lumiere.
Cette gloire & joye n'eſt point mortelle,
Mais toutes ſes voluptés ſeront éternelles,
Cet honneur durera, & cette allegreſſe
Ne jamais ceſſe.
Elle eſt dans le port, où il fait toujours calme,
Ceinte d'olives, de lauriers, & palmes
Et parmi les ames les plus glorieuſes
Victorieuſe.
A preſent vos Muſes chantez les louanges,
A *Marie Françoiſe*, laquelle voit les anges.
A cette,qui vit à cette heure dans celeſte Royaume
Faites de beaux pſaumes.
Et tu grande Renommée ſonne de la trompette,
Et fay par le monde le bruit de cette,
Qui fut ſur la terre une très grande Abbeſſe
Et plus grande Princeſſe.

ſeptem completis annis nondum à ſtudio & opere ceſſâſſe, nempe *manent ingenia ſenibus*, inquit *Tullius*, *modo permaneant ſtudia & induſtria; quid enim eſt jucundius ſenectute ſtipata ſtudiis juventutis ?* In his quoque ſenii ſui levamen quærunt Duumviri noſtri, manuſcriptis ſuis perficiendis & expoliendis recreationis loco ſe occupantes, ut quod ante annorum millia jam ſcripſit Regum Sapientiſſimus *Eccleſ.* 12. hodie ſub typographiæ beneficio maxime verificetur : *Faciendi plures libros nullus eſt*

FINIS.

Digitized by Google

COMMERCII LITTERARII CURIOSI
DISSERTATIONES EPISTOLICÆ
PYLADIS ET ORESTIS,

ID EST:

CLARISSIMORUM WESTPHALIÆ DUUMVIRORUM,

JODOCI HERMANNI NUNNINGHII

ET

JOANNIS HENRICI COHAUSEN,

LITTERARUM AMOEBÆARUM,

TOMUS SECUNDUS,

QUIBUS

DUAS EPISTOLAS,

PRIOREM

EPICRITICAM ET DE TALISMATE TREVERICO,

ALTERAM

DE URNIS SEPULCHRALIBUS COBERINIS

ADJICIT

SALENT. ERNEST. EUGEN. COHAUSEN,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR,

PROTO - PHYSICUS CONFLUENRINUS, PRÆSIDII ELECTORALIS MEDICUS ORDINARIUS, ET ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM SOCIUS, ETC.

CUM FIGURIS ÆNEIS

FRANCOFURTI ad MOENUM,

APUD JO. BENJAMIN ANDREÆ,

ANNO M DCC L.

Digitized by Google

SI imagines nobis amicorum abſentium jucundæ ſunt, quæ memoriam renovant, & deſiderium abſentiæ falſo atque inani ſolatio levant; quanto jucundiores ſunt litteræ, quæ vera amici abſentis veſtigia, veras notas afferunt, nam quod in conſpectu dulciſſimum eſt, id amici manus Epiſtolæ impreſſa præſtat agnoſcere.

Seneca *Epiſtol.* 40. *p. m.* 219.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO

ET

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

FERDINANDO THEODORO,

S. R. I. COMITI DE MERVELDT,

L. BARONI IN LEMBECK, DOMINO IN WESTERWINKEL, WOLBECK, HUESDICK, WERNE, AHLEN, SENDENHORST, GENEGGE, DAEL, ANGELMODDE, KAPPEL, EMBTE, HOVE &C.

SERENISSIMI ELECTORIS COLONIENSIS, EPISCOPI MONASTERIENSIS &C.

CONSILIARIO INTIMO,

ET

SUPREMO AULÆ MARESCHALLO, CONSILII BELLICI PRÆSIDI,

NOBILISSIMI S. MICHAELIS ORDINIS COMMENDATORI,

SATRAPÆ IN WOLBECK,

SUMMO PALLADIS TOGATÆ

MECENATI DOMINO

SUO MAXIME GRATIOSO.

COMMERCIUM HOC LITTERARIUM

EA, QUA PAR EST, DEVOTIONE

OFFERUNT, DICANT, CONSECRANT,

AD MULTA LUSTRA

OMNIGENÆ FELICITATIS PERENNITATEM

ET

FAMILIÆ NUNQUAM INTERMORITURÆ

DECUS

EX TOTO CORDE APPRECANTES

HUMILLIMI

PYLADES ET ORESTES.

PRÆFA-

Digitized by Google

PRÆFATIO
PYLADIS ET ORESTIS.

NOn *Pylades*, non *Oreſtes* magnopere curant, quodnam fuerit de Commercii Eorum litterarii Tomo I. præcedente Francofurti per D. *Erneſtum*, *Eugenium Salentinum Cohauſen*, M. D. & Proto-Phyſicum Confluentinum evulgato apud Cenſores Criticos quà benignos, quà Invidos Judicium: Neque etiam valde ſolliciti ſunt, quodnam pariter de hiſce Diſſertationibus Amœbæis apud Eosdem ſit futurum. Non turbarunt Eos, Virorum Eruditorum Criſes, quas Lectori non ingratum erit hìc referre.

Hic perlegit Clarorum Weſtphaliæ noſtræ Duumvirorum Nünningii & Cohauſeni Commercium litterarium Amici

dono Muſeo ſuo transmiſſum imò cum voluptate perlegit, fateturque utrumque noſtrorum temporum Virum eſſe ſummum, qui ſcientia excellant, de qua ſuum non ſit, neque auſit judicare, interim velle quam maxime librum hunc typo prodiiſſe ab obitu utriusque.

Alter ait, hujus Patriæ Invidia ſtimulatos non unum utrique allaturum tædium, quorum nullum iis poſt fatum metuendum fuiſſet.

Iterum alius vix credet tota hac Patria repertum iri ea curioſitate impulſos, ut originem cognoſcant *Cornu Ammonis Rhinocerotis*, utut rerum ſcitu digniſſimarum, ſi ſex inter illos reperias, forte habiturus ſis omnes. Student potius num hoc illudve prædium ſive ager quatuor an quinque reddat ex ſorte centum imperialium: Reliquam MM. Religioſorum, etiam CC. turbam potius indagaturam eſſe, ſi vinum anni 1726. generoſius ſit, quam illud anni 1736. Doctores, Conſiliarios & Advocatos dicturos, omnem Eruditionem, quatenus nummos augendo non juvat, eſſe inutilem, proteſtantes ſeſe plane non eſſe ejusdem cum hiſce palati: hactenus Cenſores.

Scri-

Scribunt Syncere, ut hodie fert mundi ſtylus: ſed iſti neque *Pyladi* neque *Oreſti* tædium afferunt. Non intermittunt propter invidorum ineptas cenſuras Diſſertationes ſuas Epiſtolares rurſus publicas facere, ut qui naſum Rhinocerotis habent, etiam de ſublimioribus argumentis, quam *Cornu Ammonis* eſt.

Eos per litteras Amœbæas egiſſe intelligant. Fuiſſet equidem facile hiſce Cavillatoribus, Virorum Doctiſſimorum Elogiis os obturare, ſed uterque jam librorum plurium editorum fama celebris noluit illi Tractatulo hederam ſuſpendere. En tamen aliquam, non ut opuſculo huic aut priori quid laudis accreſcat, ſed ut Cl. Viri Authoris D. F. A. *Heidſiechii* Poliatri Hammonenſis expertiſſimi in Confuſionem Invidorum perennet memoria: Ita ille in litteris ad Pyladem Reſponſoriis:

RARAS. MERCES.
EXPONUNT.
RARO. COMMERCIO.
DOCTAS. DOCTO.
DOCTISSIMI. VIRI.

 UTILE.

Digitized

UTILE. JUCUNDO.
ADMISCENT.
SERIA. JOCO.
WESTPHALIA. LÆTATUR.
TALIS.
MERX. ETSI. CONDIGNO.
SUO. PRETIO.
RARO. VENEAT.
MANET. TAMEN. MERCI.
MERCES. SUA. JUSTA.
VOLUPTAS. HONOR.
GLORIA. PERENNIS.
NEC. MORITURUM. DECUS.

Redimus ad Cenſorum litteras, qui optaſſent *Commercium Litterarium* in lucem prodiiſſe decennio ab obitu utriusque. Verum eſt

Livor poſt fata quieſcit,
Et ſuus ex merito quemque tuetur honos.

Sed quis ex opere poſthumo Authoribus eſt complacentiæ aut ſatisfactionis ſenſus? Ejusmodi fætus vix aut male curatur, imò ſæpius faceſſit in abortum, aut antequam lucem videat, non raro extinguitur. Habent ſaltem viventes ejus parentes

Digitized by Google

rentes hanc ex parte ſua, voluptatem, ut videant feliciter natum ſervire publico, ad quod eum generarunt, quod ſufficit. Summa vanitas eſt, poſt exitum ex hac mortalitate exſpectare gloriolam, cujus mens à corpore remota ſenſum non habet. Qui ex prædiis & agris uberrimos annuatim cenſus, ſive Religioſi ſive Canonici, habent, & vinum generoſius inde compotant, aut etiam aucta taxa ſibi opes acquirunt, Doctores, Conſiliarii & Advocati poſt fata adhuc minus habebunt, quam qui unum alterumve librum in lucem miſerunt, illos enim æterna oblivio, hos memoria apud poſteros æviterna manet. Fateor gratius eſt, ex annuo cenſu numerare nummos, gratius vina potare generoſa, facilius quoque ingentes formare taxas, quam etiam librum puſillum conſcribere, qui approbationem publicam mereatur. Sed illi inter fruges tantum conſumere natos & divites Euclíones, Hi inter bene meritos de Republica reponendi. Scribebat quondam ad *Pyladem* Cauſidicus *Tonomarſienſis* ſatius fore, ſi depoſito Calamo horas ſubciſivas vini potu inter familiares conſumat, quam Hiſtoriæ Patriæ conſcriben-

dis monumentis impendat. Ejusmodi farinæ Socius *Oreſti* in Viri Patriæ illuſtriſſimi arce præſente Caſtri Domino blandiendo dicebat, ipſum nunc à quovis Domino laude mactari, poſtquam deſiiſſet libris ſcribendis operam impendere. Replicabat *Oreſtes*, ridens ſe eodem adhuc anno tres tractatus, *Helmontium* nempe *Ecſtaticum*, *Archeum Febrium Fabrum*, & *Lucinam Ruyſchianam* Amſtelodami prælo ſubjeciſſe, quo reſponſo confuſus ſubticuit. Erat is ex numero Eorum, qui vinum bibunt ſententiæ & magnas amant formare taxas. Patet hinc cauſa, quare tam pauci in Weſtphalia reperiantur Scriptores, & tam multi Scriptorum Contemptores. Hic utrimque Numerus facile mutandus foret, ſi in Urbe Monaſterienſi Academia à Sereniſſimo Principe *Ferdinando* pridem fundata, & à Glorioſiſſimo Imperatore *Ferdinando* confirmata inſtitueretur, de qua igitur ceu Virorum doctiſſimorum, & in triplici Facultate Scriptorum Seminario omnium primo agunt Litteræ Amæbœæ, quæ revera altius quid ſapiunt, quam Tomi primi Cornu Ammonis aut Elephantis os, tam præcipiti Criſi excepta.

Verùm

Digitized by Google

Verùm delicatiores Artophagi & Merobibuli rurſus oggerent, ad quid *Panis groſſus* & Atratus & *Cerevifia* tenuis Weſtphalorum ab Exterorum Calumniis vindicata? Jam pridem Civitate donata ſunt & laudem meruerunt: quid refert, ſi illa Oenophili *Patini* & *Lipſius* contempſerint? Quid *Pluvia ſanguinea*, quæ forte ante centum annos cecidit, hodie in ſcrutinium venit? & in controverſiam *Patellæ iridis*, quas ne milleſimus quidem vidit, aut de illorum nomine audivit. Numisma *Talismannico-Benthemicum* nemo novit an, & ubi amplius ſit in rerum natura, quid ergo de non ente diſputatur. Quid intereſt de *terra nigra bituminoſa* omnibus obvia & triviali, vel ipſis Ruſticis nota, foco accendendo & fovendo ſerviente verba facere? quæ in omnibus iſtis utilitas? ita forte naſutior amuſus & bonarum litterarum oſor de hoc Commercio litterario contemptim loquetur.

Verùm ſi omnes libri ex reali utilitate & lucro dimetiendi forent, neceſſe eſt eorum multa millia exterminari. Si igitur ex illorum numero proſcribantur, tot Philo-

Philologici, Philoſophici, Hiſtorici, Phyſici, Rhetorici, Poëtici Argumenti, in quibus nihil utile præter ſolam ſcientiam continetur, unà libenter ex omni Bibliothecæ Commercium hoc noſtrum litterarium emigrare patiemur. Fatemur hoc ipſum nil facere ad cenſus annuos multiplicandos, ad vina generoſa comparanda, ad Cauſidicorum taxam augendam. Sed an in his ſcientia omni lucro & acqueſtu potior conſiſtit?

Concedunt harum Epiſtolarum Authores libenter, ut cenſuum hi compilatores, vinorum generoſorum amatores, & taxarum fabri ab earundem lectione penitus abſtineant, ſperantes, Benevolo Lectori, cui præter ſcientiam nil lucri ex librorum lectura quæritur, non ingratum fore Commercium hoc litterarium, & haud inviti permittentes, ut inter repetitos vini aut cereviſiæ Weſtphalicæ generoſioris hauſtus duntaxat legatur.

Digitized by Google

EPISTOLA PRÆLIMINARIS

Ad

Reverendiſſimum & Ampliſſimum Dominum,

D. Jodocum Hermannum Nünningium,

J. U. D.

Illuſtriſſimi Capituli Vredenſis Canonicum Seniorem & Scholaſticum. Sereniſſ. Electoris Colon. Conſiliarium Eccleſiaſticum, & Proto-Notarium Apoſtolicum.

Wieckinghovium.

OCcurrit mihi Patriam Monaſterienſem nuper peragranti Crypta Labyrinthis Dædaliis conſtructa, ubi in mentem venit magnos in eadem Theſauros forte deliteſcere. Tenebræ ſunt in eadem inveteratæ, aër ſpiſſus, longâ quiete feſſus, & antiqua caligo, quæ candelæ lumen vix eminus admittebat. Pluribus quidem in voto fuit hanc intrare & ejus perveſtigare recondita, tentârunt quoque nonnulli ſubire, ſed nimium tenui lampade, qua mox in veſtibulo extinctâ retrocesſerunt, redieruntque multa confuſe narrantes. Sequaces igitur à tenebris perterriti maluerunt antecedentibus credere, quam ipſimet adyta intrare. Sic Crypta hactenus abſcondita & inveſtigata permanſit.

Jam

Jam vero nuper non nemo majori face molitus eſt ingreſſum, & aſpiravit penetrare, quo prædeceſſorum nemo viam tentàrat, diutius etiam atque libere in eam exſpatiatus eſt, viditque invenitque plura, quam quæ præcedens avorum cœtus deſcripſit, in limine quidem ſpectrum nigrum oculis perſpicacibus, naſo emuncto, & exquiſito guſtu carens perterrefecit, quod tamen veritatis ſcuto bene munitus, omniaque ab eodem umbratice oppoſita mormolycea ſtrenuè contempſit, & multa atque magna in ea reperta monumenta enarravit.

An amiciſſime *Pylades* de recondita hac patriæ cryta nunquam inaudiviſti, quod antiquiſſimorum Theſaurorum ſit reconditorium? Crypta hæc eſt ænigmatica, cujus griphi tibi nunc dabo ſolutionem. Crypta hæc nil aliud eſt, quam antiquitatum Monaſterienſium à primis gentiliſmi tenebris ad præſens uſque ævum hactenus obſcura, nec in publicum à quopiam producta rerum ſeries, de quibus quidem *Hammelmannus* aliique Saxoniæ Scriptores confusè retulêre aliquid, ſed nemo omnia monumenta ſanè cryptica ad lucem pertraxit. Tu revera is es, qui omnium primus obſcuram hanc Antiquitatis cryptam ingreſſus eadem ex parte in Decuria monumentorum prima produxiſti, in reliquis plura in publicum reducturus, ut tandem pleniſſimum lumen hnic cryptæ illabatur, & ſic Weſtphalicæ Mimigardiæ gloria exſplendeſcat.

Quod-

Quodnam illud nigrum ſpectrum ſit, ipſe noviſti, Cruces enim in viis publicis poſitas tolerare non potuit, & lumen tuum extinguere conatus eſt. Si tale ſpectrum occurriſſet Celeberrimo *Baudio* illud Centur. 2. Epiſt. 31. repetiiſſet. *Mihi magis libet altum ſtertere, quam tali genere Monumentorum poſteris ſeculoque monſtrari.* Et forte hæc cauſa eſt, quod Weſtphalia habeat tam rarum Scriptorem. Eſt enim incolarum indoles, ut in aliorum cenſuras ſint promptiſſimi, ipſi verò labores ſupterfugiant. Cum enim noverint, quidquid ſcriptum committitur publico, multos exſpectare judices, malunt fores non prodire, & cochlearum inſtar intra ſuas ſe continere teſtas, quam reprehenſionis ſubire periculum. *Utilius eſſe putant*, ut loquar cum *Antonio* Epiſt. 33. *dormire quam perdere ſomnum & oleum.* Hoc non dico, quaſi Weſtphalia non habeat inſigni Eruditionis apparatu inſtructos viros, ſed quod ſuo carpendi genio aliorum menſurantes indolem Doctorum limam pertimeſcant. Magna interim tibi debetur gratia viro induſtrio, qui nec rei difficultate, nec operis prolixitate, nec laboris exantlandi magnitudine deterritus ex antiquis jam tinea blattisque arroſis membranis, Diplomatibus, aliisque litteris hiſtoricum quoddam Syſtema conficere allaboras, ne planè in patria pueri ſimus, & quæ ante nos acta ſunt, ignoremus.

Quod autem in Weſtphalia tam rarus ſcripti cujusdam Author ſit, nemo cauſam accuratius inſinuat quam *Saldenus* de Libris l. 2. c. 1.

Unde

Unde ergo fit, ut nunc valetudinem excuſent, nunc domeſticæ rei occupationes, tum hyemalis obſtet rigor, tum æſtivus fervor, interdum etiam autumni prætioſum cœlum, tandem veris quoque amænitas, inſtabilis ſcilicet & mox fugitura. Pranſi & bene ſaturati rem habendam eſſe negant cum libris & chartaceis moleſtiis, antequam concoxerit bene ſtomachus: impranſis obſtrepit fames, quo minus libeat. Luci ingratum eſſe dicunt domi deſidere, ad lucernam vero multum invigilare oculis inimicum. Si ſupereſt res domeſtica, quorſum opus, tum cogitant litteris, ſi deeſt, pauperem philoſophari poſſe non credunt. Juvenis negat ætatis florem ſenilibus curis eſſe abſumendum, provectior valetudini parcendum putat. Ita

Vertitur ignavi color evariatque ſubinde.

Hæc *Saldenus.*

Nunquid & hæc nos pridem grandævos excuſare poſſent? Quid ergo ſenectutem noſtram legendo, ſcribendo, elucubrando maceramus? Ridebunt nos menſæ cupediis aſſueti Theones, quod nos pane groſſo & pulte, meſſorum prandiis invicem tractemus. Subſannabunt nos vinoſi ſcioli, qui ſatius eſſe putant, impendere horas curandæ vino cuticulæ, quam ſcribendis libris, quod nobis invicem cereviſiam tenuem Weſtphalicam propinemus, & quod magis eſt, diſcurſus noſtros ſeu diſſentationes de illa inter nos habitas jam publico communicemus. Quid Weſtphali noverunt de Talismatis Ægyptiorum conſtellatis.

Quid

Quid de iridis patellis ſeu nummis ſcutulatis? Quodnam igitur operæ pretium de his noſtros prodere conceptus? Qua de fundatione Academiæ in Metropoli commentamur, dicent prudentiores pia eſſe vota, vix unquam in actum redigenda, ita quodlibet à nobis tractandum apud Ariſtarchos ſuos petietur manes, & virgulam cenſoriam non ſubterfugiet. Etſi enim plures utantur perſpiciliis, non tamen habent viſum acutum & lynceum, etſi pulvere tabacino naſali continuò nares ſulterciant, non habent tamen emunctas: Etſi mane potu Theali, Coffeali & Vino Cremato linguam eluant, non habent guſtum exquiſitum, qualia tria in judice critico requiri infra oſtendam.

Hiſce tamen non attendis exigis, ut Diſſertationes Epiſtolicæ, quas olim de variis rebus miſcuimus tandem in Tomo hoc Secundo Commercii noſtri Litterarii exeant in communem Studiis noſtris faventium utilitatem, quibus & noſtras Effigies præfigi amicorum noſtrorum plerique deſiderant, quarum loco ſi noſtras invicem animorum imagines ſubſtituere liceret nunquid longè gratius foret? Quamvis & Epiſtolæ præſentes intima mentis noſtræ planè exprimant. Ex quibus abunde colligitur, quod ad hoc Epiſtolare officium in vario argumenti genere me prior provocaveris, tum ut mei te miminiſſe conteſtareris, tum ut tuarum lucubrationum me faceres participem, nempe ut quando te coram frui non licet, fruerer hac ratione vel

Digitized by Google

abſente & tibi quaſi præſens ex mutuis colloquiis caperem voluptatem.

Epiſtola autem hac te prior compellare, debui, tum ut animi mei ſenſa de hiſce noſtris lucubrationibus levioris ſaltem argumenti ſibi proderem, tum ut de illis edendis conſtantem tuam voluntatem neſcirem, noviſti enim, quo illas deſiderio exſpectet ſua opera ad prælum promovendas Nepos Meus Proto-Phyſicus Confluentinus, Vir apprime curioſus, qui non ſemel ejus Epiſtolarum Elenchum ſibi prævie communicari expetivit. Amat enim noſtra omnia perinde atque nos, quod Primi Tomi Commercii noſtri Litterarii promota editione abunde teſtatum fecit.

Fieri hactenus non potuit, ut in eadem Civitate una viveremus, & Studiorum Tu meorum & Ego tuorum participes eſſe poſſemus. Fiet id nunc tamen, quando quidem non perſonis ſed animorum effigiebus, & Epiſtolis inſtar *Pyladis* & *Oreſtis* conjuncti orbem litterarum peragrabimus, quos proin nullum ævum ſeparabit, ut quos in vivis unanimes amicos extitiſſe, poſt mortem inſeparatos agnoſcat Poſteritas.

Eſt in Scriniis noſtris adhuc Epiſtolarum varii & curioſi argumenti non una Decas, quæ Tomo Tertio ſufficientem materiam præbebunt, ſi hunc Reip. Litterariæ gratum fuiſſe intellexerimus; ſi minus, cogitemus non noſtris duntaxat Weſtphalis, ſed & externis quoque nationibus ſcribere, quæ utriusque grandævæ ſenectuti ſaltem imputabunt, ſi minus exaſcia-

Digitized by Google

exaſciatæ ſint opellæ. De omnibus mentem tuam reſcribe, & vale. Vredenæ Pr. Calend. Maji Anno MDCCXLVIII.

EPISTOLA PRÆLIMINARIS RESPONSORIA.

Ad
Clar. & Expertiſſimum Dominum,
D. Joannem Henricum Cohauſen,
Medicinæ Doctorem, Archiatrorum Monaſterienſium Seniorem,
Vredenam.

EPiſtola tua Glyphica & Griphica fabulas quidem primum mihi indicare viſa eſt, ſed poſtea rei veritatem optime te inſinuâſſe non eo inficias. Fateor in meo per Patriam itinere, plurima ſpectâſſe Monumenta, & non unam intraſſe ſpecum, in qua quidem archiva deprehendi, quorum tamen genii noluerunt communicare theſauros; intravi cryptam â te delineatam, ſed una circa illam plures obſervavi crabrones, qui ſuos aculeos contra me exerere non intermiſerunt. Obſervavi quoque plures veſpertilionum nidos, qui avium quidem noctu volantium ſpeciem præferunt, neutiquam tamen harum ad prædicamentum pertinent; Docti videri volunt, volare ſuper reliquas aves, quia penes ſe regnum veritatis jactitant, ideoque ſibi imperium literarum & ſcientiarum delegatum, ſed iſti Tenebriones lucem fugiunt, & ne nomine qui-

dem ſuo ſe produnt. Hujus generis aves ſeſe opinantur omnium perſpicaciſſimas, quia ſub tenebris ſi non noctuarum certe Cocojonum inſtar clariſſime cernunt. Omnes multa temere apud Socios & Mecœnates ſtentantur ſe ſcire, qui nequidem limen Hiſtoriæ Patriæ eminus ſalutarunt.

Poſſent quidem hæc circa vetera Monumenta volitantium noctuarum terriculamentæ non unum abſterrere, & conjicere in dolorem, quod per XL. annos, & quod excedit, tot in ſcrutandis cryptis labores conſumpſerit, & ne quicquam inde fructuum tulerit præter conſumptam ætatem, obfuſcatos oculos, Pallidas canitie genas, ut non male ſcripſeris, nos quidem grandævos merito ab ulteriori locubratione eſſe abſolvendos, ut enim hominum juvenum non eſt conſcribendis libris animum operamque applicare, ſic nec ſenibus fere decrepitis. Ut enim illis obſtat ingenii imbecillitas, ſic his debilior memoria.

Verum memineris, Chariſſime *Oreſtes*, quæ ad te in Epiſtola congratulatoria ad *Hermippum Redivivum* ex Catone majore perſcripſi, nempe Platonem uno & octuageſimo anno adhuc ſcripſiſſe, eodem mortuum, (cujus ſenium jam ſuperaſti adhuc ſcribens) & *Iſocratem* librum qui *Panathenaicus* inſcribitur, quanto & nonageſimo anno compoſuiſſe & quinquennio adhuc poſtea vitam protraxiſſe, quos & plures quoque annos tibi ex corde voveo, neque dubito, quin eo tempore adhuc quoque ſcripturus ſis, cum ratio & memoria imo oculo-

Epiſtola Amœbæa III.

Ad Pyladem. Cui Cenſuram modernorum Criticorum & Cenſorum offert *Oreſtes.*

Epiſtola Reſponſoria III.

Oreſtis Epiſtolam de Cenſura & Criticiſmo ad Cenſuram & Criſin vocat *Pylades.*

Epiſtola Amœbæa IV.

Patellarum Iridis & Nummi inaurati Syracuſani Examen. De utrisque mentem ſuam *Pyladi* exponit *Oreſtes.*

Epiſtola Reſponſoria IV.

De Nummis Scutulatis & Syracuſano deaurato ſententiam ſuam *Oreſti* reponit *Pylades.*

Epiſtola Amœbæa V.

Nummi Benthemico - Taliſmannici inquiſitio. Amantiſſimo *Oreſti* ſuo Numiſma Benthemico Talismannicum conſtellatum, & quid de ſignis Talisman dictis ſentiat, paucis exponit *Pylades.*

Epiſtola Reſponſoria V.

Numismatis Benthemico - Taliſmanici uti omnium ſigillorum & imaginum Conſtellaturum Vanitatem *Pyladi* oſtendit *Oreſtes.*

Epiſtola Amœbæa VI.

De oſtento pluviæ ſanguineæ *Oreſti* Medico & Phyſi-

Phyſico expertiſſimo Erotema de cauſa pluviæ ſanguineæ reſolvendum proponit *Pylades.*

Epiſtola Reſponſoria VI.

Erotema de Pluviæ Sanguineæ cauſa & Prædictionibus à *Pylade* propoſitum reſolvit *Oreſtes.*

Epiſtola Amœbæa VII.

Panis atratus Weſtphalorum à calumniis vindicatus. Clar. & Expertiſſ. *Oreſtis* judicio præcipuum Weſtphalorum vitæ condimentum panem eorum atratum dictum (dictum Pumpernikel) ſubjicit *Pylades.*

Epiſtola Reſponſoria VII.

De pane groſſiori & atro Weſtphalorum, cujus Peramando *Pyladi ſuo* Moralem & Phyſicam Analyſin ſiſtit *Oreſtis.*

Epiſtola Amœbæa VIII.

Pultis Weſtphaliæ oſtenſa ſalubritas. Amicorum Coryphæo *Pyladi* ſuo propoſito pultis Weſtphalicæ ferculo novum appetitum excitat *Oreſtes.*

Epiſtola Reſponſoria VIII.

Pylades ad Epiſtolam *Oreſtis* de Pulte laconice reſpondet, cumque ad lautum Petaſonem Weſtphalorum in prandio invitat.

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtola Reſponſoria IX.

A *Pylade* ad Petaſonem invitatus comparet *Oreſtes.*

Epiſtola Amœbæa IX.

Cereviſia Weſtphalorum defenſa. *Pyladi* ſuaviſſimo Cereviſiæ Weſtphalicæ poculum in ſalutem proponit *Oreſtes.*

Epiſtola Reſponſoria X.

Poculum Cereviſiæ Weſtphalicæ in ſalutem ab *Oreſte* propinatum acceptat eique reſpondet *Pylades.*

Epiſtola Amœbæa X.

Aurifodina in Weſtphaliæ Torvenis detecta. Curioſiſſimo *Pyladi* Patriæ Monaſterienſis Aurifodinam detegit *Oreſtes.*

Epiſtola Reſponſoria XI.

Propoſitum ab *Oreſte* de Aurifodina gryphum *Pylades* reſolvit.

Epiſtola Amœbæa XII.
& ultima.

Pyladi in caſu infortunato ſolamen & conſilium præbet *Oreſtes.*

Epiſtola Reſponſoria XII.

Oreſtis Amici ſenis & benevolentis Conſilium etſi ratum habeat, difficultatibus tamen eximiis obnoxium oſtendit *Pylades.*

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtola XIII.

In qua Salentinus Erneſtus Eugenius Cohauſen, Proto-Phyſicus Confluentinus ad *Pyladem* & *Oreſtem* non nulla epicriticè pertractat, & de Telismate Treviris reperto agit.

Epiſtola XIV.

In qua idem *Pyladi* & *Oreſti* ex Muſeo Hiegeliano offert diſſertationem de Urnis ſepulchralibus in Vinetis Coberinis prope Moſellam quondam repertis.

Digitized by Google

oculorum acies, perſpicilia reſpuens, in te pleniſſime conſtent. Et quis æſtimet cenſorios iſtos Theones? Rideant per me licet, nos invicem pane groſſo & pulte tractare. Utroque illis, ſi neceſſe, os facile obturabimus. Cereviſia Weſtphalorum vino longe ſalubriorem eſſe, & ad vitam prolongandam utiliorem, non grave foret demonſtrare, ſi inter Bromum & Bromium ſub præſidio Liæi inter fratres, *Tuiſco-Sauſſxos* de præcellentia inſtitueretur diſputationis certamen. Argumentum de Ægyptiacis Talismannibus & Iridis patellis non pro gregariis, ſed Viris doctis pertractatum eſt. Quæ de fundatione Academiæ in Metropoli diximus, ſint pia vota talia tamen ſunt in actum redigibilia, annuente Cœlo, imo annuente principe moderno, apud quem ſat levis illa eſt poteſtas. Longe enim quid Clemens Werthenſe palatium exſtruere majus erat & ad tot ſtadia nuper effodere *Canalem*, quam in urbe ſcientiarum fontem, cujus jam ſcaturigo detecta eſt. Majori ille conſtitit labore, majori ſumptu, quam fons ejusmodi, Palladius, ex quo omnes aquas ſcientiarum vivas hauriant.

Dixi pia vota in actum redigi facilia ingens certe in Domum Bavaricam eſſet reduntatura gloria, ſi Academia per *Ferdinandum* Bavarum fundata per ejusdem pariter proſapiæ Ducem *Clementem Auguſtum* erigatur. Nunquam profecto aptior poſſet evenire æviternandæ Principis moderni gloriæ occaſio, quam ex inſtitutione prædictæ Univerſitatis, præ-

 ſertim

ſertim ſi *Clementina Ferdinandea* appellaretur; Cum in quolibet Univerſitatis actu, tam in faſcium Academicorum Decananti receptione, quam promotione Inaugurali non minus Academiæ reſtauratori quam fundatori gratias perſolvi publicas moris ſit? Redeo ad tuas litteras.

Habitationis loco tibi abſentem urbe vixiſſe, pro aliquali beneficio nunc judico reputandum. Certe ſine hoc nullum inter nos unquam extitiſſet Commercium Litterarium, ac ſermone vago verbisque facile evanidis tractaſſemus argumenta, quæ nunc litteris & æri typographico commiſſa ferent, ætatem, & ad poſteros migrabunt. Quæ de effigierum noſtrarum conſpectione ab amicis urgeri memoras, cur dubitemus tantum illas in Commercii Litterarii cedere ornamentum, ſed quoque docere eum inter Juris & Medicinæ Doctorem, inter Eccleſiaſticum & Sæcularem eſſe poſſe ac fuiſſe animorum conſenſum, ut ſpeciali magnetismo litterario extiterint ſympathetice quaſi conjuncti.

Scribis in ſcriniis noſtris Tomo Commercii Litterarii tertio ſufficientem contineri Epiſtolarum Amœbæarum numerum, quemve ipſe inveniri comperio, liceat aliquarum meminiſſe: quid ſanè curioſius utiliusque Capitulo S. Felicitatis Vredenſi foret, quam indagare quis iſte fuerit Walbertus Comes, ejusdem Eccleſiæ Protector & forte fundator, de cujus Cenotaphio in Templo Vredenſi extante fuſe per litteras internos actum eſt. Quid pro Patria honori-

honorificentius foret, quam ad exemplum aliarum nationum, Germaniæ, Italiæ, Angliæ, Daniæ inſtituenda per Weſtphaliam Eruditorum Societas, de qua quoque noſtros conceptus per Litteras Amœbæas invicem communicavimus? Non novêre exteri, quantæ antiquitatis ac dignitatis ſemper fuerit apud Weſtphalios illuſtris generis nobilitas, concluſum inter nos fuit, ut id oſtenderet *Pylades*; non novêre pariter exteri, quis ſit apud Weſtphalos Ruſticos genius, quæ vivendi ratio, ut id notum fieret per *Oreſtem*, licet hanc operam neque Patriæ nobiles recompenſaturi ſint *Pyladi*, neque pro illo ſervitium præſtitura gens ruſtica *Oreſti*. De cereviſiæ Weſtphaliæ in Urbe & Diœceſi Monaſterienſi per Gruttam condimento hactenus obſcuro atque ignoto non perfunctorii tractavimus.

Et hoc quoque Patriophilis innoteſcere è re foret. De Bibliotheca mea hactenus quidem privata, in publicos tandem uſus convertenda prolixe diſceptavimus, ut Capitulo Vredenſi ea donaretur, te urgente, me vero contradicente & cum primis optante, ut Academiæ deſtinetur, faventibus ſuperis propediem inſtituendæ aut ſaltem Civitas Monaſterienſis eidem recipiendæ curiam ſuam Scho-haus dictam concederet, atque hoc modo omnium olim malorum receptaculum in Muſarum denique ac Minervæ converteret Tabernam. Dabam ex Vici-Curte Idib. Iunii MDCCXLVIII.

Digitized by Google

ELENCHUS
Epiſtolarum Amœbæarum.

Epiſtola Amœbæa I.

De Inſtauratione Academiæ Monaſterienſis. Qua Amantiſſimo *Oreſti* ſuo pia Vota inſtituendæ in Urbe Monaſterienſi jam pridem fundatæ Academiæ, ex eaque in Patriam univerſam reduntaturos fructus recenſet *Pylades*.

Epiſtola Reſponſoria I.

Suaviſſimo *Pyladi* ſuo Academiæ in Urbe Monaſterienſi quondam fundatæ felicioribus tandem auſpiciis aliquando erigendæ emolumenta longe plura recenſet *Oreſtes*.

Epiſtola Amœbæa II.

Antiquitatis Monumenta diruta. Antiquitatis Monumenta apud Weſtphalos nonnunquam dirui ac devaſtari apud *Pyladem* conqueritur *Oreſtes*.

Epiſtola Reſponſoria II.

Oreſtis querelas de Monumentis apud Weſtphalos dirutis ac devaſtatis non tantum juſtas decernit, ſed & hujus moris inſolentiam deteſtatur *Pylades*.

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtola Amœbæa I.

DE

INSTAURATIONE ACADEMIÆ MONASTERIENSIS.

Qua

Amantiſſimo ORESTI ſuo pia Vota inſtituendæ in Urbe Monaſterienſi, jam pridem fundatæ Academiæ, ex eaque in Patriam univerſam redundaturos fructus recenſet *Pylades*.

Vredenam.

NUlla major magno Principi immortalitatem quærenti gloriæ excellentia eſt, quam quæ ex munificentia Patriæ, cui præeſt, exhibita illi enaſcitur, utpote quæ perenne apud poſteros eidem condit atque erigit Monumentum. Nec exigua eſt cuivis etiam privato Patriæ fideli filio laus, ſi amoris erga hanc ſui teſtetur poſteritatique relinquat documenta. Affectûs ergo ſolum genitale meum ni fallor, ſufficiens eſt tecmirion *Decuria* MONUMENTORUM MONASTERIENSIUM. Prima ingenti Studio elaborata, & propriis quidem ſumptibus nuper in lucem miſſa, cujus reliquæ etiam, ſi Deus vitam viresque conceſſerit, ordine ſecuturæ, cura aliis Patriæ noſtræ hiſtoriam

Digitized by Google

exhibentibus Tractatibus, uberius præbebunt teſtimonium. Etſi vero, amantiſſime Oreſtes, ex his aliisque meis tibi haud incognitis manuſcriptis meum in Patriæ amorem pietatemque à bene multis annis habeas perſpectam, ejus tamen hoc Epiſtolio amplius ſpecimen edere adlubeſcit. Ex quo, quanta ſit felicitatis in hac Patria perennantis in me cupiditas, atque votum non obſcure cognoſcas. Etenim nemini non cognitum, quantæ Glorioſiſſimo Principi Epiſcopo quondam Monaſterienſi FERDINANDO debeantur gratiæ, quanta gloriæ immortalitas, quod in Metropoli ſua Academiam Diplomate Imperatorio firmatam, multisque dotatam Privilegiis fundârit, nec minus, quod rariſſimum eſt, erga hanc ipſam Academiam Matronæ Scölverianæ cum filiola benevolentiam, ceu Patrii amoris luculentiſſimum quoque teſtem in donato pretioſiori Academico Sceptro tibi proponam, atque unà recenſebo ex hac in Urbem Monaſterienſem aliquando introducta Univerſitate haud dubie ſecutura tam in Sacro quam Civili & Literario Statu emolumenta, ut ſi hæc Epiſtola forte aliquando in *Commercio* noſtro *Litterario* publicæ luci foret exponenda, ipſi Patriæ Principi, cæterisque proceribus incitamento ſit, quo tandem oecluſo *Jani* templo, quod brevi futurum ſperamus, novæ huic Academiæ fores aperiantur, ſimulque Glor. Principis FERDINANDI, ceu fundatoris, nec non moderni Sereniſſimi Principis CLEMENTIS AUGUSTI æviternæ gloriæ litetur.

Referam tibi primùm Auguſtiſſimi FERDINANDI Imp. gratioſiſſimum Diploma hactenus à nemine publici juris factum, quo præfatæ Academiæ funda-

Digitized by Google

ſundationem confirmare, & inſignibus Privilegiis ditare clementiſſime dignatus eſt, ut penſitatis omnibus circumſtantiis, & hujus Academiæ dignitas, & ex ea in urbem univerſumque Weſtphaliæ Tractum promanatura utilitas pateſcat. En Diplomatis laudati tenor ad autographum deſcripti:

FERDINANDUS *Secundus divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ; Dalmatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ ac ſuperioris ac inferioris Sileſiæ, Wirtenbergæ, & Tecbæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi Tyrolis, Ferretis, Kigburgi, & Goritiæ, Landtgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Imperii Burgoviæ, ac Superioris ac Inferioris Luſatiæ Dominus Marchiæ Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c.* Ad perpetuam rei memoriam. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis. Quod cum demiſſe Nobis exponi curarit Reverendiſſimus & Sereniſſimus FERDINANDUS, Archi-Epiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Epiſcopus *Paderbornenſis*, *Leodienſis*, & *Monaſterienſis*, Adminiſtrator Eccleſiarum *Hildesheimenſis*, *Berchtesgadenſis* & *Stabulenſis*, Comes Palatinus Rheni ac utriusque Bavariæ Dux, Princeps Elector, & Patruelis Noſter Chariſſimus Se ſingulari orthodoxæ religionis Catholicæ in Epiſcopatu ſuo *Monaſterienſi*, totaque Weſt-

phalia propagandæ & ſtabiliendæ Studio ductum ad veram divini nominis laudem, publicumque ſubditorum ſuorum bonum & commodum in *civitate Monaſterienſi* tanquam loco, prout fide dignorum teſtimonio cognovimus, ob ſitus & victus commoda Civium erga Studioſos & exteros humanitatem ipſius civitatis elegantiam & amplitudinem frequentiam Cleri, & celebrem utriusque Fori praxin, ad hanc rem maxime idoneo & apto univerſale quatuor Facultatum: Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ & Philosophiæ Studium fundaſſe, erexiſſe, ſimulque dimiſſe rogarit, ut comprobato per benignum aſſenſus noſtri favorem ejusmodi propoſito ſuo dictam Academiam gravibus a ſe impenſis erectam & dotatam authoritate noſtra cæſarea confirmare, nec non privilegiis, libertatibus, honoribus, Franchiſiis immunitatibus, & prærogativis academicis clementer munire & exornare dignaremur. Nos benigne conſiderantes opus illud non minus ad Dei optimi maximi gloriam, quam perpetuam animarum ſalutem ſpectare, pro noſtra in dilectionem ſuam ſinceræ benevolentiæ affectione ejusdem petitioni, quippe rationi & æquitati conſentaneæ clementer annuendum duxerimus, uti vigore præſentium annuimus. Ac proinde ex certa noſtra ſcientia animo bene deliberato ſano accedente conſilio, & de cæſareæ poteſtatis noſtræ plenitudine præmemoratam univerſalis Studii fundationem & erectionem omni meliori modo, via & forma approbamus, ratifi-

ratificamus, confirmamus Cæſareaque Authoritate Noſtra in perpetuum communimus, & vigore hujus Noſtri Diplomatis in generale publicum Studium, & UNIVERSITATEM erigimus, eamque una cum perſonis ibidem & nunc & olim profitentibus, & ſtudentibus privilegiis omnibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, Franchiſiis, exemptionibus, & gratiis, quibus aliæ *Univerſitates* earumque membra utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, inſignimus & exornamus, volentes & eadem authoritate Noſtra Cæſarea decernentes, quod Profeſſores, & perſonæ idoneæ per memoratam dilectionem ſuam in Epiſcopatu *Monaſterienſi* Succeſſores illorumve ad hoc deputatos deputandæ poſſint, & valeant in prædicta Univerſitate ſupradictas Facultates omnes publice profiteri, & lectiones, diſputationes atque repetitiones publicas facere, concluſiones palam diſcutiendas proponere, ac prædictas ſcientias omnes docere, interpretari, gloſſare & dilucidare, omnesque actus exercere eo modo, ritu & ordine, qui in cæteris *Univerſitatibus* & Gymnaſiis publicis obſervari ſolent. Volumus autem, ut tenore præſentis fundationis & confirmationis paginæ ordinem, quod ad Theologicam Profeſſionem indifferenter tam è Secularibus quam Religioſis cujuscunque ordinis & conditionis Theologicis Catholicis prout pro tempore, quique magis digni & idonei reperti fuerint, eo quo præmiſimus modo & forma Profeſſores & Lectores aſſumi, & admitti poſſint. Illorum

Digitized by Google

autem uti & reliquarum Facultatum nemo in Profeſſorem aſſumetur, niſi profeſſionem fidei juxta modum & formam ab Apoſtolica Sede præſcriptam prius perſonaliter præſtiterit, quod etiam de omnibus illis, qui in Univerſitatis Matriculam recipi deſiderabunt, intellectum volumus. Porro cum ipſa & feliciori gradu procedant, & majus ſumant incrementum, ſi ingeniis & diſciplinis ipſis ſuus honos, ſeu dignitatis gradus ſtatuatur, ut emeriti aliquando digna laborum ſuorum præmia conſequantur, ſtatuimus, & ordinamus, ut per Collegia Doctorum ſeu Profeſſorum electis ad id idoneis, & præ cæteris excellentibus, ſiqui ad ſumendam palmam certaminis ſui idonei judicati fuerint, adhibito prius per ipſos Doctores & Profeſſores in ſupradictis Facultatibus pro more, & conſuetudine ſolennitatibus eo ritu in cæteris Univerſitatibus obſervare ſolitis rigoroſo & diligenti examine (in quo conſcientias ipſorum Profeſſorum onerari voluimus) in liberalibus artibus & Philoſophia nec non MEDICINA, JURISPRUDENTIA & THEOLOGIA eos, qui ſe examini ſubmiſerint, atque pro more & juxta ſtatuta Scholarchis per aliquot dignos & honeſtos Viros præſentari ſe fecerit, poſſint ad ipſum examen admitti, & invocata Spiritus Sancti gratia examinari, & ſi hoc modo habiles idonei & ſufficientes reperti atque indicati fuerint. *Baccalaurei* aut *Magiſtri*, vel *Licentiati*, vel *Doctores* pro uniuscujusque ſcientia & doctrina creari, & hujusmodi dignitatibus inſigniri, nec non per Bireti impoſi-

Digitized by Google

impoſitionem ac Annuli, & Oſculi traditionem cæteriſque conſuetis ſolennitatibus, & ſolita ornamenta atque inſignia dignitatum prædictarum eis conferri & tradi. Quodque *Baccalaurei*, aut *Magiſtri*, vel *Licentiati*, vel *Doctores* in eadem *Univerſitate* promoti vel promovendi debeant ac poſſint in omnibus locis & terris Sacri Romani Imperii, & ubique locorum, & terrarum libere omnes actus Profeſſorum legendi, docendi, & interpretandi, atque gloſſandi, nec non etiam advocandi de *Jure*, de Theologicis aliisque ad aliquem prænominatarum Facultatum pertinentibus quæſtionibus reſpondendi, ac denique praxin ſui quiſque ſtudii libere exercendi, & omnia illa faciendi, quæ ad officium cujusque ſpectare noſcuntur, facere & exercere, quod cæteri Profeſſores, Baccalaurei, Magiſtri, Licentiati & Doctores in aliis ſtudiis privilegiatis promoti & inſigniti exercent, & exercere poſſunt ac debent de jure vel conſuetudine. Præterea recipimus eandem Univerſitatem in noſtram & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Imperatorum & Regum ſingularem protectionem, Salvaguardiam atque patrocinium, volumusque & decernimus per præſentes, quod Scholaſtici ac ibidem dignitatem ſeu gradum aliquem aſſumentes gaudeant, & potiantur, utque frui gaudere & potiri poſſint ac debeant omnibus & quibuscunque gratiis & honoribus, dignitatibus præeminentis, immunitatibus, privilegiis, franchiſiis, conceſſionibus, favoribus & inductis, ac aliis quibuslibet, quibus

bus *Univerſitas* HEIDELBERGENSIS, COLONIENSIS, LORANIENSIS, FRIBURGENSIS, INGOLSTADIENSIS, OSNABRUGENSIS, ac alia ſtudia privilegiata ac *Doctores*, *Licentiati*, *Magiſtri*, *Baccalaurei*, & *Scholaſtici* in ſupradictarum Facultatum una cum altera iſtic promoti, aut aliqua dignitate, ſeu gradu inſigniti gaudent, utuntur fruuntur & potiuntur, quomodolibet conſuetudine vel de jure non obſtantibus aliquibus privilegiis Indultis, Prærogativis, Gratiis, Statutis, Ordinationibus, Legibus, Conſtitutionibus, Reformationibus, Exemptionibus aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus & ſingulis ex certa noſtra ſcientia animo bene deliberato & motu proprio per hoc Diploma Noſtrum derogamus, eſſe volumus. Dummodo tamen nihil Scandaloſum, vel bonis moribus contrarium, aut Sacri Romani Imperii Conſtitutionibus adverſum ſive Profeſſores, ſive ſtudioſi ibidem vel doceant vel ſcribant, aut doceri ſcribi in lectionibus publicis aut diſputationibus proponi aut ſcripto vel libris ſive clam ſive palam vulgari permittant. Inſuper concedimus & ſtatuimus, *ut præmemorata dilectio ſua ejusque in Epiſcopatu Monaſterienſi Succeſſores perpetui temporibus ſint ac maneant, hujus à Nobis per præſentes confirmati, generalis Studii Rector & Cancellarius qui munus tamen Cancellariatus vices non alii quam alicui ex majoris Eccleſiæ Prælatis mandare & committere poſſint, Vice-Rectorem aut ad ſemeſtre ſive annuum tempus ex prædictis quatuor Facultatibus* THEOLOGIÆ

JURIS-

Jurisprudentiæ, Medicinæ & Philoſophiæ *ſecundum ordinem dignitatis & in orbem redeundo eum, qui magis conveniens & aptus videbitur, modo conſtitui faciant.* Non intendimus autem per hanc Confirmationem Noſtram antiquius, & hactenus obſervari ſolitis, *Scholaſtici* Cathedralis ejus loci Eccleſiæ juribus in maximo vel minimo derogare, ſed potius illa, quoad ſcholas inferiores, & ad Corpus Academicum proprie non pertinentes intacta & illibata conſervari optamus & volumus, qui tamen *Scholaſticus Univerſitatis* negotiis nequaquam ſe intromittat. Ne etiam ratione Jurisdictionis in & ſuper prædictæ hujus novæ *Academiæ* membra ſive Profeſſores, ſive Studioſi vel etiam Miniſtri & Officiati fuerint, dubia, contentiones, lites & controverſiæ, aliquando, ut ſolet, oriri poſſint, diſtricte per tenorem præſentium jubemus & volumus, quod omnes & ſinguli Profeſſores, Studioſi Miniſtri ſint & maneant ſecundum morem obſervantium Jura & Privilegia plerarumque in Imperii Romani Germaniæ Nationis diſtrictu exempti & liberi à Secularis & Eccleſiaſtici Magiſtratus Jurisdictione, & Superioritate, nec ullibi quam coram pro tempore *Vice-Rectore* conveniri poſſint, aut conventi reſpondere teneantur, qui tamen tum ex officio, prout temporis, & cauſæ conditio poſtulaverit, tum etiam ad factam in petitionem juſtitiam adminiſtrare ac legitima actorum poſtulata admittere teneatur. Quod ſi autem ejus generis cauſæ incidant, quæ non niſi ab Eccleſiaſticis

Digitized by Google

cognoſci & judicari poſſint, *Vice-Rector* pro tempore, quoties ille alterius quam Sacræ Profeſſionis & Status fuerit, Vices ſuas ex Collegiis & Con-Profeſſoribus alicui, qui ejusdem notionem vigore Canonum & uſus Eccleſiæ Catholicæ ſuſcipere poſſit, mandabit, ſi quis tamen ex prædictis in flagranti crimine, quod apprehenſionem corporalem & capturam mereatur, quod abſit, deprehendatur, licebit illis, ad quorum curam & officium de jure & conſuetudine ob commiſſam loci ſecuritatem & publicæ pacis & quietis tutelam id ſpectare poterit, ejusmodi delinquentem, apprehendi facere, quem tamen nulla ſtatim interveniente mora, eique pro tempore Regimini Academico præfuerit tradi curabunt, ac *Vice-Rector* pro delicti differentia ſibi, ita ut præmittitur exhibitum vel carceribus Academicis includi jubebit, vel etiam aliter prout juris diſpoſitio pro re nata exigere videbitur, procedi faciet. Quod ſi autem id, quod abominamur, nec futurum ſperamus, ſtudioſus tam enorme facinus commiſiſſe culpetur, ut pœnam capitis eo nomine, ſi legitime & ſufficienter probatum fuerit ſubire meruerit, Curiæ ſeculari pro facienda juſtitia de aſcenſu & juſſu *Vice-Rectoris* & *Concilii* Academici, quibus deſuper notionem & arbitrium pro facti conditione commiſſam eſſe volumus, ſiſti & conſignari debebit. Inſuper de expreſſo conſenſu & placito bene memoratæ Dilectionis ſuæ jubemus, volumus & ſtatuimus, ut qui pro tempore in majori Eccleſia *Præpoſitus* fuerit, ſit & maneat perpe-

Digitized by Google

perpetuis futuris temporibus Jurium Privilegiorum Immunitatum, & Prærogativarum quæcunque tam hujus Imperialis Gratiæ, Conceſſionis, & Confirmationis Noſtræ, quam etiam de jure conſuetudine aliarum Academiarum Generaliumque Studiorum conceduntur, & quomodolibet competere poſſunt, Conſervator & Judex, habeatque jus & facultatem ea omnia faciendi, exercendi, quæ ad illarum tuitionem & conſervationem ac indemnitatem requiſita ac neceſſaria fuerint, ſecundum modum & formam tum aliarum in Imperio Univerſitatum, tum *Colonienſis* præcipue. Confidimus igitur & maxime deſideramus cupimusque, ut in Novella hac Univerſitate, non minus *Majores*, quas vocant *Facultates* deinceps feliciter efflorescant, & fructificent, *ac dudum ante ſesqui ſeculi circiter tempus & ſequenti deinceps mature & inter Germanorum primos in ejusdem loci inſigni Schola, qua de re Hiſtoriarum Monumenta, aliaque Doctorum hominum ſcripta fidem facere informamur, Humaniora ſtudio laudabiliter viguerunt*, utque non minus ex graviorum hujusmodi doctrinarum ad vicinos propagatione Eccleſiæ, & Reipublicæ emolumentum hoc in antè ſentiant, quam antiquitus præ indigitato tempore & ſequentibus annis politioris litteraturæ ſint frequentes & populoſæ *Coloniæ*, inde quaquaverſum fauſtis auſpiciis deductæ leguntur. Nulli ergo omnino hominum cujuscunque Status, Conditionis, Gradus, Ordinis, Dignitatis aut Præeminentiæ fuerit, liceat hanc noſtram Confirmationis Erectio-

Erectionis, Indulti, Conceſſionis, Salvaguardiæ, & Privilegii gratiam vel facultatem infringere, & ei quovis auſu temerario contraire. Si quis id autem attentare præſumpſerit, Noſtram & Sacri Imperii indignationem graviſſimam & pœnam quinquaginta Marcarum Auri puri toties quoties contra factum fuerit, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, quorum dimidiam imperiali Fiſco ſeu Ærario noſtro reliquam verò partem dictæ *Univerſitatis* uſibus applicandam decernimus. Harum Teſtimonio litterarum manu noſtra Cæſarea ſubſcriptarum & Bullæ Noſtræ Aureæ (*) appenſione munitarum. *Datum in Civitate noſtra Viennæ Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo trigeſimo primo, regnorum noſtrorum* ROMANI *duodecimo*, HUNGARIÆ *decimo tertio*, BOEMICI *vero decimo quarto.*

FERDINANDUS R.

Vt.

P. H. a *Stralendorff.* (**)

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium

Joan. Walderode mpp.

Faxint

(*) Aurei Sigilli ſive Bullæ antiquitatem perveſtigans Mallinckrotius Tr. de Archicancell. *Edit. Wenckeriana pag.* 461. *ſq.* de hac Ferdinandea autoptis: *Et nominatim*, inquit, *in hac forma confectum eſt Privilegium Cæſareum Ferdinandi II. Glor. mem. Imp. ſuper erectione generalis ſtudii Academici, quod vulgo Univerſitatem vocamus, in Epiſcopali Civitate hac Monaſteienſi in Weſtphalia.*

(**) *Petrus Henricus* L. B. a *Stralendorff Leopoldi* Equitis Megapo-

Faxint modo ſuperi, ea in ævum noſtrum incidat temporum felicitas, ut in Europa Biforme Numen Jani ſui fores occludendo illas Academiæ feliciter aperiat: Equidem id a ſola poteſtate Principis dependet, & purpuratorum Patrum, penes quos jus eſt Scholas & Gymnaſia fundandi & erigendi in ſuis Provinciis, quibus ſi approbatio ſummorum Imperatorum Privilegia & Immunitates accedant, *Academiæ* titulum accipiant, & etiam extra territorium ratæ habeantur. Appello hinc domum, quam ſibi ædificavit ſapientia. Hoc enim prædicatum ſibi merito vendicant a Sophiæ Aſſeclis juxta hujus regulas bene inſtitutæ Academiæ, quæ Virtutum officinæ ſunt, bonæ mentis Paleſtræ, feracia artium & diſciplinarum Seminaria & recepto hodie vocabulo *Univerſitates* dici amant, quia in his Studium quoddam Univerſi, ſive quod univerſæ divinarum humanarumque ſcientiarum Encyclopædia in iis traditur. Eſt in iis ſcientiarum varii generis publicus quaſi mercatus,ac privilegiatæ nundinæ, quarum frequentatione liceat varias diſciplinas, populorum Jura, Leges, Statuta, mores addiſcere, imo Religionis Myſteriis & ſuper cœleſtibus fidei arcanis informari, quorum ſcientia ad plebem non pertinet. Dixi

---

Megapolitani, *Rudolphi* Imp. Vice-Cancellarii Fil. *paternæ virtutis & dignitatis hæres* Ao. 1637. ex Cæſaris ad Cœleſtem aulam translatus. Huic laudi tributum fuiſſe teſtatur d. Mallinckrotius *d. Tr. p.* 451. *ſq. Si ullus eſſet, ipſum ante omnes aptum & idoneum eſſe, qui Reformationem juris hodierni uſualis, vaſtitate & incertitudine paſſim laborantis, toties ac tantopere a plerisque juſtitiæ & ſalutis Germanici Imperii publicæ amantibus deſideratam & expetitam fructuoſe aggrederetur, & feliciter perficeret.*

Digitized by Google

Dixi Academiam *Domum Sapientiæ* quia in illa habitat, cujus melior eſt acquiſitio negotiatione argenti & auri puriſſimi, quæ pretioſior eſt cunctis opibus. In cujus dextra longitudo dierum & ſiniſtra divitiæ & gloria, quæ lignum vitæ eſt, his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam, beatus, ut eam deſcribit Sapientiſſimus *Proverb.* 3. quæ igitur in Academiis ſub prudentiſſimorum Profeſſorum inſtitutione acquiri poteſt.

Athenis in Græcia celeberrimam fuiſſe Muſarum ſedem nemo ignorat, ex quo velut fonte ſapientia defluxit in Tyberim, unde hodie Athenæi nomen pio laudum Compendio ſufficit etiam Academiis excellentiſſimis, & maxime adjectis prædicatis ex Fundatorum nomine, unde quod Halæ eſt, *Fridericianum*, quod Helmſtadii *Julium*, quod Kilonii *Chriſtiano - Albertinum* dicitur, & quod aliquando in Metropoli Noſtra futurum *Ferdinandeum* merito appellabitur, ſic enim eos Principes, qui vel novas Academias inſtituerunt, vel collapſas inſtaurarunt, adde qui & nondum erectas aperuerunt. Superſtes manet poſt mortem immortalitas, adeo ut quia hæc inſtaurationis fortuna Sereniſſimo Duci Electori & Epiſcopo Noſtro moderno a cœlo reſervata videtur, eam jure FERDINANDEO - CLEMENTINAM AUGUSTAM ſuo tempore appellandam cenſeamus in æviternam Bavariæ Ducum, & primi Fundatoris *Ferdinandi* & ſecundi Inſtauratoris Clementis Auguſti perennem memoriam. Ita etiamnum in Gallia Pariſienſis celebrat Academia *Carolum M.* In Hiſpania Salmaticenſis *Alphonſum* VIII. Caſtellæ Regem: In Anglia Oxonienſis *Sigibertum* Regem: In Italia Bononienſis *Theodoſium* imperatorem: In Polonia

Polonia Cracovienſis *Caſimirum* Secundum: In Germania Viennenſis *Albertum* Auſtriæ Ducem: In Belgio Lovanienſis *Joannem* Brabantiæ Ducem: Agnoſcet ſemper & celebrabit in Weſtphalia Mimigardenſis FERDINANDUM Electorem Principem Monaſt. Fundatorem, FERDINANDUM Cæſarem Confirmatorem, CLEMENTEM AUGUSTUM, quod ſperamus Inſtauratorem ut *Principem*, qui Univerſitatis leges proteget, ut *Mecænatem*, qui gratiis, & muneribus cumulabit, ut *Parentem*, qui plurimis in ea Studioſis alimenta ſuppeditabit. Speramus namque, id fato quondam contigiſſe, ut & huic ſeculo & Bavarorum Mitræ tota ſit reſervata gloriæ plenitudo. Habent quippe, ut reliqua omnia, ſuæ maturitatis tempora, ſic & Artes & ſcientiæ ſua ſydera quibus magis exſplendeſcant, & ad dignitatis culmen perveniant. Sic integram gloriæ palmam, quam ſors & fatum hactenus diſtulit, & nunc offert cum Trinepote ſuo partietur, qui candida ejus veſtigia relegens magno omnium plauſu, totiusque Weſtphaliæ jubilo fundationis hiſtoriam feliciter abſolvet, eamque ita expoliet, & ſplendentem efficiet, ut eam tibi erudito veluti rem ſuam venditare valeat. Deus vota ſecundet!

Optabat illi fores patefacere *Chriſtophorus Bernardus* Sago Togaque clarus Princeps, ſed invidit fortunam Littoris armata Pallas, ut pluribus perhibet Alpenus. Optabat pariter Epiſcoporum Monaſt. Sexageſimus *Fridericus Chriſtianus Plettenbergius*, ut fuſius in ejus vita in *Mauſoleo gloriæ politico-panegyrico* Columna XX. p. 102. ipſemet eleganter deſcripſiſti, ſuo Regimini cætera auſpicatiſſimo hoc quoque decus & felicitatem adjicere,

ſed

ſed huic fatorum negavit illud ipſum invidia adeo ut hujus inſtituti executionem a Sereniſſimo Noſtro tanto magis perficiendam ſpes affulgeat, quod nullum paſſim Principum regimini illuſtrius, & ad poſtremos commendabilius, quam ex ſcholarum præſertim publicarum qua inſtitutione, qua reſtauratione accedat decus. Audiamus Eumenium pro reſtaurandis Scholis cap. XIX. v. I. INTER OMNIA, inquit, QUÆ VIRTUTE PRINCIPUM, AC FELICITATE RECREANTUR, SINT LICET FORTASSE ALIA MAGNITUDINE ATQUE UTILITATE POTIORA, NIHIL EST TAMEN ADMIRABILIUS HAC LIBERALITATE, QUAM FERENDIS CORONANDISQUE LITTERARUM STUDIIS IMPERTIUNT. Nullum dubium quin quod de Leidenſi Academia olim cantatum eſt, futura ſit Monaſterienſis, nempe

Inclyta Muſarum Domus
Sedes honoris, officina Palladis,
Sophiæ Paleſtra, dulcis artium parens,
Campus juventæ, læta Virtutum ſeges
Feraxque frugis ſeminarium bonæ,
Cor, & benigna cura cæli &c.

Etiam in Mimigardiam concedent Athenæ, ut ad imitationem Mantuanæ fere dici poſſit.

Et ſua de gratis migrans Academia campis
Weſtphaliamque petet vacuasque relinquet Athenas.

Studiorum tandem doctrinarumque decus multis Univerſitatibus præripiet, præter novum linguæ emendatæ lenocinium, & correcti idiomatis elegantiam. Mimigardia Cauſidicorum nutricula dici poteſt, nunquid etiam Weſtphalia habet in disquirendo prudentes, in explorando circumſpectos, graves

graves in conſiderando, in diſſerendo verſutos, in decernendo Religioſos (ex cat. gl. Mund.)

Habuit Monaſterienſis Patria quamplures multiſariæ eruditionis Viros conſummatos, quales aliquando veluti è cineribus in lucem producet MIMIGARDIA DOCTA, ſive Elenchus meus Virorum eruditione editisque libris illuſtrium; Langios nempe *Hövelios*, *Buſchios*, *Rolevincios*, *Graſſios*, *Kerſſenbrochios*, *Murmelios*, *Mallinckrotios*, *Rottendorpios*, *Alpenos*, ex quibus innoteſcet Mimigardiæ gentem plures in quocunque ſcientiarum genere viros eximios produxiſſe.

Vel ex hoc liquet quantæ dignitatis, quantæ utilitatis non ſolum nobiliſſimæ ac fortunatiſſimæ Monaſterienſium Civitati, ſed ex univerſæ diœceſi futurum ſit tantæ molis complementum, ut quaſi actum agere videar hæc commoda prolixiori ſuada extenuaturus. Non erro, ſi dixero Minervæ ſacrarium, cor imo *animam* ipſius Civitatis futuram. Etſi enim foſſis & vallo ſit munita, hoc tamen fortiur erit propugnaculum, neque enim in duplici vel triplici murorum ordine poſitum eſt Urbium præſidium & ſecuritas, ſed in civium prudentia & Conſilio, uti illud quondam in ſolenni Mutinenſis Academiæ inſtauratione coram ejus Sereniſſimo Duce Franciſco II. in publica Oratione probavit *Ramazzinus* allegans, ſapientis Legislatoris Lycurgi verba, quibus cum de Spartanorum muris interrogaretur, reſpondiſſe fertur: *Non eſſe expertem muri Urbem illam, quam non laterum, ſed Virorum corona ambiret.*

Præſto jam eſt, ut vides, Auguſtiſſimi Cæſaris Diploma, Univerſitatem hanc egregiis ditans,

B Privile-

Privilegiis. Præſto eſt Sereniſſimus Princeps Epiſcopus Academiæ Cancellarius. Imo præſto eſt ſceptrum Academicum (Sigilli niſi jam adſit facilis eſt apparatus) ſingulare ejusdem futurum ornamentum, quo eandem regat: cujus ſingularis eſt præſtantia, ut jure merito dubites, an ulli in Germania Academiæ, quas facile triginta numerat, ceſſurum ſit. Totum quantum ex argento eſt, & miri artificii opus, hactenus in Archivo Collegii Soc. Jeſu Monaſterienſis probe ſervatum, cujus iconem hoc loco in ære ſpectare non injucundum fore Lectori exiſtimamus. Addimus nunc illius viginti, qua Sanctorum ſacris, qua ſcientiarum & liberalium artium ſymbolicis iconibus illuſtrem Sciagraphiam:

A. Imagines ejus præcipuæ ſunt CHRISTUS ſedens in Cathedra in medio Doctorum.

B. S. *Gregorius* ſedens.

C. S. *Auguſtinus* ſimiliter in ſede.

D. Ex parte ſceptri ſiniſtra è regione SS. *Ambroſius* & *Hieronimus* item ſedentes.

E. B. *Virgo* coronata ſceptrum geſtans.

F. *Theologia* inſtar Nymphæ crucem gerens.

G. *Arithmetica* geſtans Tabulas Arithmeticas.

H. *Logica* Claves à tergo.

I. *Geometria* Sphæram metiens.

K. Globus Cryſtallinus, cui ab utraque parte genii incumbunt, unus cum circino, alter cum aſtronomico quadranti.

L. Tres Nymphæ, una cum Caduceo, altera cum Cythara, tertia cum implexis duobus anguibus.

M. S. *Pau-*

Digitized by Google

M. S. *Paulus* Apoſtolus.
N. S. *Petrus* Apoſtolus.
O. S. *Ludgerus* Proto-Epiſcopus.
P. B. *Carolus* M.
Q. A tergo ſceptri S. *Catharinæ* &
R. S. *Thomas* Aquinas.
S. S. *Joannes* Evangeliſta.
T. S. *Matthæus* Evangeliſta.
V. Ex adverſo reliqui duo Evangeliſtæ.

Longitudo tota eſt ſex pedum & quatuor pollicum: Coronamenti cum reliquis duorum pedum, trium pollicum: Perticæ quatuor pedum & unius pollicis: Manubrii vero pedis unius. Latituto Coronamenti octo pollicum.

Donum eſt Matris & Sororis R. P. *Erneſti* a *Scholver* Soc. Jesu Collegii atque Templi inſuetæ munificentiæ Benefactricum æſtimatum ſexcentorum Imperialium pretio, pondere, tametſi non admodum gravi: Ultra ſexûs ingenium hæc virtus atque in Muſas amor, cui ſimilem vix ferat integri ſeculi felicitas. Votum illis erat quo quomodo urgere Academiæ complementum. Utut ejusdem ſpem plane decollarint eorum temporum injuriæ. Interea par nobile fœminarum inſuetamque utriusque liberalitatem hoc poſteris commendat Epigramma:

Fœmina, quæ tanti pretii dat ſceptra Minervæ
Prô quibus elogiis condecoranda venit!
Laudibus & quantis mactanda eſt æmula Matri
Filia, quæ ſexus geſta ſui ſuperat?
Nunquid Muſarum decima hoc eſt digna vocari?

Et ceu quarta Charis, ceu ſacra Diva coli?
Et gemina effigie ſuſpendi Gloriæ ad Aram,
Et toto famæ curribus orbe vehi?
Hæ quam prudentes multa inter millia? Quando
Et ſapuêre aliis, & ſapuêre ſibi.
Utraque ſic Muſis devota ſolennibus anſis
Ingenii celſum nomen ad aſtra vehit.
Hoc doctis plancuiſſe viris, hæc gloria tanto
Munere, vel ſummos eſt ſuperâſſe viros.

Itaque ſi ipſi fœminarum ſexui hæc vota inerant, quid de Patriæ utriusque Ordinis Proceribus, de tot aliis ſummis emunctæque naris viris ſtatuemus? Profecto a tempore ſignati Diplomatis piorum omnium ab imo ad ſummum Patriæ amantium univerſale, & unanime deſiderium, atque ſuſpirium nunquam defuit, quo tandem Pater Patriæ ultimam laudatiſſimo operi manum in glorioſam æternamque ſui memoriam Patriæque tam publica, quam privata emolumenta applicare dignetur.

Profecto ardens præ cæteris B. Mallinckrotii ſuſpirium erat ad Ingolſtadienſis ac Baſileenſis aliarumque Academiarum exemplum brevi introduceretur. Monaſterienſis Univerſitas inquiens: *Ita ſperare & bene ominari liceat.* Ego quidem præſago quaſi omini votis univerſalibus nunc quoque meum (de tuo Amice certus ſum) jungo ah! utinam effectus verbis votisque ſuccedat, qua ſpe lactatus extemporaneos hos addo frontiſpicio futuri Athenæi inſcribendos verſus:

Hanc ſibi Diva Domum ſtruxit ſapientia ſacram.
Quam Themis, Hygêe. Thejologia colit.
Queîs ſeptem reliquæ famulantur ordine Muſæ,
Et ſervit variis gnava juventa ſcholis.

Finio

Digitized by Google

Finio Epiſtolam meam medullari deſiderio; Velint ſuperi ante fata utriusque omnium facultatum præclaros Profeſſores ex Neo-Academiæ Monaſterienſis Cathedra publice docentes & videamus & audiamus. Niſi grandæva obſtaret ætas, optarem ſane te in illorum numero ſpectare, Coaca Dogmata Hippocratis filiis explicantem. Vale amantiſſime Cohauſene, Jatrices Decus & Charum Muſis nomen. Ex Wieckinghovio ipſo Catharinæ M. DCCXLVII.

Epiſtola I. Reſponſoria

Suaviſſimo *Pyladi Suo*

Academiæ in Urbe Monaſt. quondam fundatæ felicioribus tandem auſpiciis aliquando erigendæ Emolumenta longe plura recenſet

Oreſtes.

PLacet, quod Diſſertationem Epiſtolicam de erigenda Monaſterii Academia à Laudatiſſimæ memoriæ Principe *Ferdinando* pridem fundata, & à Glorioſiſſimo Cæſare *Ferdinando* ſolenni diplomate confirmata, poſtremo quidem à Te exaratam Commercii noſtri Litterarii omnium primam eſſe velis. Non enim primæ Epiſtolæ Amœbææ aut excellentius aut utilius poterat reperiri argumentum, cujus commoda non in Civitatem duntaxat ſed univerſam quoque Patriam redundatura etſi ſufficienter oſtenderis, ea tamen ampliare & magis dilucidare viſum eſt.

Princeps fundator Urbem Monaſterienſem univerſali Palladis lycæo procul dubio commodiſſimam judicavit; nam & ipſe Imperator eandem ob

Digitized by Google

ſitûs & victûs commoda, civium erga ſtudioſos, & exteros humanitatem, ipſius Civitatis elegantiam & amplitudinem, frequentiam Cleri, & celebrem utriusque fori praxin ad hoc maximè idoneum & aptum fide dignorum teſtimonio ſe cognoviſſe perhibet. Poteſt ergo de urbe hac dici, quod de Patavio dixit Carolus Patinus:

Hæc urbs doctiloquis ſedes aptiſſima Muſis,
Magna loco, ſpacioſa foris, placidiſſima Cœli
Temperie.

ut non minus de illa veri ſint artificioſiſſimi hi verſus:

Patria plena bo	Foris intus Cive Colo
no,	no,
Prædita Patro	Præſulis illa Thro
Curia Perſo	Urbs civibus, arra Colo
nis,	nis,
Terra ſuis do	Horrea plena bo

Poſtquam D. Carolus M. veram fidem Weſtphaliæ intulit, etiam in urbe Monaſterienſi eandem ſtabilivit Clericorum Religio, ſervavit Doctrina, auxit incolarum avita pietas, ut nunc pro civitate haberi poſſit non minorum gentium, utut ringente exterorum invidia, qui variis Sarcaſmis Weſtphalos laceſſunt. Eſt Monaſterii, quod Hobbeſius de Cive c. X. §. 1. requirit: *In civitate*, inquit, *imperium rationis, Pax, Securitas, Divitiæ, Ornatus, Societas, Elegantia, Scientia, Benevolentia.* Hæc omnia in hac Metropoli ſedem habent. Quibus adde, quod etiam

Eſt muſis illuſtre ſolum, quoque milite fortis
Weſtphaliæ pugnacis ager, quoque ſtemmate multo
Nobilis, & multis Muſarum clarus alumnis.

P. Jaco-

P. Jacobus Balde S. J. l. IX. od. XXIV. per anagramma appellat *Tonamerſium*, *ubi Acheloidum & litterarum Graja Princeps mediam fluit inter urbem.* Non igitur inconvenienter ad hoc flumen Muſis erigetur palatium. Alpha quidem limoſas & turbidas vehit aquas, ſed quod ad illud conſtruetur Pallantæum, ſicuti & modernum jam Gymnaſium, undas ſcientiarum proferet limpidiſſimas. Ex quibus qui ſint emanaturi fructus, nunc liberali manu decerpemus.

Certe ad novum iſtum Weſtphaliæ Heliconem ceu utriusque ſapientiæ fontem catervatim ex toto advolabit orbe ſtudioſorum turba.

Alpham non tantum potans, Amaſisque fluenti
Accola, quique bibunt Haſam, queis Bercula potus,
Sed quoque qui ſucti ſunt Muſtea pocula Celtæ
Potare, & quos mittit Arar, rapidusque Garumna,
Velivolusque liger: properabit & ipſe Britannus,
Et qui Weſtphalicos, nunquam ſubiere penates
Pannonius, potorque Padi, Dacusque Gothusque,
Vandalus & Cimbri, nec non vicina Sicambrûm
Progenies, Friſiique, & qui circumdatur undis
Battavus.

Quantum autem lucri hic Exterorum affluxus tum ipſi urbi, tum univerſæ patriæ ſit allaturus, quis non videt? in Academia Hiſpaniæ Salamantica teſtantur Hiſtoriæ aliquando Studioſorum ſeptem millia uno eodemque tempore numerata fuiſſe. Taceo in Univerſitatibus Lovanienſi, Lugdunenſi, Pragenſi aliisque numeroſum Studioſorum confluxum. Certum eſt dum ad publica illa ſcientiarum Emporia tanta copia confluunt Palladii ſapientiæ

Mercatores, immenſam auri copiam iſtis locis inferri, & cives paſſim diteſcere. Ut jugis ac perennis divitiarum affluentium fons, & auri argentique felix ſcaturigo appellari poſſit ejusmodi Academia.

Dein non opus erit Civium filios in extraneis terris jura diſcere queruli fori, & inde laureas pretioſe emptas referre, in Patria enim Academia, ceu pleno gloriæ theatro emicare poterunt, & boni obtinere:

Nomina laudum
Principibus conceſſa viris, & debita claris
Ingeniis, quæ ſunt nimirum Pilea priſcum
Digna decus, digitisque auratum inſigne coruſcans.
Et celſæ ſedis facies, tactumque volumen,
Debita naſcenti quæ donant jura Magiſtro.

Nam & ipſe Imperator in Diplomate ſancivit, ut hæc Doctorum inſignia in inauguratione promeritis juxta morem in aliis Academiis inveteratum conferantur. Et ſic quoque multa pecunia, qua ſæpius illa etiam indigni coëmunt, in Patria reſtabit. Non gaudebit Weſtphalico ſudore peregrinus Hoſpes, è contra lætabuntur parentes liberos ſuos in ſinu hujus litterarum nutricis ea, quæ alias foris haurire poſſe Studiorum & Doctrinarum decora & ornamenta.

Neque foret periculum, ut tanta Juriſtarum quorum hodie plures quam paleicidas invenias, copia Patriam inquietaret, qui enim vel uno alterove anno in tam vaſtiſſimo juris campo alicujus forte etiam juvenculi in inſtitutis hauſit informationem, jam in Univerſitate quadam lucripita obtento Doctoris vel Licentiati gradu rabula fit forenſis, & interim aliquando favore recommendationis

dationis

Digitized by Google

dationis apud Principem juſtitiæ diribitor in tot hominum perniciem & ruinam; Quod quoque in Univerſitate Patria neminem niſi probe in Jure verſatum promovente præcaveri poſſet. Nemo namque niſi talis in eadem promotus ad Tribunal admitti deberet. Verùm eheu! quot hodie ſuperbiunt auratis phaleris Mydæ, exporrigentes aures pyramidales. Auro enim doctoralia inſignia ſibi acquiſiverunt in Univerſitate ejuſmodi ex Arcadia animalibus non dura.

Inprimis egregiis tum magis gaudebit Weſtphalia Medicis, eſt enim non rarus inter illos in Academia inſtar aſparagorum Elixatus Doctor, qui licentiam accepit, an docendi? an curandi? an etiam officioſè necandi? nomine eluit Doctor an etiam doctrina? non hanc ſed ejus burſam paſſive exaramarunt graduum inſtitores, ut tales non abſurde appellat *Langius*. Verum iſta viderint indigna iſta Cathedrarum bullæ, quæ in artium omnium nobiliſſima Medicina tales ſpumas ſuſcitant. *Helmontius* ſerio iſta ponderans indeque excandeſcens Cruentum Moloch Cathedris ſæpe præſidere clamat. Hoc igitur in Academia Patria non tam facile periculum habet, in qua nemo, niſi bene in rerum Phyſicarum cauſis & receſſibus & humani corporis morbis cognoſcendis & curandis expertus Doctoris titulo ornabitur.

Ipſa nobilium Heroum ſoboles, præclaris artibus, quæ nobilitatem decent & ornant, ſine tantis ſumptibus, & quod majus, ſine corruptione morum in Patria informari poterit, & multa imperialium ſervari millia, alias in Patriam nunquam reditura quò quantum lucri illi accedat

nemo non agnoſcit. Si quem delectet nobilem Martis galea. Domi poterit in arte equitatoria, gladiatoria ac ſaltatoria, exercere generoſos animi conatus, & niſi quem juverit curioſitatis tantum cauſa peregrino ſolo magis paſcere oculos, & evacuare loculos, quam impinguare mentem, virtutum & ſcientiarum omnium documenta domi haurire. Licet per huc illuſtris juventutis peregrinationes cum Ephoris, notitiam geographicam, hiſtoricam & politicam præcognitam habentibus ſummè interdum frugiferas penitus excluſas nolim.

Porro adhuc aliæ ex Patriæ Academiæ inſtitutione orientur utilitates. Vix intra decennium unus eſt, imò ne tota quidem vita (ſive juſtiniani ſpectes aſſectas, ſive Hippocratis Sectatores) qui ſe orbi ſiſtat litterato ſcripti authorem. Hinc illa in politicis, hiſtoricis, medicis ſcriptorum apud Weſtphalos parcitas. Hi potius Harpacratici, quam Hippocratici, & iſti ut ore facundi, ſic calamo, niſi lucrifero, taciturni. *Quam multos* exclamat *Boëtius* de Conſol. Phil. L. II. Proſ. VII. *Clariſſimos ſuis temporibus viros ingens delevit oblivia!* cum tamen pulcrum ſit, ut ait Plinius non pati occidere, quibus æternitas debetur. Quot non virorum fortium ex Weſtphalia, qui contra hoſtem & generoſe ſteterunt, & ceciderunt, inclyta nomina letho deperdita jacent? quantus Eruditorum numerus excidit poſteritatis memoria, quia nullæ illos litteræ conſignarunt? quod admirabilis ingenii artifices in Weſtphalia defuncti, quorum hodie apud exteros nulla notitia? Quod hodie vivunt, de quibus etiamnum altum eſt ſilentium, & de quibus forte tota ſilebit poſteritas. Unde

vero

Digitized by Google

vero hoc? Deſunt inter Weſtphaliæ viros doctos & inter ſe, & cum aliis exteris commercia litteraria, deſunt Ephemeridum ſcriptores, deſunt hactenus, qui Patriæ monumenta poſteris transſcripſerunt. In diem vivunt & in paucos vitæ annos, non in nominis perpetuitatem. Quis in Weſtphalia pictor, qui cum Zeuxe pingat æternitati? quotus potius qui ſcribat. Fuere plures juris oracula, quorum nemo in Patria, nedum extra illam amplius facit mentionem. Fuere plures artis Hippocraticæ tripodes, & nemo illorum meminit. Sunt omnes hi *Melitide* infeliciores, nam hic tametſi unus ex fatuis, *Homeri* carmine nobilitatus eſt. Eadem ſors manebit & modernos Juſtiniani & Hippocratis filios niſi calamus eorum nomina & laudabiliter geſta à letho vindicaverit. Sunt hi ſimiles ſtellis extraordinariis, quæ ubi lucere deſierint & diſparuerint, nemo novit quo devenerint. Nulla de iis fit merito, non plus quam de anni præteriti muſcis aut cicadis.

Ubi autem in Metropoli erecta ſurget Academia, excitabuntur plures ex domeſtico veterno ad conſcribendos Patrios annales:

Et tum docta novis ſudabunt præla Miniſtris,
Fervebunt Doctorum operæ, ſacrique labores.
Quæque legant ſeri muſarum arcana Nepotes.
Et Res Weſtphalicæ longum cudentur in ævum
Tunc tempus veniet, quo debita præmia doctis
Frontibus & ſcriptis honor, & laus priſca redibunt.
Et Patriæ novus usque lepos, nova gratia linguæ accedet.

Nempe

Nempe notum eſt, quantum idioma Patrium ſeu lingua Weſtphalorum vernacula externæ Germaniæ genti ſit deridiculo, ſicuti & non nemo, ipſe licet natus Weſtphalus (quem tamen ad ſupremam quæ quidem in mundo contingere poteſt, ſtoliditatis abyſſum dejecit illa, quæ inflat, ſcientia) de illa quondam ſic jocatus eſt:

Aſt hæc majorem meruit res una ſtuporem,
Sunt alibi flaures, campique fragrandis odaures,
Hic quoque formauſæ carpuntur pollice rauſæ &c.

Nullum autem eſt dubium, quin affluentibus ex Germania ſuperiori Studioſis idiomati Weſtphalico major elegantia & nitor ſit acceſſurus. Quamvis reſpectu illius antiquiſſimæ Weſtphalorum linguæ moderna in urbibus ſit ſatis polita. Si Witekindus aut Carolus M. hodie rediret in mundum, & antiqua Saxonum lingua loqueretur, nemo illum, nec nos ille intelligeret. unde ſcitiſſime *Barlæus*:

Non ſic priorum lingua Saxonum ferox
De ſe locutum meminit, ipſe quam ſuis
Leges Cheruſcis Ductor Arminius daret.
Non victor iſto Wiſtphali gentem ſoli
Affatus ore eſt, quum cruentis Cœdibus
Aquilas Quirini terra ſtraviſſet ferox
Poſitumque longe Roma ſentiret malum &c.

Verum de idiomate Weſtphalico alio tempore dabitur occaſio ad te curioſa perſcribendi, redeo itaque ad Academiam. De qua quæri poteſt, quo imprimis prædicato eſſet inſignienda. Singulari cognomento hodie in Italia celebres ſunt Academiæ. Ita Romæ Humoriſtarum & Phantaſticorum,

ſenis

ſenis Inthronatorum , Florentiæ Furfurariorum, Ferrariæ intrepidorum Bononiæ Noctis , aliæ aliis cognomentis & Symbolis famoſæ ſunt. Quo ergo prædicato putas cognominandam Univerſitatem Monaſterienſem ? Dicam. Neapoli in magna Exſpectatione fuit Academia quædam Phyſicis & Mathematicis excolendis conſecrata, cum cognomento Lynceorum, ſed cum ſuo parente Friderico Cæſio Duce mox interiit. Obtinere igitur fas eſt hoc nomen Academiam Mimigardefordicam, utut ringentibus Malevolis, qui Weſtphalos noviter natos per novem dies cæcos jacere, & poſtmodum ita lynces & perſpicaces eſſe, ut per aſſerem quercinum , ſi inſit foramen , tranſpicere valeant , ridiculo ſarcaſmo convitiantur.

Verum eſt Weſtphalos non perſpicere per aſſerem, niſi perforatam , id nec Italus poteſt, nec Gallus, nec Hollandus, cernunt tamen acutiſſimè, non urſæ ſunt, qua cœcos pariunt Catulos. Stabiliatur ad Alpham fundata Academia, ipſa erit oculorum in aliis terris cœcutientium Medicatrix, & ab iis ignorantiæ Cataractam removebit. Optime autem judicas, quod appellari debeat à Fundatore & Confirmatore *Ferdinandea*, adjecto, ſi moderni Principis regimini vota & fata faveant , *Clementina*. Cujus quidem Principis ceu Munifici Fundatoris gloria, neque Glorioſiſſimi Ferdinandi Imperatoris auguſto diplomate eandem confirmantis memoria non ſatis pro dignitate hodie excolitur, ubi vera & quoties in hac aliquando erecta cuicunque digno debiti diſpenſabuntur honores , & Doctorales conferentur laureæ , utrique & Fundatori & Confirmatori , nec non Inſtauratori ſacra muſa

tanti

tanti beneficii memor debitas gratiarum actiones perſolvet, glorioſa eorum nomina meritis elogiis extollet & ad Mnemoſynes aram grati animi anathemata ſuſpendet. Vos interim Alpheæ Najades redimite ſertis Patriam Palladem, date Coronam Civicam Mimigardiæ Quirites, date gemmeam Comites & Barones, date auream Nobiles, date lauream milites, & ex immortali honoris obeliſco appendite Tabulam Smaragdinam, & in ea Monumenti loco inſculptam inſcriptionem Modernæ Weſtphaliæ doctæ & erecta Academia doctioris futuræ teſtem:

Abeſto Luſca Invidia,
Quæ limis oculis ſpectas Weſtphaliæ lucem,
Quæ jam ab aliquot ſeculis in ea reſplenduit.
Erexit pridem in ejus metropoli
Ariſtoteles ſuum Peripaton,
Suum Apollo Parnaſſum,
Sua Roſtra Tullius.
Suum Sapientia Divina delubrum.

Eriget & ſuo tempore hac fortuna dignus Princeps, (utinam Modernus Sereniſſimus Elector, quid enim tali ſub Principe ſperare non liceat)

Auguſtum Palladi Athenæum,
Humanarum & Divinarum artium ſedem
Omnium Diſciplinarum quaſi emporium
Verbo Academiam.
Ex tua ceu Equo Trajano
Ad Eccleſiæ ſplendorem Summi Antiſtites.
Ad Reipublicæ fulcrum & ornatum
Viri præſtantiſſimi
Imperatorum & Principum Miniſtri
Intimi Conſiliarii, belli Duces, Archiſtrategi,

Digitized by Google

In Jure Bartholi, in Medicina Machaones
egredientur.
In erecto namque ad Alpham Lycæo Ferdinandeo
Scientiarum olores ova excubabunt,
Ex quibus omnigenæ Doctrinæ volucres enaſcentur,
Non Philoſophi Sceptici ſed rationales
Non Theologi Enthuſiaſtæ,
Sed fidi ſalutis æternæ aſſertores,
Non jurisperiti Litium ſatores,
Sed juſtitiæ vindices,
Non Medici de corio peregrino ludentes,
Sed experti vitæ ſervatores.
O felicem igitur Patriam!
O felicem Patriæ Principem!
Cujus regimini eſt reſervata fortuna,
Ut à *Ferdinandis* fundata & confirmata,
Sub eo tandem erecta & inſtaurata,
Surgat & floreat Academia Mimigardica.

Hæc ſunt Suaviſſime *Pylades*, quæ Tuæ Epiſtolæ Laconice reſpondere volui. Potuiſſem luculentius ex Academia Patria reſultantes fructus recenſere, ſed timui Epiſtolicæ Diſſertationes limites excedere, Philoſophus *Seneca* Epiſt. ad Lucil. XVI. ſaltem breviſſime hiſce eos complectitur. Litteræ animum formant & fabricant, vitam diſponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonſtrant, ſedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuantium dirigunt curſum. Academiæ fructum quidam hoc ſolo comprehendit Epigrammate:

Hoc Civitatis ſtat ſalus fundamine,
Ex hoc adulta Seminario Virûm
Surgit propago, qui ſcientia graves
Olim capeſſant publicæ clavum rei.

Conce-

Concedat Tibi Deus vitam vireſque, ut aliquando in Monumento Civitati Monaſterienſi ſpecialiter ſacro in ampliores hujus Academiæ, tum temporis, ut ſperamus jam inſtauratæ laudes excurrendi materiam, quam tibi in ſingula Diplomatis Cæſarei membra paraphraſis ampliſſimam dabit, nanciſcaris, & ſceptri tam rariformis atque ſigilli Academici promiſſo Ectypo lectoris exſpectationi ſatisfacias. Vale.

P. S. Inſcriptionem in ſceptrum Academicum à me hac Epiſtolà finità compoſitam tibi quoque communicare lubet.

Æternæ Matronarum Incomparabilium Memoriæ
S.
Quisquis es curioſus, ſiſte pedem,
Et ſpecta pedum Academicum,
Seu ſceptrum argenti pondere carum,
Sed artificioſa elaboratione magis rarum.
Longè autem rariſſimum Gynæcei donum.
Quo ipſa Sophia non potuiſſet dare elegantius.
Quod in Univerſitatis felix auſpicium.
Ejus accelerandæ inſtitutionis ſtudio,
Muſarum inſtigante Genio,
Par Schölverianum
Mater & filia unanimes,
Utraque Deo & muſis ſingulariter devota,
Utraque ſexûs fœminei incomparabile Decus,
Utraque ſapientiæ & virtutum laude præſtantiſſima
Academiæ Monaſt. ſingulari ornamento
Sacrum fecit
Promptâ, ultronea & inaudita liberalitate.
Mirare ſexus ingenioſi prudentiam,
Qui ut acciperet æviternum nominis ſplendorem,
Illum

Digitized by Google

Illum ipſa Academiæ addiderunt.
Donantes ſceptrum.
Principatûs, Dominationis, poteſtatis,
Dignitatis, gloriæ, vigoris, honorificentiæ
Symbolum. (*)
O rarum Munificentiæ muliebris exemplum!
O illuſtre geminæ viraginis monumentum!
Utraque ad honoris templum invia perrexit viâ,
In quo utriusque nomen decusque ita vigebit,
Ut illud nulla temporum ſit deletura vetuſtas.
Addo votum:
Ut iisdem felicibus auſpiciis,
Quibus fundata & confirmata eſt Academia,
Brevi inſtauretur & ſtabiliatur.

Hæc litteris tuis in gloriam fundandæ aliquando Academiæ Monaſterienſis pro reſponſo adjicere volui. Vale. Dabam Vredenæ VII. idus Decembr. MDCCXLVII.

Epiſtola Amœbæa II.

Antiquitatis Monumenta diruta.

Antiquitatis Monumenta apud Weſtphalos nonnunquam dirui ac devaſtari apud *Pyladem* conqueritur *Oreſtes*.

Wieckinghovium.

EO ſunt apud varias gentes in honore antiquitatis monumenta, ut illa haudquaquam devaſtari patiantur. Nemo apud Danos & Holſatos diruit Scopetiſmos, nemo apud Anglos Decimanorum lapidum moles, quæ, ni fallor, *Stonehenus*, appellantur.

(*) Catalog. Glor. M. Conſid. 23. p. m. 313.

lantur. Epitaphia, Cenotaphia, Inſcriptiones virorum præclarorum ſumma cura, in Templis, Curiis, Palatiis cuſtodiuntur. Miratus igitur ſum maxime, quando ex tuis ad me nuper datis litteris intellexi numeroſos illos in confiniis Heidenſium ingentium Saxorum à Gentilibus ante mille pluresque annos ſibi mutuo impoſitorum acervos ad uſum ædificii alibi conſtruendi devaſtatos ac remotos eſſe. Curioſum hoc erat hac in patria antiquitatis cimmelion, cujus etiam ectypon in *Sepulcreto Weſtphalico-Gentili* tuo exterorum & poſterorum oculis ſubjeciſti. Hoc ipſum eſt, ſub cujus aliquando Silicibus funereas eruiſti urnas cineribus ex combuſ. Gentilium corporibus repletas, quas tuum adhuc ſervat Muſeum: Scio te aliquando ſumme doluiſſe illud in Eccleſiæ veſtræ Collegiatæ putum antiquiſſimum monumentum, quod veterem Canonicorum habitum monſtrabat, imprudenter calce obductum fuiſſe, de quo, cum id pereleganter per artificioſum chalcographum exſculpi feceris, poſteritatem à te informari operæ pretio dignum erit. Memini Te pariter doluiſſe, antiquam in Templi Borckenſis pariete inſcriptionem per calcem dealbatione fuiſſe deletam, quam tamen prius à te excerptam priori adjungere forte non inconveniens foret, tunc enim ſcriptis commendantur ea, quæ demolitur temporum invidioſa vetuſtas. Quis noviſſet Templi Salomonei ſtructuram, niſi chartis fuiſſet commiſſa? quis, quæ vocant ſeptem miracula, Coloſſos, Pyramides, Obeliſcos & Mauſolæa, ſibi vel per alienas ſpecies proponere potuiſſet, niſi illorum delineationes charta ſervaſſet. Utinam omnia monumenta devaſtata ſic in imagine chartis traderentur, illi

namque

Digitized by Google

namque commiſſa omni ære ſunt perenniora. Damnoſa autem quid non imminuit dies, variusque labor mutabilis ævi? adeòque magis æſtimanda ſunt monumenta tua Monaſterienſia, eò quod plurima vetuſtatis veluti carie corroſa & conſumpta, de quibus modernum Seculum vix quicquam novit, publicè exponit, & ex tenebris in lucem producit, ſic enim innovantur obſoleta, vetuſtis nova lux redditur, & antiquitati debitus honor reſtituitur. Non enim ea fuit patrum noſtrorum ſimplicitas, ut vulgo creditur, quod plurimis exemplis demonſtrari poſſet.

Certe degeneres patriæ filii, cenſores critici neſciunt, quantum illis opera tua præſtiterit beneficium: ſunt in patria pueri & informationem de iis, quæ ante illorum nativitatem acta ſunt, refugiunt. Sed ſolatium tibi ſit: Exterorum & poſteritatis aliquando aliud fore Judicium. Exemplo tibi ſit Celeberrimus *Alpenus* Vitæ *Chriſtophori Bernardi* exaſciatiſſimus ſcriptor. Libri ejus impreſſa ſunt tria millia exemplarium, ut ex ejusdem Amanuenſi Canonico quondam Vredenſi *D. Harckingio* me intellexiſſe recordor, & ad minimum ejus mille exemplaria facta ſunt toga piperis in tabernis mercatoriis, nunc verò quanto deſiderio iſta quæruntur? qualicunque etiam pretio comparantur. Idem factum monumenta tua manebit. Poſt quinquaginta annos à morte tua, ipſa temporum vetuſtas illis pretium ponet. Tum primum inter celebriores patriæ ſcriptores, quos virorum in Weſtphalia eruditione celebrium Elenchus in *Mimigardia* tua *Docta* recenſet, collocaberis.

Verum dubito, an tibi in ſtadio Hiſtoriæ patriæ

Digitized by Google

ſat graviter decurrenti ulteriores liceat addere ſtimulos ad deproperandas cœteras, quas habes ſub incude, Monumentorum Decurias. Qua Medicus tuæ valetudinis amantiſſimus neſcio, an non conſulere debeam, ne ſub iſto ſenectutis tuæ languore, tantum non morboſo, vires tuas vix tanto oneri ſufficientes ulterius exhaurias & conſumas, tantumque illis excudendis pretium impendas; cum ex *Decuria Prima* tuis expenſis impreſſa tam parum lucri (ſi æternam ex iis nominis tui gloriam excipias) feceris. Quod ſi vero aut adverſa tua valetudo, aut, quod Deus avertat, mors ipſa ab elaboratione reliquarum Decuriarum te impediat, aut penitus abſtrahat, quanta non erunt apud poſteros, genuinos patriæ natos, deſideria, quæ vota & exoptationes, ut illa quoque te vivente, ac curante in lucem prodiiſſent? Non eſt enim bonum cognitum, niſi quando amiſſum, tum primum Primæ Decuriæ pretium accreſcet, unde ſuaſero, non ita prodigum te eſſe exemplarium distractione, ut vilibus eadem libellis commutes apud lucripetas bibliopolas, ſed ad minimam Centuriam unam hæredibus tuis relinquas, quæ te in cineribus jacentem magis quam nunc viventem honorabunt.

Præ omnibus verò ſtude, ad quod duntaxat Epiſtola hæc collimat, unum alterumve ſuperius laudatum antiquitatis monumentum ab interitu vindicare, qua occaſione quid de illo in Eccleſia veſtra collegiata reſiduo Monumento, ſive WALBERTI Comitis Cenotaphio ſentias, publico communicare non intermitte. Vale. Dabam Vredenæ III. Kalend. Jun. MDCCXLVIII.

Epiſtola

Digitized by Google

Epiſtola Reſponſoria II.

Oreſtis querelas de Monumentis apud Weſtphalos dirutis ac devaſtatis non tantum juſtas decernit, ſed & hujus moris inſolentiam deteſtatur _Pylades_.

QUereris dirui, vaſtari, disjici, expungi antiquiſſima majorum cura & providentia ad hanc ætatem noſtram ſervata Patriæ Monumenta. Et ſummo jure: ſane monumentum, ſeu quodcunque opus, ædificium (idem dicendum, de Picturis, Scripturis, Statuis, Inſcriptionibus) transmittendæ ad poſteros memoriæ cauſæ factum dicitur in *L. 2. §. 6. ff. de religioſ.* & *ſumpt. fun.* MONUMENTUM EST, QUOD SERVANDÆ MEMORIÆ GRATIA EXISTIT. Veluti monimentum poſteritati poſitum, quare non exſtirpanda ſunt, ſed reficienda, conſervanda, & amplificanda. Ea Ethnicorum erat pietas, ut *Germanicus*, teſte Tacito *Annal. II. 7. 3.* cum *Tumulum Varianis Legionibus ſtructum & veterem Aram Druſo ſitam disjectam inveniſſet, reſtituit Aram.* Si otii noſtri eſſet, aut propoſiti totam perreptare Weſtphaliam, quibus Monumenta ſua fatis per bina Secula affligi ſpectavit, nullus dicendi ſcribendique foret finis. Sane ex omnibus vel unicum adduxiſſe horror eſt, quando Cattorum impietas Eresbergenſe Templum auſpiciis *Caroli* M. a *Leone* III. Pont. Max. cum Padibornæ apud Carolum degeret, conſecratum ſubjecto pulvere nitrato dejecit, *ne quod iſtic* (ita Celſ. Monum. Paderb. conditor *p. m. III.*) *veſtigium vetuſtatis extaret, ubi perpetuum religionis Monumentum poſcebat Chriſtiana veneratio.* Merito notans, ſubin à Chriſtianis

fieri, quæ à Barbaris facta non ſunt, facinusque eo fœdius eſſe in Chriſtianis, quo magis abhorruit barbaries. Nos intra Diœceſeos Monaſterienſis fines contenti, ſi omnium Monumentorum detecturi eſſemus ſtragem, certe juſti voluminis metam excedere cogeret neceſſitas. Hinc laboris mei erit, quorum in Epiſtola ad me data meminiſti, & quorum notitia pervenit, tibi hac Reſponſoria refricare memoriam.

Noviſſimum eorum teſtem adduxiſti Monumentum *Heidenſe* (*Düvels - Steene* vulgo dictum) ab inquilinis Ethnicis annis ab hinc amplius mille erectum, ac per hos dies tum pulvere nitrato tum malleorum violentia deſtructum, quemadmodum non tantum famæ, ſed & autoptarum fide relatum habeo. Mirandi operis ſcopelis morumque compagem non repeto, ceu fuſe in *Sepulcreto* meo *Weſtphalico-Mimigardico-Gentili Sect. II. cap. I.* §. 3. *ſqq.* adductam.

Ut verum fatear, dolendum Coloſſæam hanc atque incomparabilem Barbarorum ſtructuram deſtruendo noſtræ omniumque poſterorum memoriæ ereptam eſſe. Unum eſt, quod excuſationis vicem ſubeat, ceſſiſſe illud in uſum pium. Quo vero in Icone perennet monumenti dignitas, adjungo illam denuo æri inciſam. Mireris profecto, ſi modernus quævis priſca innovandi & evertendi pruritus atque domitor omnium totius Diœceſeos famigeratiſſimo *Sar* - ſive *Surboldi* Regis apud Humelingos magnitudinis parcat ſepulchro, ut ſub ejus lapidibus integer grex ovium ab imbribus tutus quieſcat.

Altera Monumenti clades eſt, quam ex S. *Felicitatis* Baſilica Fredenſi adducis, de quo paucis

tecum

ſecum agere vel eo minus detrecto, quo magis olim nonnulli, neſcio qua argumentorum apparentia perſuadebantur, tanti illud pretii non fuiſſe, quanti viri antiquitatum gnari idem mecum contendebant.

Ita nempe comparati ſumus à naturâ, ut quod hic maximo pretio excipiendum ſuadet, alter inter minutias ableget, immo verò, quod *vetuſtatis Monumentum* appellandum, Alter crepundiis adſcribere non hæſitet, ceu à ſimplici ſaltem pictorculo more antiquo parieti illitum. Rubenſii, Angelonii, Durenii fateor, juniores ſunt, quam penicillis ſuis commendare potuiſſent hanc picturam, Ipſa quidem ævi ſimplicitas ineptique operis barbaries omnem affectati nitoris ſuperat fucum, vices tamen rependit viro docto & Hiſtoriarum amanti ſenſatioris oblectamenti: *Omnis antiquitas*, Tryſchmediano teſte, *honoranda, utut parva, ſordida & abjecta videatur aliis.* De his antiquitatis Gemmulis dicam, quod de libris Eraſmus: *Sicut in unguentis & vinis, ita & illis pretium addit antiquitas.* Satis erat præſentem ex iſthoc Monumento nobis ſiſti continuatam à tot ſeculis Collegii Fredenſis faciem, nullo conſilio, citra hos teſtes, recuperandam. Eſto, quod forte quis contendat Canonicarum potius umbras & larvas, quam ad vivum hoc ſchemate earum repræſentari imagines, an eapropter poſt ſera tot ſecula expungendum erat à rerum male temporumque peritis? Et rogo, quis Pictorum imagines Canonicis iſtis ſimiles mentiri increpabit, quarum, nullam ullibi aut uſpiam conſpexit? Num revera vivas Illuſtrium ſanctimonialium effigies retulerit pictura, operæ pretium haud eſt.

eſt, ut quiſpiam reſpondeat. Et quid ſi vivas retuliſſe ſtatuminem, an proin benignius habitas reberis, aut excidium iſtud minime vel paſſas vel commeritas? Prudens horum arbiter ſacrarum Virginum genas, ſive lacte perfuſæ ſint, ſive roſis tinctæ, aut contractæ rugis, non attendit. Strabæ cæcæve fuerint, an cœlites, cujus poſterorum interſit? Alio plane reſpectu antiquitatis iſtæ reliquiæ eruditorum in ſe convertunt oculos. Inprimis obſervandus hic eſt Senus Canonicarum numerus, quarum plures tamen hoc collegio tunc extitiſſe comperio, haſce vero pleraſque primariis Eccleſiæ officiis & dignitatibus præ ceteris eminuiſſe in aprico eſt, omnes certe, ut ex appoſitis ad cujusque pedes inſignibus, ut ectypon æri inciſum hic adjectum oſtendit, apparebat, illuſtriori Comitum proſapia ortas. Primam quidem dextras occupantem eamque Abbatiſſam ex veteri *Beich-* ſive *Büchlingiorum* gente proſatam commonſtrat Trabs areæ Traverſa incumbens. Secundam Præpoſitam de *Diepholtz*, natam pariter ex inſignibus colligo. Ubi tamen in ſcuto transverſim ſecto ſuperior pars Ceruleo tincta, in quo Leo argenteus paſſim ſaltare conſpicitur, hic nihil repræſentat; Tertiam Decanam è Comitibus de *Bentheim* oriundam nummi Byzantini (Priſca Comitum arma) evincunt. Quarta eſt Comes de *Hoja*, ut ex geminis nigris Urſi pedibus liquet averſo ſitu erectis. Quinto loco *Pincernam* de *Erpach* ex veteri Erpachiorum digmate agnoſco, nempe tres ſtellulæ in areola transverſe ſecta, cujus ſuperior pars cocco tincta duas argenteas, inferior vero argentea unicam rubeam præfert. Denique Sextam iterum *Hojen-*

Digitized by Google

Hojenſem prodit idem, quod in quarta vidimus, familiæ ſcutum, ejusdem Eccleſiæ Canonicus. Habitum porro contemplare omnibus communem, nec minus primævo Canonicarum ſanctimonialium Inſtituto apprime convenientem. Talari Linteo albo amictæ ſunt omnes, pallio nigro ſuper induto. Huic velum album influit, caput circumquaque involvens, atque in plures plicas ruditer tortum. Singulæ in genua ante crucifixum procumbentes manus extendunt ad orandum compoſitas. Confer inprimis, ſi voles, vetus hoc picturæ Emblema cum antiquitatis & tantum non monſtroſis Chronologorum vocibus, quibus *Secularium* Eccleſiarum, ut hodie vocant, Canonicas nobis paſſim adumbrant, quo explicatiora reddantur *Conventuum*, *Clauſtrorum*, *Monaſteriorum Secularium*, tum & *Sanctimonialium Virginum*, *Canonicarum Regularium*, *Ancillarum Chriſti*, *Sororum Religioſarum*, *puellarum Deo famulantium* & id genus axiomatum tormenta, de quibus alibi me aliquando videbis prolixiorem. Cetera non memoro, utpote ex ipſo Schemáte, quod ab interitu Vindicaturus ex fornice ante annos aliquot excerptum in ære tibi modo exhibui, dulcius relegenda.

Viden, Amice, altioris Receſſus eſſe ſimplicis pictorculi muro illitum Schema, de quibus picturis hoc Eruditorum adſcribo judicium; *Vita eſt*, ajunt, *memoriæ*, Lux *vitæ*, *teſtis temporum*, *Nuncia Virtutis*, *mortuorum a morte reſtitutio*, *famæ gloriæque immortalitas*, *quæ facit*, *ut abſentes præſto ſint & variis diſſitisque locis uno tempore repræſententur*.

Ex nonnullorum ſententia operam perdidiſſe cenſendi ſunt, qui bracteatos Abbatum & Abbatiſſarum denarios paſſim ridiculis & prodigioſis utriusque ſexus hominum icunculis deformes tanta ſolicitudine diſcutiunt, quorum illi ſint, indefeſſo labore perruminant, abruptas perigraphes transpoſitis, quam poſſunt optime in verba apicibus, explanant, ac tabulis æneis expreſſos eruditorum examini ſubmittunt.

A multis, credo, ſi non quamplurimis laudantur potius metallifabri, qui antiquiſſima, ex ære, auro argentoque incomparabilis etſi pretii Numismata, Deaſtrorum ſimulacra & id commatis omnis æris antiquitates citra diſcrimen in acus & fibulas conflare nefas non arbitrantur. Quod fatum quanto Flaviſſarum veterum notitiæque Hiſtoricæ ferendum ſit detrimento, nemo unquam brutis iſtis hominibus ſat digne inculcabit. Certe tanti mihi hæc viſa ſunt, ut non inconveniens judicarem, ſi Territorium Proceres Edicto publico hanc ſtragem temperarent, datoque præmio præcaverent Subditorum in has gazas tyrannidem, curas eorundem e converſo excitarent atque attentionem.

Jam mihi non tempero, Amiciſſime *Oreſtes*, Leonino, etſi hiulco verſu perennem hujus naufragii poſteris imprimere memoriam;

Quod dederat Templo Monumentum candor avorum,
Poſteritas delet ceu nunc male rata decorum.
In docti mores gaudent hos perdere flores
Pro Fratreis ores, qui mactant calce ſorores.
Virtuti ſtuduiſſe putat, qui talia mutat.
An tulit hic punctum? vili dic munere functum.

Non

Digitized by Google

Non nemo quidem diminuendo Monumenti noſtri pretio Threnos hoſce Leoninos in contrarium ſenſum hoc modo detorſit;

Quam dederat templo picturam ſimplicis ævi
Inſignis ruditas, merito hanc male rata decoram
Poſteritas delet. Mage docti cernere mores
Hos renuunt flores: ſic mactant calce ſorores.
At decus hunc feciſſe puta, qui talia mutat.
Quid ſpectare juvat tales in fornice vultus,
In quibus haud punctum neque grato eſt utile junctum?
Qui tulit hoc ſignum, laude iſtum judico dignum.

Verum tamen quam parum aut nihil Poëtaster ille hiſce proficiat, quisque emunctæ naris, quam apertiſſime dignoſcit, unde reliquendus eſt ceu retorſione indignus, quam alias promeruiſſet ſequentem:

Ars tibi, num laus ſit noſtros convertere verſus
In reprobum ſenſum, qui ratione caret.
Si dico, Deus eſt: Non eſt Deus, iſte reclamat,
Hoc agit, expungi, qui Monumenta probat.

Jam quaſi è ſpecula futurum proſpicio, unicum illud, rariſſimum tamen, quod in Eccleſia noſtra adhuc integrum atque illæſum ſuper eſt, rubeo atque ejusdem cum Walbertino coloris indolisque marmori inſculptum LIEMARI Bremenſium Archi-Epi. Monumentum eodem cum binis aliis fato olim iri mulctandum; quod quidem tanto majori futurum æſtimo Hiſtoriæ Patriæ atque Germaniæ diſpendio, quo operoſe magis LIEMARI ſepulchrum (ne dicam locum, quo extremum Vitæ tempus

tempus egerit, diemque clauſerit) abs annalium conſarcinatoribus in hodiernum diem, etſi incaſſum inveſtigatum eſt.

Detexi illud aliquando ex choro templi ad ſacellum D. *Michaelis*, quod in puppi eſt, deſcendens, oculos caſu in repagula, ac verba: GAUDIA PRÆCLARO POSCANT ÆTERNA LIEMARO iisdem inſculpta, conjiciens. De Archi-Epo: Bremenſi tunc ne hilum quidem ſubodoratus, data occaſione majori ſollicitudine ſingula perveſtigaturus ſcamnis, ceteriſque impedimentis ex utroque marmorei repaguli latere remotis totum lectum decerptumque Monumento FREDENÆ S. Decuriæ Monum. Monaſter. ſecundæ inſerendo deſtinatum pulpito deponebam. Verum mox ſingulis invicem, ac præcipue cum præcedentium temporum geſtis Diplomatiſque pro de collatis, quibus LIEMARO Archi-Epiſcopatu expulſo, *Eltenenſis* atque *Frethenenſis* Abbatiarum Collegiorumque reditus in vitæ ſuſtentationem abs HENRICO Imp. IV. eoque ſchiſmatico Romæ Aò MLXXXIII. reſpective & Wormatiæ Ao. MLXXXV. donati fuerant, non de alio, quam de Bremenſium LIEMARO à Sede Apoſtolica in Quedlinburgenſi Synodo una cum aliis Epiſcopis HENRICI partes tuentibus excommunicato accipienda eſſe vel eo apertius cognoſcebam, quod ſecuritatis cauſa intra Weſtphaliæ Limites, poſtquam captivitati anno MLXXXVIII. exemptus eſſet, quo porro a Martis ac Pontificum Romanorum fulmine tutior degeret, recedendum erat ceu HENRICI armis proximior, proin *Vredenæ* exilii vitæque metam præſtolatus tandem è vivis, nec impœnitens, quod ſperandum,

duin, exceſſerit. Nos maximi ponderis Monumentum hoc loco primitus in lucem producere ac ſimul ab omni, quem præſagi veremur, interitu vindicare non negligimus:

✠ GAVDIA. PRÆCLARO. POSCANT. ÆTERNA. LIEMARO.

OMNES. QVI. XPO. TEMPLO. FAMVLLENTVR. IN. ISTO.

✠ GRACIA. CELESTIS. PARCENS. P. CRIMINE. MESTIS.

CONSOLETVR. EVM. NVNC. ET. TVEATVR. IN. ÆVVM.

✠ DANS. VENIAM. PRESOT. O. DEVS. HIC. PROPITIVS. ESTO.

IN. TE. CREDENTES. DEVS. HIC. BENEDICITO. GENTES. ✠

Sed quo me adigit vetuſtatis recolendæ amor! Nunquam animum meum ſubitura ſpes eſt illos proprii ingenii edituros Monumenta, qui illa majorum citra neceſſitatem e medio tollere & unico quaſi ictu aut fidelia obliterare haud erubeſcunt.

Sed hem lubeat ex Baſilica noſtra ad Parochialem Georgianam, ejus Filiam properare, haud abſimile fatum paſſam. In hoc templo nitoris pariter cupiditas remotis Anno MDCCXXXV. feneſtris ab ipſa exſtructione ſuperſtitibus Monumentum vetuſtate raritateque illi Eccleſiæ noſtræ, minime ſecundum ſuſtulit. Æternum illud perierat, niſi per eruditas manus me curante ereptum mature decerptumque hoc loco æri inſcriptum perennaret.

naret. Etiam ſenarium quidem hic, ut in priori, ſpectas ſacrarum Domicellarum Eccleſiæ noſtræ numerum, ſed in habitu undique nigro, proin Ordini non Divi *Auguſtini*, ſed Divi *Benedicti* apprime reſpondente. Uter illorum tempore prior aut poſterior ſit, nondum ſatis liquet, nec quisquam facile dignoſcit, quid mutando ordini anſam dederit aut facultatem. *Henricus IV.* Imp. in diplomate *Liemaro* Bremenſium Archi-Epiſcopo, Anno MLXXXV. Wormatiæ data Abbatiam *Fredenam* adducit ad honorem Martyris *Felicitatis* Matris VII. Filior. conſtructam, ac CANONICIS MONIALIBUS Commiſſam, at nulla ordinis, cui addictæ fuerint, mentione adjecta. Quam gnaviter interea in ſimiles picturas attendendum ſit, non attinet iis ultro commendare, qui hiſtoriarum Monumenta lynceis Oculis perluſtrant.

Aperte in rem noſtram, quæ ex ſimili pictura animadvertit Chronico Epiſcopor. Mindenſ. in *Ludovico VIII.* Epiſcopo, *Hermannus de Leerbek*, qui circa exitum ſeculi XIV. & initium ſequentis vixit, ubi de Monaſterio Canonicarum Secularium in *Overrekercken* fuſe ediſſerit. Auctoris apud Leibnit. S. R. B. *Tom. 2. p.* 164. hæc ſunt verba: *Wernerus Epiſcopus Mindenſis XXV. cæpit ædificare prædictum Monaſterium. Et ſic poſt Monaſterii reſtaurationem tunc* ADHIBITUM LINEUM ET NIGRUM, *priori habitu* (mutaſſe illum ſupradixerat Leerbeccius) *pro præſenti ſupra modum diſſimili, ſeculari & laſcivo depoſito ſub profeſſione Beati Auguſtini & ordine Regularum adſtrictæ picturis & Scripturis dictæ Eccleſiæ teſtantibus dignoſcuntur.* Ut hæc tandem miſſa faciam. Præſtaret ſane ſeſe

commen-

commendare proprii ingenii Monumenta edendo, quam expungendis majorum pietate & providentia erectis extendere manus.

Quantus Patriæ Theſaurus foret Mimigardicorum Præſulum à ſexcentis aut ſaltem quadringentis annis ex picturis, Statuis & Epitaphiis Baſilicæ Paulinæ poſt ultimum ſeculi duodecimi excidium à *Theodorico* Iſenburgico ejusque Succeſſore EVERHARDO de DEEST reædificatæ ſpectare ac recognoſcere Imagines? At quantum damnum, quanta injuria easdem hodie dealbaturis proſtituendos committere? Concedamus Limatioribus ingeniis ponderandum, congiario an mulcta remunerandi forent ejusmodi Monumento maſtiges?

Geminarum Borckenſis Eccleſiæ pictarum antiquitatum jacturam non recolo, utpote in Decuria prima *Monumentor. Monaſterienſ. Append. II. Additament. pag.* 386. *ſq. & p.* 389. *ſq.* late adductam, quarum unam nempe Gemenſis Pröbſtingiani Dynaſtæ imaginem abluta leniter calce conſpiciendam reſtitui, expuncta tametſi ſubſcriptione, quam conſervari Eccleſiæ iſtius atque Capituli interfuiſſet. Alteram vero, quæ ingentem *Chriſtophori* ſtatuam cum Inſcriptione metrica referebat, fortuna ſervatam, etſi piperis thecæ concesſam, edidi; Longum foret omnium Antiquitatum per Patriam ſive caſu, ſive negligentia, ſive ſtudio deſtructarum tenere Elenchum. Cum primis optandum eſſet celeberrimum ac vetuſtate perquam venerandum Liesbornenſe Templum, Carolinæ Pietatis donum, Giganteas familiam Carolingorum ad vivum repræſentantes ſtatuas adhuc hodie

Digitized by Google

hodie Medii Ævi Flaviſſarum cultoribus demirandas conſpiciendasque exhiberet.

Etiam Cathedralis Divi *Pauli* Baſilica, ſi nobis veteres in fornice (*al Freſco*) depictas figuras Friſonum ſubditorum olim ſuorum pietatem liberalitatemque exſtruendæ novæ ædis moli *Theodorico* III. Iſenburgico XXVII. Monaſterienſi Epiſcopo turmatim collatam vivis coloribus reſplendentes hodieque viſendas permitteret, quam gratum & oculis & animo demirandumque toti Patriæ contingeret ſpectaculum? Sed hem Jo. Fabricius Bolandus Libro Carminum de Anabaptiſtarum Monaſterienſium motibus edito illud Verſibus adumbratum conſervavit:

Sed Friſii poſt hæc gens his contermina templi
Hujus ſtructuræ dona tulere ſua.
Hi pateris fulvum numerant ingentibus aurum,
Argentique manu pondera magna ferunt.
Lanigeræ pecudes & equi, cum bobus aguntur
Largaque compulſi copia lactis adeſt.
Hæc hodie ſpectes depicta coloribus alto
Cuncta loco, Gentis nomine murus habet.

Confer de his Monaſterienſium Annales.

Totas paginas implerem Monumenta veteris ævi inquilina repetens, à ſolis Anabaptiſtis contaminata æternumque deſtructa. Quantum dedecus vel unicam D. *Pauli* Cathedralem Eccleſiam tot Monumentis ſuis dire barbareque ſpoliatam?

Quantum dedecus ſtatuam Divæ *Walburgis* ejusdem Baſilicæ contutelaris è ſummo templi tecto dejectam? Magnifica HENRICI *Schwartzenburgici*, CONRADI *Rettbergici*, & ERICI *Saxoniæ*

Digitized by Google

Ducis Epiſcoporum Epitaphia; bina ſummi templi organa; arte rariſſima, elaboratum Horologium præter tot Divorum Statuas & Altaria funditus everſa!

Quantum damnum; ut ſexcenta ejus commatis præteream, Picturam; quæ effigiem B. *Mariæ* V. & S. *Joannis* Baptiſtæ ante Chorum ſummum referebat; opus Fratris *Franconis* Zutphanienſis Artisque Miraculum habitum rabie Anabaptiſtarum interiiſſet!

Coronidis loco adnectere lubeat bonorum lachrymis memorandum, ac ferè inauditum fatum, quando V. Nonarum Maji, die Cruci inventæ ſacra, hora circiter duodecima præſentis A. MDCCXLVIII. *Nottulena* Antiquitate juxta ac Nobilium Virginum Collegio (olim D. *Benedicti* Parthenone, cui D. *Ludgerus* ſororem ſuam *Hereburgam* Antiſtitam præfixerat; vicus, Coesfeldiam inter & Monaſterium urbem celeberrimus, totus atque integer, una cum Abbatia ceteriſque tam Domicellarum Collegii Eccleſiaſticorumque Curiis (unica Decani Paſtoris medias inter flammas intacta) præcipuè vero turri & magna Eccleſiæ parte in cineres actus concidit. Sanè eadem hæc Eccleſia, quam *Egbertus* XX. Monaſterienſis Epiſcopus Anno MCXXX. Nottulenæ conſecravit; proin ſexcentorum annorum ætatis opus.

Conſilium, quod de una alterave *Monumentorum Monaſterienſium Decuriæ Primæ* impreſſa Centuria poſteris ſervanda inſinuas, me tibi obſequentem habet. Utinam modo otium & vitæ vires ſint votorum Comites, qua reliquæ Decuriæ Typo quoque donatæ poſteris tranſcribantur. Sed his

colophonem dabit Paræmia per omnem vitæ curſum mihi familiariſſima, tibique non incognita.

Dominus providebit. Feſtino ad Epiſtolæ tuæ calcem. Exigis, de Monumento Eccleſiæ noſtræ S. *Felicitatis* Vredenſis *Walbertino* quid ſentiam, à me intelligere. Rem hercle, imponis levi humero non ferendam, nec laconio hujus reſponſorii Epilogo abſolvendam. Quare hujus poſtulati tui argumentum peculiari Epiſtola tractandum judico, quam per proximum otium adornatam ad te dandam promitto. Vale vivum Weſtphaliæ noſtræ Monumentum ab interitu quam diutiſſimè ſervandum. Ex *Wickinghovio* noſtro VI. Kal. Julii MDCCXLVIII.

Epiſtola Amœbæa III.

Ad Pyladem,

Cui Cenſuram modernorum Criticorum & Cenſorum offert *Oreſtes.*

Quod verum atque decens curo & rogo,
Et omnis in hoc ſum.
Horat. l. 1. Ep. 1. v. 11.

ABcede malevola criſis. *Julius Cenſorius* olim Cenſoris munere functus tandem defunctus ſe nunc hic ſiſtit, quem ceu Protector Medicus in theatro academico eviſcerabo, & quæ naturæ malignantis vitia in eo deprehendo, ad inſtructionem & cautelam Cenſorum annotabo.

Cenſor ſeu Criticus neceſſe eſt habeat exquiſitum guſtum, ut is nullo ſit ſapore peregrino atque ſordido vitiatus: Nares habeat emunctas, ut veritatis qualiscunque etiam Hiſtoriæ odorem poſſit perci-

percipere: Oculos lyncæos, ut errores & ſuos & alienos perſpicere valeat: Aures acutas, ut poſſit elogia & applauſus aliorum ſcriptis præſtitos perferre. Per iſtas guſtûs, odoratûs, viſûs & auditûs ſenſationes exacta perceptio & notitia & æquum de re qualibet judicium acquiritur.

Dantur autem Critici, & quidem hic ipſe, quem nunc ſub cultro anatomico habemus, qui palatum habent penitus corruptum, & quia Picrocholi ſunt, ne liba quidem ipſa, quæ tamen etiam viris Principibus maxime juvenibus ſapiunt perferre poſſunt, licet pretioſis confecturis & congelato citri ſucco, (ſuccoda vocant) ſint condita. Accedit quod hic Cenſor amaverit ardentes latius, ſeu vinum crematum, quod fabris guſtatoriis narcoſin inducit.

Nares eum emunctas habuiſſe vix perſuadeor, ut credam, invenio enim in naſo quisquilias & reliquias tabaci ſternutatorii, quod ita potens eſt organum adoratûs corrumpere, ut vix in hoc ſenſorio vis ulla percipiendi reſtiter.

Oculos fuiſſe lynceos, nemo mihi perſuaſerit. Nemo de elegantia & perfectione picturæ judicare poteſt, niſi quis lucis & umbra confinia & ſymboliſmos diſcernere noverit, ad quod viſus acumen requiritur. Hic autem uſus eſt: perſpiciliis, vel inæqualibus, quæ falſas reddunt imagines, vel objecta nimium quantum in magnitudine augentibus, & ex muſcis facientibus Elephantes in oculis quoque glaucoma deprehenditur, quod vitiat de rebus judicium.

De auditu notum eſt, quod Canes audientes ſonos muſicos ululent, ita & Critici audientes ſcriptorum elogia.

Luſtremus Encephalon, in quo perverſas noto objectorum ſignaturas & veſtigia. Turbidis autem animi motibus indulgentes eruditione abutuntur, & fœcunditatem ingenii odio inſervire cogunt: Hinc criſes erroneas & perverſas ſequi neceſſum eſt. Criticus autem arbitrarius aut Cenſor judicialis mentem præjudicio liberam, non gratiæ, aut benevolentiæ aucupem, non ideis imaginariis obnubilatam habere debet, quæ non videtur in hoc Cenſore extitiſſe. Ita de libris medicis non bene cenſet Juriſta, neque Medicus de ſcripturis Juriſconſultorum, ita nec Theologus aptus eſt Polyhiſtoris operam ſub Cenſuræ incudem revocare. Apud illum enim Religio ſibi in criticando nimiam ſumit authoritatem & indulgentiam. Ille non credit olim licitum fuiſſe apud antiquos Patres potum in memoriam & ad ſepulcra Sanctorum, nec quod liceat locis Deo Divisque ſacratis, aut in quibus eorum ſunt erecta imagines, antiqua relinquere idolorum nomina.

Non male igitur Hyper-Criticus Anglus *Swiftius* modernum Criticum deſcribit, Mixturam eſſe alicujus Doctrinæ, parvi judicii, paucioris ſapientiæ, multæ imaginationis, nec non amplioris malitiæ, qui in defectu virorum meritorum non per labores proprios, ſed per errores aliorum detectos ad gloriam aſpirat, quos autem melius indicare quam corrigere novit. Æquali diligentia ac fervore libros legit Criticus, uti ſapiens, ut errata in illis reperiat, uti hic Doctrinarum perfectionem, quamvis & ille præ cœteris prætendat ſapientiam.

Dantur carnifices & lictores, hi utiles Reip. ſunt, & nemo illis ſuum ſtatum invidet. Dantur & Critici

Critici (Kunſt-Richtere) hi publico non ſerviunt. Pejores enim iſtis alterius honorem torturæ ſubjiciunt, & clam enecant. Unde Autor præclarus Criticos appellat veſpas & crabrones hujus temporis, qui infelicibus armati aculeis raro mellificant.

Tria ſunt in Cenſore judice requiſita, neceſſaria, ſcilicet judicium, ſcientia, & objecti, circa quod criſis facienda, exacta cognitio, quæ an omnes poſideant cenſores, valde ambigo, præſertim ſi æmulatio aut invidia acceſſerit. Pono dabilem caſum. Princeps territorii ſui caſtrum deſtruxit, & demolitus eſt. Recenſet hoc Annaliſta. Judicat Cenſor, hoc eum ſcribere non oportuiſſe, niſi commemoratis ſimul cauſis & rationibus procul dubio gravibus, quæ Principem ad caſtrum diruendum dejiciendumque permoverunt. Lepida ſane Cenſura! putat Criticus forte non factum, quia, cur factum ſit, non intelligit. Sed factum docet Hiſtoria patriæ. Certe Princeps ille Theologorum neminem, ceu ineptum admiſerit conſiliarium. Habuit procul dubio conſilii ſui Secretarios, viros ſtatus & Juris publici Conſultos, ſine quibus nihil egerit. Cenſura igitur hæc non Annaliſtæ, ſed ipſi glorioſiſſimo Principi cedit in deſpectum, quaſi quid ſine prægnante cauſa tentárit, quaſi quid non memorandum, ut nemo de hoc ſcribere audeat, effectum dederit. An ergo id tantum mali aut patriæ præjudicioſum, aut vitæ Principis ignominioſum, ut id non deceat, non liceat typis mandare? an igitur æterna oblivione delendum, caſtrum illud aliquando juſſu Principis eſſe diſploſum? an non hoc ad monumenta referre liceat? Tot caſtra hodie, tot arces, tot urbes, lacerata, diruta,

Digitized by Google

disjecta ſunt juſſu Regis Galliarum, an hoc nemo auſit ſcribere, & poſteritati notificare? Habuit procul dubio easdem rationes Princeps ille, quas Gallus. Si Cenſor dixerit, ejusmodi facta Principum non decere typis mandari, niſi gravium & fide dignorum ſcriptorum ſuffragio veriſimile fiat. Lepida criſis! quod publicum eſt, & plurium aliorum ſcriptis conſignatum, & cujus evidentiam ipſa arcis deſtructæ rudera teſtantur, exigere, ut gravium ſcriptorum authoritate confirmetur, & quibus id rationibus fuerit ſubnixum, oſtendere. Implicite hoc falſitatis arguit Annaliſtam. Si cenſor non credidiſſet, ſaltem explorare potuiſſet. *Inſolentis eſt petulantiæ*, inquit Helmontius Tr. de Magnet. vuln. cur. §.62. *negare facti eſſe, quod paſſim triviale, quia nimirum non exploravit, nec explorare anniſus eſt .... idque unam tantum ob culpam, ſcilicet quia à noſtro Cenſore modus per cauſam intelligi nequit.* Non errat igitur, qui judicat & judicium & ſcientiam, & objecti, circa quod criſin fecit, notitiam critico huic, cujus anatomiam facimus, defuiſſe. Non inveſtigamus ejus ventriculum, procul dubio bilem in illum effuſam deprehendemus.

Quid Critici faciunt aliud, quam provocare ſcriptores ad monomachiam. Non terret eos fatum Marsgæ, qui audens Phæbum provocare ad cantus certamen, ab illo victus & excoriatus eſt. Non terret Arachne, mutata in araneam, quando cum Minerva laneficii anſa inire certamen à victrice Dea radio percuſſa in peſtilens hoc inſectum mutata eſt. Hæ quidem fabulæ ſunt, ſed veritatis indices. Particulari quidem liberi judicii critico licet refragari,

gari, non librorum Cenſori authoritate publica conſtituta, licet & hic, ut noſtra docuit anatome, neque guſtum habuerit exquiſitum, nec nares ſagaces, nec oculos lynceos: Perverſo Cenſori ac Critico nemo non ſcriptor Reverſus eſt. Poëta Vaniloquus & artificioſus fictor, mendax Hiſtoricus, Rhetor palpoſus, Geometra jactator, Coſmographus erro, Aſtronomus fallax, Phyſicus ſomniator, Politicus iniquus, Mercator falſi jurius, Chymiſta ſophiſta, Pharmacopola veneficus, mendax Medicus, Cauſidicus verſipellis, Tabellarius falſarius, Theologus hæreticus aut ſaltem Enthuſiaſta, ſapiens ipſi videtur ſtulteſcere, doctus ignorare. Sanctus hypocrita, eloquens phaleratus hiſtrio, ipſa Religio illi cenſetur fucata & ſuperſtitioſa. Sic nihil à Criticatione eſt exemptum.

Prohibebatur aliquando à Cenſore celebri Scriptori, ut ab ejusmodi raptibus impoſterum abſtineret, in quos tum temporis ſequenti Inſcriptione luſi:

Quinam illi,
Qui inculpantur, improbantur, vetantur Raptus?
Forte Cenſor metuit,
Ne Scriptor cum Boccalino & Bocatio
Raptu Eſtatico ad montem Parnaſſum deferatur.
Ibi enim ſyncerior reſidet Ariſtarchus,
Qui æquiorem Criſin de operibus amat proferre.
Nempe ex juſſu Apollinis
Ibi Satyri viſitant auriculas,
An in eo Mydæ deprehendant.
Viſitant ſyrmate piloſo nares
An defæcatæ ſint
Ad percipiendum ſapientiæ odorem:

Excutiunt coecutientes oculos,
An invidia induxerit glaucoma aut cataractam,
Inſpiciunt linguam & palatum
An exquiſito ſcientiarum guſtu gaudeat.
Forte Cenſor metuit,
Ne Pluto ſcriptorem cum Proſerpina
Ad orcum rapiat.
Ibi enim Æacus & Rhadamantus
Judices longe æquiores
Juſtiorem criſin faciunt, & ſententiam proferunt.
Imò forte metuit
Ne Charontis Cymba ad Campos deducat Elyſios,
Et ibi offendat laudati Principis Conſiliarios,
Qui more hodie ſolito
Mortuali colloquio cauſas caſtri diruti aperiant.
Non ſane eſt periculum,
Ne cum Propheta Habecuc Angelus
Aut cum Ganimede Jovis ales
Quem ſuper aëra rapiat.
Qui ergo iſti Raptus ſunt prohibiti?
Mallem Ego cum Poëta ſtellato
Tentare iter exſtaticum cœleſte
Et inveſtigare plagas & habitationes ſiderum,
Quam per patriam inſtituere iter litterarium,
Et Novantiqua ſcrutari monumenta
Et imperiti Cenſoris Criſi
Scripta mea ſubjicere.

Elegans eſt celeberrimi Germanorum Poëtæ Opitzii Comparatio Cenſuræ cum urtica. Etiamſi urticæ frutex apud roſetum naſcendi locum ſortiatur, nihilominus roſæ florent, neque fuci ſegnes huic apiario adhærent permanent corpora, licet eorum

eorum umbræ ſe majores faciant. Tempus judex, & *judicium melius poſteritatis erit.*

Venio nunc ad Te *Pylades* amiciſſime, qui de Cenſura & Criticiſmo moderno elegantia pro reſponſo mihi referenda procul dubio habebis. Opus tuum Monumentorum Monaſterienſium utpote Veſaliæ extra patriam, ut propoſuiſti, imprimendum illa quidem non indiget, neque enim de Religione, neque de Moribus, aut Policia reformandis pertractat, neque quid in patriæ aut ejus nunc Moderatoris Sereniſſimi Principis præjudicium proponit, hunc autem non effugiet. Criticos habebis Theones & Zoili Nepotes, qui more hodierno nullis ſcriptis deficiunt: Neque enim apud omnes eſt ille in litteratura guſtus, ut omnium palato arrideant. Non ſunt apud Eruditorum vulgus perſpicaces oculi, cum tam maturus hodie ſit etiam apud juvenculos perſpiciliorum uſus: Nimius eſt tabaci naſalis abuſus, ut plurimi veritatis odorem non percipiant. Externorum autem ſyncerius de hoc opere erit judicium, cum Gentile ſepulcretum Tuum meumque illi adjunctum Oſſilegium tantum apud Antiquarios Romanos encomium ſit ſortitum, ut expreſſis ad Te litteris illorum exemplar deſiderarint, quod ex Bibliotheca mea ceu unicum, quod reſtabat, Tibi Reſtitutum & Romam miſſum meminiſti. Ego non ſemel Decuriam Monumentorum tuorum Monaſterienſium primam non perfunctorie perlegi, neque quid obeliſco dignum reperi, quod obæſioris naris Cenſor judicium ſit laturus, tempus dabit. Cura igitur ut opus Tuum brevi Veſaliæ prælo ſubjiciatur à Cenſura quidem, non tamen à Criticorum aſteriſcis futurum liberum.

 Vale.

Vale. Reſponſum proxime expecto. Dabam Vredenæ Idibus Julii MDCCXLIII.

Epiſtola Reſponſoria III,

Oreſtis Epiſtolam de Cenſura & Criticiſmo ad Cenſuram & Criſin vocat *Pylades.*

Vredenam,

REpeto illud Epiſtolii Tui initiale: *Abſcede maligna Criſis*; Non certe exactius Theophilus Bonetus Veſter in cadaveribus morbo denatis in *ſepulcreto* ſuo *Anatomico* morborum detexit cauſas, quam Tu in Julii Cenſorini Anatome externorum ſenſuum vitia & corruptelas, unde ſenſationum internarum ingenii atque judicii in cenſurâ defectum atque errores deduxiſti. Utinam & ipſum ventriculum atque cor inveſtigaſſes, in illum procul dubio ex ſpasmodicæ invidiæ ſtrictura effuſam bilem, in hoc ſanguinis livore coagulati rhombos deprehendiſſes.

Arriſit præſertim in illa mixtura dementiæ in cenſore cum imaginæ ſingularis doctrinæ, & aliqualis ſcientiæ ſatyrico illo Anglo Zviſtio propoſita.

Hodie & ſutores depicta Apellis Tabella judicant: ſed hic poſt eam latitans merito exclamat:

Ne ſutor ultra crepidam.

Utinam & illa voce uti liceret, quando in manus præjudicio obſeſſi cenſoris ſœpius cadit innocens Libellus. Utinam graves ejus hallucinationes publica demonſtratione convincere permiſſum foret, ſic illa clementiæ mixtura ad oculum pateſceret. Vere quotidianus abuſus confirmat, quod

Columnæ

Columnæ prope Clivorum Metropolium inſcriptum olim legi. NATURA OMNES JUDICES FECIT, PAUCOS ARTIFICES. Interea optandum foret, immo publicâ lege cavendum, *Soli artifices judicarent de artibus.* Notus eſt hodie in Republicâ Literariâ ſcientificus ille guſtus, de quo tam Galli, ut *Bellegarde in Reflexions ſur le bon goût*, quam Itali, ut Muratori in libro: *Rifleſſioni ſopra il buon guſto nelle ſcienze & arti* &c. nec minus Germani, ut Ulricus Königius in Unterſuchung von dem guten Geſchmack ꝛc. egregie pertractarunt. Illa itaque ſi deficiat, ut in cenſore à te exenterato quæ expectanda ſyncera criſis? Optime ſcribitur in *Entretiens galans p.* 120. *Le bon goût n'a point de borres, le ſens, l'eſprit, le cœur & la raiſon enſemble ne vont pas ſi loing, que lui ſeul.* Cum igitur bonus guſtus, ut oſtendiſti in tuo Julio Cenſorino, defecerit, patet & ipſum ſenſum, ſpiritum, cor & rationem in eo defeciſſe.

Pergis ad naſum, cui ſcientificus quoque abfuit odor, eo quod forte non fuerint emunctæ illius nares, aut tantum pro more hodierno obſtructæ, ut odorem veritatis non potuerint percipere. Non apud omnes æqualis eſt odorandi facultas. In multis, quibus familiare eſt, naſum Poeto ſuffarcire, illa penitus ablata eſt. Quae ergo à tali expectanda erit cenſura, quem odorem hoc illudve habeat ſubjectum? Nunquid contra naturæ & rationis regulas foret à tali expectare criſin?

Examinaſti quoque ipſos oculos, in quibus glaucoma ſpectaſti, quod ſane in objectis impedit colorum diſtinctionem. Invidia ſæpius tale generat,

generat, qui enim Monopolium ſcientiarum affectat, inviſis oculis aſpicit, & alios illarum agere mercaturas. Non omnibus eadem eſt viſûs acies, hic Myops eſt, alius remotiſſima perſpicit, alius nil cernit gutta ſerena correptus, alius ſtrabiſmo laborat. Tales quoque videntur dari cenſorum & criticorum differentes ſpecies. Sœpe cenſor in oculis trabem habet, qui in Scriptoris oculis increpat feſtucam. Neceſſe eſt lynceos habere oculos eum, qui vult in hiſtoriâ patriæ & tot ſeculis remota ſpectare, & ſyncere dijudicare. Ad ipſas quoque aures proceſſiſti & oſtendiſti cenſores quandoque ab aliorum laudibus tanquam canes à muſicæ elegantioris ſonis offendi & irritari. Peregrina encomia non æquis auribus percipit invidus æmulus aut cenſor. De ſonitu hujus vel illius muſici inſtrumenti nonniſi auris judicare poteſt, pro ut diverſas facit in hoc organo impreſſiones. Aliena laus in auditu malevoli Critici ſonitus eſt valde diſſonus imo abſonus, qui ipſi audienti creat tormentum.

Ad ſplendorem Lunæ plenæ latrat canis. Ad ſonitum fidium muſicum ululat. Symbolum Critici aliena elogia ſiniſtra aure auſcultantis. Eleganter huc quadrat, quod Dominus *Dubos* in ſuos *Reflexions Tom. 2. p.* 332. aſſerit, quod huc ex Gallico in Latinum transferemus: *Judicium eſt in quocunque homine, ſed ſicuti non omnes habent aures & oculos æqualiter bonos, ſic etiam non habent omnes judicium æqualiter perfectum.* Aliqui melius habent quam alii, quia illorum organa ſunt naturaliter melius compoſita, aut per uſum frequentem & per experientiam perfecta reddita,

& illi

Digitized by Google

& illi magis neceſſario, quam alii percipere poſſunt merita, aut parvum valorem operis. Infelix igitur Scriptor eſt, ſi ejusmodi Cenſorem publicum judicio deſtitutum nanciſcatur, in quo intellectus cum corde non conſentit, licet enim judicium ſit ſatis exactum, cor autem livore plenum, exacta & juſta criſis fieri nequit. Non Apollo in Monte Parnaſſo; non Æacus apud Inferos, neque in Campis Elyſiis Dialogiſta & mutus conſiliarius; aut ſcribentis aut cenſentis errores excuſabit. Authoris hiſtoricè ſcribentis hallucinatio excuſata quidem facilis eſt; ſi obreptitia ſit, & in ſuppoſito facti conſiſtat; judicantis autem Cenſoris; quæ ex ſuggeſtu invidiæ aut ignorantiæ, aut imaginationis melioris ſcientiæ imo & dementia oritur; ſed publica meretur correctione refutari. Ejusmodi cenſura meritò guſtus depravatus eſt, id eſt rationi non conſentanea animi impotentis paſſio, quæ ſine fundamento aliquo faſtidit & nauſeat, ut mulieres picantes, quæ formaliter & eſſentialiter tamen vera, & bona ſunt & utilia, communiter operatio eſt philautiæ & cœcorum mentis pathematum, odii atque invidiæ aut præjudicii in iis, quibus in Schola educatis continuus adhæret Pedantiſmus. Celebris *Gacon* alias *le Poëte ſans fard* appellatus, plus dicit: *C'eſt une injuſtice criante & digne du chatiment.* Talis cenſura clamans eſt injuſtitia & digna caſtigatione. Satis igitur doctè, exactè, quin & rigoroſè Julium Cenſorinum cultro anatomico diſſecuiſti, & cauſas pravae, vilis, corruptae, extravagantis Cenſuræ in eo detexiſti. Monitum egregium eſt

Horatii

duli auro elegantiſſime incruſtatus, in cujus uno latere Bigæ ſpectantur quatuor equis ductæ, cui habenas tenens inſiſtit auriga; deſuper in aere fluctuante mirabili figura ex tribus cruribus humanis; monſtroſe connexis; compoſita; In altero vero Imperatoris formoſiſſimorum caput quatuor quaſi piſcibus in circumferentia circum Volitantibus cum græca Epigraphe ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ currui ſubſcripta. Cujus Imperatoris ille ſit, & quem in finem excuſus à te doceri cupio.

Poſſideo nonnulla alia rara Numiſmata, de quibus aliquando coram & inter alios rariſſimum & antiquiſſimum OTTONIS, Imperatorum Rom: ſerie octavi nummum æreum; aliquando tanto pretio venditum; quo prædium emi potuiſſet; ut ſi recte memini, *Boylæus* alicubi memorat. Author de auro agens in ſupplemento actor: Lipſienſium nunquam mihi viſus eſt; unde gratiſſima mihi erit ejusdem communicatio. Actorum tomus mihi mutuatus cum gratiarum actione ad Bibliothecam ſuam revertitur. Vale. VIII. Id: Martii MDCCXXXII.

Epiſtola Reſponſoria IV.

De Nummis Scutulatis & Syracuſano deaurato ſententiam ſuam *Oreſti* reponit *Pylades.*

Vredenam.

SEntentiam tuam de numulis aureis Schyphatis ſuperiores die XV. Martii *Wieckinghovium* datæ luculenter expoſuerunt, quam mihi cumprimis

primis arriſiſſe Germanus noſter tibi jam pluribus laudaverit. Nugas ingentes & leviſſima quæque ſomnia imaginariâ *Hedleri* Cymbâ potius vehi dixero, quam *Odini* Oculum &c. mihi indubitatum eſt Gothorum prævalente inſcitia ac ſeculi barbarie cuſos eſſe. Occaſionem fabuloſi nominis ab Iride deducendi utique dederit *Iris* Inſula, hodie *Hibernia* dicta. Certe figura nummulis iſtis impreſſa non multum abludit à Teſtudine, ſive Barbito, Regni iſtius claro inſigni, ſaltem pro ingenio ævi ruditer effićto. Qui in figuræ triangularis medio circulus ſive globulus conſpicitur, nunquid chorum denotat modulaminis gratia barbitorum paſſim umbilico apertum? Ita Dii omnes me ament, hac Lyræ Chorda tanto erroris periculo non aberrabitur, quanto Odinarum fabularum Hedleriana navi, neſcio, quo Pelago agitata. Quis mortalium triangulari ſe vectum jactitavit Liburna? Ipſe, credo, Neptunus citra periculum naufragii ſeſe illi unquam tuto committeret, nec naumachia quidem præter proram & puppim navis exporrectum probaverit. Nulla unquam fabula, nulla Hiſtoria ſimile Navigioli Monſtrum deſcripſit. Quadrat de eo Terentianum illud in Hecyn: *non Herculè verbis dici poteſt, quantum reipſa navigare incommodum eſt.* Itaque Patellas ejusmodi aureas monetaria machina fabricatas, atque percuſſas eſſe uti pro certo ſtatuitur, ita nec quicquam hic eum *Odini* fabellis aut navigio haberi commune, mihique gratulor tuam V. C. de hiſce denariis ſententiam mecum in eadem verioris opinionis navi perſiſtere.

Accedo ad Erotemata tam præmiſſorum occa-

ſione quam ſplendidiſſimi Numismatis ad examinandum transmiſſi à te mihi propoſita: I. Denturne nummi ænei Imperatorum Græcorum auro obducti? II. Cujus Imperatoris ille ſit, & in quem finem cuſus, quem nunc aggredior &c. &c. Scias, Amice, non multum me torqueri tui Numismatis explicatione, apertis fere in eo ſingulis: Tu auro incruſtatum credis, ego potius inauratum, niſi forte diutina evolutione malueris attritum. Sed hæc ſtudio diſcutere nil attinet; aſcititio hoc ornamento non eget nummis natalibus, ætate, cœlatura, atque inſcriptione ſatis elegans. Dari tamen tam Romanorum quam Græcorum Auguſtorum atque Urbium auro obductos, uti & inauratos, Typi paſſim obvii commonſtrant, tuus interea Imperatorius non eſt; ſed Syracuſarum Metropoleos, ipſa quod loquitur græca ſubſcriptio ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, quam Galli *exerque* vocant, pro qua in nonnullis aliis apud *Begerum* legitur ΣΥΡΑΦΟΣΙΟΝ. figura ſive littera Φ. loco K. vix alibi in nummis Græcanicis reperta. Syracuſanis igitur parentibus ortum nomenque deberi aperte vides, quibus illuſtrandis contemplari nunc lubeat utrumque nummi latus, & quam poteſt breviſſime, ne actum agam, quod Viri Summi, præcipue *Begerus*, ille, inquam, Vir, ut plures volunt, *cœleſti judicio & experientia antiquitatum plusquam humana præditus*, id pridem ante me præſtiterint. Caput, quod conſpicis non *Cæſaris* ſed *Cereris* eſſe liquet ex calmis, & ariſtis triticeis, aut ſpelteis, quibus redimitur. Deam hanc præprimis apud Siculos cultam non ignorabis ubi fruges ipſas primum inventas *Diodorus* prodidit.

Immo

Immo vero *Cereri* & Proſerpinæ, quod Cicero perhibet, conſecrata fuit tota, etſi in nummo noſtro ſpicæ non adeo pateant, in aliis tamen Syracuſanis apud *Begerum Theſ. Brand. p.* 387. *num.* 1. *&* 2. cerebriores inter cereris capillos fluctuant. Iterum alii duo reperiuntur apud eundem *p.* 386. huic rei confirmandæ validiſſimi, in quorum unius averſa integram Spicam ſpelteam animadverto, & in alterius præter genuinos piſces Taurum animal Divæ iſti ſacrum.

In aure ornatum caput Cereri convenire præcitati p. 387. Syracuſi dum nummi evincunt, quorum prioris auriculam unio oblongior, alterius pretioſa quædam ornant, noſtris admodum ſimilia.

Ad mundum muliebrem hæc referas citra ullam, ni fallor, myſterioſæ divinitatis ſuſpicionem, inde tamen Deæ caput eſſe manifeſto concludas, quod urbibus apprime convenit.

Circumdat porro caput piſcium quaternio forte Delphinorum vel Thynnorum, quorum capturam quoque familiarem deprædicant Panormitani. Quid Cereri ais, cum piſcibus? ad Cererem fateor, ne quicquam, ſed ad Syracuſas, in quarum confinio *Arethuſa* fons magnam eorum pro germinat copiam. *In hac Inſula extrema* (de Syracuſarum Urbis parte, cui ab *Inſula* nomen eſt, loquitur Cicero) *eſt fons æquæ dulcis, cui nomen Arethuſa, incredibili magnitudine pleniſſimus piſcium. Oritur ex Alpheo ſubterraneis meatibus in Siciliam ſe ſubducente.* De Alpheo & Arethuſa occultis cuniculis ſibi mutuo reſpondentibus legendi ſunt *Strabo* & *Pauſanias*, ille quidem pernegans fabulam, quam hic adſtruit ſumma fide.

Tria crura, quæ vides, totidem indicant Siciliæ promontoria *Pachynum*, *Lilybæum* & *Pelorum* *Trinacria*, Inſulæ ſive Symbolum, ſive inſignia. De quo notum illud Naſonis Faſtor. II.

Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor.
Trinacris à poſitu nomen adepta loci.

In quibusdam Syracuſarum nummis æquicrurum conſpicitur ſed allatum nobile Velocitatis Emblema. Aliud quoque Numisma eodem *Theſauro* p. 369. producit D. *Begerus* cum tribus cruribus in totidem Spicis, ex Cluverio docens. *Trinacriæ* hoc ſignum Siculorum lingua τρισκελον . . dictum unde Hyginus: *Siciliæ in Triſcello poſita.*

Ad averſam tandem transvolo alato Tripode ductus aut certe quadrigis, quibus video ſtipatam. Illarum dentes diu anxieque inſpicere non eſt otii pretium. Harum decurſione Syracuſarum Cives in Olympicis viciſſe tritum eſt inter Numismatographos. Triumphi genus mirum ab iisdem affectatum, adeo, ut Olympiacas pecunia nonnunquam comparaſſe exemplo confirmet Pauſanias.

Hæc ſunt V. C. quæ celebrata heri Paraſceve in ipſo pervigilio Paſchæ crebras inter acclamationes felicis *Alleluja*, quorum tibi, domique toti largam accludo copiam, quærenti reſpondere licuit, pro rarioris nummi Syracuſani dono gratias rependens maximas. Jam plures etiam Muſeolo meo nummos benigniter pollicentur recens. Dives tamen proximi Rheni alluvio & præcipue ſtudiis meis ſatis propenſus Cl. nepos tuus Trevirenſium nuper anteceſſor, quem oris Weſtphalorum appro-

appropinquantem lubens excipio. Faxint majorum gentium Dii, ut congiario congruo ipſos inter Weſtphalos prope diem recreetur. Ego nec mediocribus adnumerandus, quod hanc ad promotionem poſſum, fortiter urgeo, quo vel hoc pacto in agris patriis perennet hereditariæ Eruditionis Cohauſenum nomen. Vale. Ex Wieckinghovio Non. Maji MDCCXXXII.

P. S.

Primum ut & hoc non prætercam: Vulgatiſſima eſt Triquetra Siculorum Symbolum, ita ut aureus in Auguſto nummus cum inſcripto L. AQVILIVS FLORVS III. VIR tria crura cum capite meduſæ exhibens & ab *Aquilio* cuſus nihil aliud docere aut in memoriam revocare videatur, quam avos ſuos *Cajum* & *Manium* Siciliæ extitiſſe pro Conſules. Vid. *Vaillant.* Tom. II. Numiſm. Impp. Rom. p. m. 23.

* * *

Adnectitur *Ignatii Roderici* V. C. de Syracuſano atque altero nummo Gothico (*Patella Iridis* dicto) ſententia:

„ De nummo Syracuſano, omnino cum ampliſ-
„ ſimo Nunningio ſentio, ſimul opto, uti
„ iterato ejus examini permittatur, quo conſtet
„ liquido deauratus an auro obductus ſit.

„ De numis Gothicis mea ſententia eadem eſt
„ quippe qui Iridis ſcutellas tam ridiculas putem,
„ ut nequidem erudito ſpleni eas videre fas ſit;
„ tum quod Barbiton illud Hibernicum mihi plane

Digitized by Google

„ probetur. Quod cum dico, iſtius ſententiæ „ confirmandæ provinciam mihi non ſumo, dum „ pro ea firmiora argumenta afferantur. Nullam „ reperio *Hedleri* navim. Neque tamen mihi „ dicat Illuſtris *Nunningius*, nullibi viſam eſſe „ navem ſine puppi, quæram enim, an nuſquam „ viderit proras, aut ſi mavis, roſtra navium in „ numis Romanorum? Vidit ſexcenta, ſex„ centos habet hujus generis numos. Equidem „ *Hedlerum* legi nunquam, nec ejus numulum „ vidi. Sed quotiescunque numos hujus moduli „ vidi, toties mihi viſus ſum in eis plane alia „ videre. Et vero an in ea figura minus proræ „ ſimilis erat, quam quæ ex averſa parte equo „ repræſentando, Sculptæ ſunt? Cui ergo fini „ proræ figura in his numis? Davus non Oe„ dipus. Ne iſtud quidem certo dicere audeam, „ cui fini ex adverſa parte equus plerumque ſiſta„ tur, ſcis Germanis equos ſummo honore affe„ ctatos fuiſſe, & Oſerim Liburnæ forma cultum, „ ſed hæc huc non pertinent. Nec mihi ſatisfa„ ceret, ſi quis hallucinaretur, id velle utramque „ figuram, ut terræ mariſque Dominium indicet. „

Hæc quidem ex arena Clementiſſimus *Rodericus*, qui tamen longe diverſum, imo ſolidius de his tuliſſet judicium, modo denarii Gothici typus, qui navem triangulam præferre putatur, ejus ſubiiſſet conſpectum.

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtola Amœbæa V.

Nummi Benthemico - Taliſmanici inquiſitio.

Amantiſſimo Oreſti ſuo Numiſma Benthemico-Talismanicum conſtellatum, & quid de ſignis *Talisman* dictis ſentiat, paucis exponit *Pylades*.

Vredenam.

VIſis nuper, & examinatis numis ſcutulatis, quos ex vulgi opinione non ab iride deciduos oſtendimus, alius nunc noſtræ conſiderationi ſe offert Nummus non aureus, non argenteus à Rege aut Principe cuſus, ſed ferreus intra caſtri Benthemenſis diruta Mœnia repertus, de quo tecum confabulari allubeſcit, ut quid de hoc *Talismane* ſentias, experiar. Notum tibi eſt, illum eſſe quandam imaginem characteribus, litteris, numeris certo cæli poſitu compoſitam ad varios mirabiles effectus producendos. Non hic locus eſt neque animus, ut de origine vocis tecum litigem. Notum eſt docente Salmaſio confut. adverſus Cercoëtium Τοιχεῖα græco recentiores vocaſſe, quæ vetuſtiores τελισματα vocabant. Arabes TALISMAN appellant ex græcitatis infimæ idiotiſmo, qui τελεσμαν pro τελέσμα dicebant. Hic noſter talem ortum habet: Anno 1666. Menſe Auguſto, quando felicis memoriæ Comes D. Erneſtus Wilhelmus antiqua & collapſa arcis ſuæ Benthemenſis Mœnia verſus ſeptentrionem ut rupibus imponeret, nova, reparari faceret, ab operario in muri meditullio repertus eſt, quem Taliſma eſſe Ægyptiacæ Magiæ ſpeci-

Digitized by Google

ſpecimen omnia evincunt, licet indubium ſit poſterioris eſſe ævi ut infra oſtendam.

Priusquam de ejus fabrica, & virtute quidquam proferam, operæ pretium exiſtimo, ejus ſchema à me delineatum oculis tuis ſubjicere, in quo dum ab una parte expreſſam Martis figuram conſpicis, tibi utpote in ſcientia Chamaica (ſic dicta, quia primum ejus Auctorem quidam ſtatuunt fuiſſe *Chamum* Noë filium) id eſt Chymica probe verſato ignotum non eſt myſticam ſtellarum & numerorum ſcientiam, referente ex Joſephi L. I. c. 8. Beroſo à Chaldeis ceptam ad Ægyptios transiiſſe nam ante tempora Abraham (cujus parentem *Thare* idolorum fabrum quidam ſcribunt Statuas Magicas adhibitus Aſtrologicis obſervationibus confeciſſe) Ægyptios in hiſce diſciplinis, quæ poſtea ad illos ex Chaldæis profecta ſunt, penitus rudes fuiſſe prædictus Joſephus teſtatur, Conſtat porro ex artis hujus principiis, ut ſeptem Planetæ ſunt, ſic & ſeptem eſſe metalla, quæ proin Planetas terreſtres appellant, quos ſub illorum ſidere planetario generari & eorum quoque influxum per artificioſam diſpoſitionem ſub certa conſtellatione ſuſcipere arbitrantur, quod fabricæ Talismanicæ fundamentum eſt, an reale, & in natura radicatum tuum erit oſtendere,

Martis igitur, cujus Planèta ferri parens & Dominus habetur, figura in numiſmate hoc effigiata conſpicitur & quidem inſigni ſuo, quod gladium eſt, in dextra decoratus, ſicuti enim *Jovi* ſulmen, ſecuris *Vulcano*, clava *Herculi*, arcus & ſagitta *Apollini*,

Apollini, haſta *Achylli*, falx *Saturno*, *Mercurio* caduceus, ſic *Marti* gladius audaciæ atque ferociæ Symbolum adſignatur quo ad aram Martis ceu victima cadunt tot detruncata hominum capita canente Naſone Metamorph. IV.

- - - - Mactatur Vacca Minervæ
Alipedi Vitulus Taurus tibi ſumme Deorum.

Vel ipſis auctoribus quod ſciam, hactenus viſæ tam arduæ, ut vel ſuperficiarie tantum eas tangere, ſi non plane præterire duxerint conſultum. Ipſam interea nummi figuram hoc loco ſiſtimus penitiori ruminatione diſcutiendam.

Digitized by Google


TALISMA
MARS
PENTHEMICUM
3 20 7 24 11
16 8 25 12 4
9 21 13 5 17
22 14 1 18 10
15 2 19 6 23

Numeros

Numeros hic ſpectas non caſu, ſed Arithmetico Ænigmate involutos. Diagrammatis in nummo expreſſi numerus *Additione* redditur perfectus. Ita ut quacunque parte calculum duxeris, linea ſive recta, ſive obliqua tibi ſemper ſexageſimum quintum ſiſtat utpote Marti debitum, ut tabella ad oculum demonſtrat.

Primo vultu hæc intuentibus nihil diffiteor, vel ipſis Sybillarum foliis apparent obſcuriora, in quibus gratis deſudar & rudi ſaltem Aſtrologiæ adminiculo deſtitutus, quem tamen veriori & recepto magis apud antiquiores Philoſophos vocabulo ſigillum potius Planetarum nuncupaveris, vel altero fere uſitatius, *Talisma* equidem in confeſſo eſt apud omnes, vim Planetarum in Talismata ſpiritualem admittentes, diverſa earundem aſtra in totidem Metallorum ſpecies per varios Sympathiæ effectus ad miraculum prope influere, dum Aurum *Soli*, *Lunæ* Argentum, Ferrum *Marti*, Argentum vivum *Mercurio*, Stannum *Jovi*, *Æs* & Cuprum *Veneri*, Plumbum denique *Saturno* attribuunt.

Martis namque Talisma ſeu ſigillum laminæ ex ferro Carnioleníi rotundæ imprimi voluit Paracelſus in Archidoxi Magica cum inſcripto Martis nomine, additisque in modum armati militis ejusdem figuræ, quemadmodum hoc, quod conſpicis ſigillum ſupra ſtellam capiti militis impoſitam inſcriptum gerit nomen MARS. Cujus figura quidem hieroglyphica militis ſago armisque induti exprimit imaginem dextra gladium, ſiniſtra ſcutum geſtantis, qui corpore inſuper & pedibus, ut animo ad greſſum compoſitis quaſi Claſſicum ſpirantibus.

In averſa ejusdem parte ductæ, per diſtincta ſpatia

ſpatia rectæ lineolæ totidem continent numeros, quorum operatione Arithmetica, dum aſſumptus eſt calculus, unaquaque linea numerorum ſibi ſuperpoſitorum LXV. Contineri compertum eſt, tot prope Myſteriis quod numeris exornata, qui ab unitate ſumens initium, atque ita per 2. 3. 4. & reliquos ad 25. usque aſcendens ſibi conſtans eſt & continuus. Quod & ſupra in Talismate Benthemico obſervatum eſt, utrumque vero in Tabula expreſſum. Atque hæc Talismatum ſpecies eſt, quam tanto Myſterio ſeculi ad victoriam, fortitudinem ac animoſa quæque facinora perpetranda conducere ac ſolius Martis virtute adeo mira operari credidit antiquitas, ut ubi iſtud ſigillum rite, ſolenniterque compoſitum, atque ad caſtrorum munimentorumque baſin dextre fuerit defoſſum, eadem inexpugnabilia crediderint, nec ullis hoſtium machinationibus cedere, homines quoque, qui hæc ſigilla ſecum portaverint, fortitudinis caractere non tantum cæteros ſuperaſſe, ſed & neſcios frangi.

Vides galeatum Martis caput quo indicare voluerunt Capiti, ceu omnis prudentiæ fonti in bello maxime cuſtodiam deberi; Mars namque læſo cerebro mox fit excors: & ſine bellica prudentia nulla eſt vis generoſitatis.

Vides Martem penitus imberbem, & tonſis comis calvum, cujus duplicem reddit rationem *Auſonius:* Primam, quod Mars potiſſimum juvenes, leves acres, atque temerarios exoptet & diligat: alteram, quod barba pugnantibus obſit, unde & *Alexander* M. poſt pugnam ad Granicum Macedonibus ſuis barbas radere imperavit, de quo conferendus

rendus in ſtratagem. Polyanus, & apud Athæneum Chryſippus. Conſpicitur à parte adverſa certa numerorum ſeries, in quibus neſcio, quæ arcana ponebat antiqua cabaliſtarum curioſitas, de quibus nunc te fuſius diſcurrere non permittit Epiſtolæ ratio. Saltem ex hiſce colligere licet hoc ſignum non eſſe ex vetuſtioribus iſtis Chaldaicis aut Ægyptiacis, qui numerorum eſtorum barbarorum Characteres ſive Cyfras ante quatuor annorum centurias nondum cognitas, & uſitatas fuiſſe, teſtis eſt Beſoldus *Theſaur. pract.* voce Zahlen poſterioris Itaque ævi fœtum neque à Druſo Germanico hujus arcis conditore profectum eſſe indubiè liquet. Cauſa quare olim hunc intra murum depoſitum fuerit hoc Taliſma, ignota eſſe non poteſt, nempe ut protectione Martis beneficio numi hujus conſtellati contra hoſtiles aſſultus arx foret munita, & inexpugnabilis. Hanc enim fuiſſe primi hujus artificis, & ad hunc Mænii loculum depoſitoris mentem certum eſt. Conſtat ex Georgii Turonenſis libello *la nouvelle Deſcription de Paris* Anno 1698. impreſſo, Tom. 1. p. 6. Lutetiæ Parioſorum ad pontem quendam depoſitam fuiſſe ex plumbo oblongam laminam inſculpta ſerpentis & aquatici Muris adjectaque flammæ figura, quæ urbem ab incendiis, ſerpentibus, & muribus aquaticis ita defendit ut Taliſmate hoc loco remoto, & variis locis perfecta adium flammæ nulla apparente incendii cauſa eruperint, & ſerpentum, aquaticorumque murium tanta copia urbem intrarit, ut incolæ ad ſummas anguſtias redacti relicta vacua Urbe ſalutem quærere concluſerint, donec rapido per illam graſſante flamma Viri ſenis moratu lamina Taliſmanica

per artem fuſione, Malleatione, ſculptura ad motum & calorem deducta in felici planetæ ſui hora exaltari, & potentiores ab eo vires allicere, ſibique copulare valeant; quid autem vires illas è planetis in metalla forte influas in ſua integritate conſervet; ut etiam poſt tot annorum decurſum effectus iſtos protectionis cuſtodiæ averruncationis cedant fateor me penitus ignorare; periit jam pridem, quæ vires iſtas copulavit Talismati phantaſiæ perſtat in ſculpta figuræ e. g. Martis an vero hæc poteſtatis cuſtos an non ſignum potius occultæ veritatis quem cauſa numeris ſane ſeu cyfris adverſa parte inciſis, & recentioris inventionis nulla vis ineſt. De harum inventione præ omnibus eleganter ſcripſit Mabillonius de Re Diplom. *L. 2. C. 28. p. 214.* ad quem brevitatis cauſa, ne Epiſtolæ limites excedam te remitto. Fateor me arti Talismanicæ olim ita faviſſe ut &c. ejus fabrica integrum ſcediaſma confecerim, verum jam pridem ventilata me inter & te hac materia ſententiam penitus mutavi, ut eum ejus virtute ſic nunc ludere geſtiam. Certum quidem eſt ſignum illud Martiale Talismanicum quondam intra arcis mænia contra quoslibet Martis inſultus fuiſſe abſconditum, ut illa ſarta tecta ſervaret, ſed quis non facile perſpiciat, quanta ad hoc, vt veritati quis credat conſentaneum, exigatur fides? Si enim integros ex ſolidiſſimo Chalybe (ponimus poſſibile compactos muros moderna non reformidet Bellona) quid illa ad exigui numismatis ferri utut ficticii Martis vultum geſtantis præſentiam exhorreſcerent? Credendum integras forſan ſyderei Martis planetarias vires mediante hoc ſigno intra muros reſidiſſe,

reſidiſſe, quibus tormentorum bellicorum globi arietis aut baliſtæ proximus vereantur accedere. Has quis negabit eſſe nugas aut nenias, & eſto quidem faber Talismanicus vel totus quantus cataphractus imis includeretur mænibus totumque ſuis humeris Olympum planetis omnibus gravem Atlantis adinſtar geſtare phantaſtice ſibi imaginaretur, attamen neminem ita exiſtimamus ſtolidum, qui tali confidens delirio poſt mœnia ultimum mortis inſultum decreverit expectandum. Næ hæc ſomniis ſimilia videntur.

Verum cui ea eſt cerebri imbecillitas, ut Martialis Planetæ influxus pyrobolis globulisque ferreis *Vitæ* ſtatuat contrarios ut eorum procul arceant appulſum? Sane hoc eſt propria phantaſia vires tribuere creaturis, quæ nullam in natura reperiant poſſibilitatis radicem. Neque aſſentiendum Platoni in Tymæo dum credit omni lapidi minerali, & metallo ſuum eſſe peculiare aſtrum, ut Polus eſt Magneti & cuilibet aſtro peculiarem ſuum intelligentiæ demonem, ut cuilibet homini ſuus eſt genius à Deo dicatus, & hunc inferioribus illecebris allectum miranda iſta patrare opera. Hoc namque merito pro caco magico reputandum. Mirum in exaggerandis Talismatum prodigioſis effectibus diſertus *Jacobus Gaffarellus* D. Catharinæ Prior & D. Amalii perpetuus Commendator edito Libello, cui titulus: *Curioſités inoueyes ſur la ſculpture Talismannique des Perſans, Horoscope des Patriarches, & Lecture des Eſtoilles.* Pariſiis 8vo Ao. 1629. apud Heroum dee Menſuil. Verum denſiſſimus hujus libri errores erudite juxta ac ſingulari ingenii acumine perſtrinxit G. *Sorellus*

Inſulæ Dominus libello, cui Titulus *des Talismans ou figures faites ſous certaines conſtellations avec les obſervations contre le livre des curioſitez inuijes de Gaffarel, & un traité Tel, onguent des armes ſympathetique & conſtelle &c. tire de la ſeconde Partie de la ſcience des Choſes Corporelles.* Pariſiis apud Antonium de Somma Ville 1636. & 1640. 8vo.

Largiar, dimicent inter ſe Mosheimius, & Wachtlerus quorum ille imagines magicas in *Diſſert. Epiſtol. de Talismatibus ſive Imaginibus Teleſticis, quas Apollonius Tyanæus confeciſſe dicitur, ad Virum celeberrimum Martinum Veiſſiere la Crotze potentiſſimi Boruſſiæ Regis Bibliothecarium* (extat illa in Biblioth. Hiſt. Phil. Theol. Bremenſi Claſſ. III. Faſc. I.) anilibus figmentis annumerat, eo præſertim, quod penes Philoſtratum cæterosque Scriptores Coævos altum de Apollini prodigiis ſilentium. Neque tamen a vero abeſt, recentiorum temporum Græcos præſertim ſeculo quinto & ſequenti ceu ſuperſtitionibus addictiſſimos has nænias Appollonio affricuiſſe. Ita namque concludit Mosheimius: *Nugæ ſunt inquiens recentiorum Græcorum quæ de hiſce rebus commemorantur nec ullo antiquioris Scriptoris teſtimonio probari queunt. Quos quidem Græcos tam Veſano erga Aſtrologiam Studio captos fuiſſe non ignoratur, ut vix ullum in univerſa Græcia ædificium, Columna, aut Monumentum extiterit, quod non arcana quadam virtute præditum exiſtimaverint. Quid mirum tanta vanitate homines hic etiam fingendi libidinem, qua flagrabant, exercuiſſe?* Hoc quidem nemo inficiabitur, Appollonium magicæ ſuperſtitionis extitiſſe ante ſignanum teſtibus priſcis Scriptoribus ipſis

ipſis ſanctis quibusdam Patribus non excluſis, ut recentiores taceam, eosque inter *Olearium* in Notis ad *Philoſtratum*, *Dupinium*, *Baylium* Diction. *Arpium de Talismatibus Cap. I.* alios. Chriſtfridus Wachtlerus vero in Diſſertatione Act. Erudit. Lipſ. Ai. 1721. Menſ. Apr. p. 177. ſqq. inſerta Moshemio ſeſe opponens communem opinionem tuetur, Apollonium præcipuum Arcanarum Imaginum apud Græcos celebrari architectum ad teſtes provocans moderni ſeculi *Olearium*, *Seldenum*, *Clericum*, *Originem*, quoque & *Celſum*. Verum iſthæc omnia à Wachtlero prolixioribûs adducta iterato reſponſo excepiſſe Mosheimium ac diluiſſe in *Epiſtola* Critica pro *Diſſertatione* ſua de Teleſticis Apollonii Tyanæi in præallegata *Biblioth. Bremenſ. Claſſ. V. Faſc. II. N.* 3. qua ſatis ſuperque evincit, Canoras fabularum nugas redolere quæcunque de Apollonii figuris Teleſticis feruntur, oſtendens ejus ætate hujus commatis fraudes fallaciasque nondum innotuiſſe. Ego quidem nullis nec ullius Auctoris vel lecti vel auditi argumentis inducor, ut offuciis Talismannicis vel ſolo nutu aſſentiar, imo potius in Davidis *Kocleri* ſententiam deſcendo, totam hanc crepundiarum machinam egregie explodentis. Vir hic Celſiſſimus deliciis ſuis Numismat. non tantum *Part. VIII. p.* 353. *ſqq.* Spurcitias haſce averſatur ac ſignanter Gaffarelli ſuperſtitioſa refutat, ſed & *Part. X. p.* 419. *ſqq.* Amici Litteras *Àvicennam*, *Geberum* & *Hermetem Triſmegiſtum* ceu artis Talismannicæ regios ſupremique ſubſellii fautores ex imis terræ viſceribus ad planetarum ſydera extollentis multo ſale perficare imo aperte illudere non hæſitavit, cum primis,

 quod

quod is ſtatuat influxu Planetarum Cœli æri in ſubterranea metalla, Solem nempe in aurum, Lunam in argentum, eaque majori affinitate & Magnetiſmo inter ſe conſtringi, quam fœtum in utero Matris. Lege rogo Kœlerum D. L. hæc intra dentes ridentem. Hem novas ex Amuleto Baſilidiano tricas integro id ipſum in Schediaſmate ad *Phil. Ludov. Bœhmerum* expoſuit *Jo. Conradus Schwartſius* in Cæſaris Germanici nova operum omnium editione pag. 175. ſqq. ſunt, qui Michaëlis Archangeli figuram repræſentari contendunt fere in modum & ad imaginem *Mercurii* cum talaribus & Caduceo efformatam quam ob ſingularitatem ſuo loco adibas.

Habes nunc meam, Amiciſſime *Oreſtes*, Talismatis, ſententiam, quam procul dubio, ſic gaudemus mutatam, & tuis argumentis amplius confirmabis, & ſtabilies. Permittes tamen, ut tibi referam non poſtremam ex rationibus, qua permotus ſum adhibendam artis Talismanicæ fidem. Equidem vero ſimillimam apud me probationem faciebant Gamahea à Philoſophis, & magis ſic dicta, puto lapides mineralia aut metalla, quæ influentiarum cœleſtium ſibi conjunctarum ſeu potius impreſſarum teſtes habent varias notas, figuras aut characteres, unde appellationem nacta ſunt à γαμον, id eſt conjugio ut explicat famoſus Anglus *Dee* Londinenſis, eo quod cæleſtes Planetarum virtutes cum terennis corporibus ſe quaſi nubendo conjungant, quod oriri dicunt quando radii ſtellarum in ſuis exaltationibus excidui ♀ lapides mineralia & metalla illis ſubjecta & quæ cum illis ſtellis ſunt ſymbolizantia offendunt ingrediun-

grediuntur, penetrant, & cum eisdem ſe uniunt, ſicque figuras ſigillaque illis imprimunt, quibus lapides & gemmæ non raro ſignatæ reperiuntur. In Metallis vero id rarius contingere volunt (ex ſententia loquor hiſce patrocinantium) niſi fuerint mortua hoc eſt à ſua ſtirpe avulſa. Metallum enim ad huc vivens ac victitans ſuæ ſtirpi inhærens, ſignaturam omnem repellit quam aridum ac porroſum recipit ac retinet quod quomodo intelligendum ſit, me acuratius explicabis, modo una comprobari poſſet influxus cœleſtes planetarios ita Phantaſiæ humanæ nutibus auſcultare, ut metalla ſua jam mortua ingredi iisque ſe copulare dignarentur. Quamvis enim vulgaris ſit Paræmia: Sapiens dominabitur aſtris, ejusmodi tamen poſtulatis fidem iſta ſimpliciter adhibendam eſſe non putem, quo circa de annulis conſtellatis & ſigillis planetariis quorum eandem quam Talismatum ſortem eſſe exiſtimo pluribus tecum colloqui Judico ſupervacaneum. Sed ut ante mihi ſolvas Juſtini hunc Gryphum quem præſentes claudam: *Si Deus eſt opifex & Dominus naturæ quomodo Apollonii τελεσματα efficaciam habent? nam & maris impetus & ventorum flatus murium beſtiarumque incurſus ut videmus arcent.*

A Te igitur ad haſce meas jam ſatis prolixas reſponſum exſpecto, quo proxime accelerato, rem præſtiturus es longa gratiſſimam. Vale. Ex Wieckinghovio Prid. Id. Octobr. MDCCXLI.

Digitized by Google

Epiſtola Reſponſoria V.

Numiſmatis Benthemico-Taliſmanici, uti omnium ſigillorum & imaginum Conſtellatarum Vanitatem *Pyladi* extendit *Oreſtes*.

Wickinghovium.

PErgrati mihi fuerunt eruditi Tui de illo Aſtrologicæ vanitatis ſignaculo, Benthemico Martis Taliſmate inter arcis mœnia quondam detecto & reperto communicati conceptus. Etſi enim ars Taliſmanica à genuinis Philoſophiæ ſectatoribus jam pridem ſit exploſa, utpote probo cuique ac prudenti merito ſuſpecta, ab humana tamen Curioſitate in tantum retenta eſt, ut etiam hodiedum de illa circulatoribus potius propria graves viri adhuc diſcurrere aut ſcribere non detrectent, cujus tu ipſe nunc præbes exemplum. Quid enim ars illa? Aſtrorum vires per hominis imaginationem ex cœlo ad terram in metalla deducit. Quo quid magis ridiculum imo inſaniæ proximum? Quando ſtatuitur planetas humanæ phantaſiæ obedire, hanc ad cœlum usque planetarium aſcendere, & virtutem inde ad metalla detrahere, quod quid aliud eſt, quam veram philoſophiam corrumpere, ſuperſtitionibus religionem inquinare, medicinam falſis alexiteriis adulterare, idolatriam fovere, polluere mores, cœlum infamare, hominis reddere miſeros & infortunatos, ut in libri de vanitate Aſtrologica præfatione ſcribit, illud ſcientiæ humanæ prodigium *Joannes Picus* Mirandolæ concordiæque Comes, qui de *Marſilio Ficino* vitæ cælitus comparandæ

randæ notiſſimo Autore, qui tot ejuſdem prorogandæ Taliſmata ex profeſſo docuit, fideliter teſtatur libr. 1. p. m. 283. eam non unquam fuiſſe hominis mentem, & cum eo familiariter uteretur, non habuiſſe quenquam, qui ad deteſtandam ejusmodi aſtralis vanitatis fallaciam eum ſæpius & efficacius adhortaretur, nec quoties unà facetiarentur, uberiorem ſibi occaſionem ſegetemque ridendi, quam de hac vanitate fuiſſe, præſertim ſi tertius interveniret *Politianus:* intervenit vero ſemper, omnium ſuperſtitionum mirus exibilator.

Si artis Taliſmanicæ ortum & principium ſcire deſideras, nemo illam ſyncerius, quam ipſe hic *Picus* detexit. Cum enim vidiſſent cœleſtium perſcrutatores, ſe interim eſſe inopes terrenorum, lepidam excogitarunt fallaciam, qua ſibi Principum animos obligarent, & ſuæ profeſſionis facerent amatores, quare commenti ſunt, ab aſtris omnium, ſed præcipue Principum fortunas dependere, liberos ſcilicet vitam, valetudinem, imperia, victorias, ſibi verò quod illorum diu motus & naturas, obſervârint, penitus cognitum & exploratum eſſe, quid cuique vel boni pollicerentur, vel adverſi denunciarent, tum præterea ſe ad manum habere remedia, quibus mala repellerentur, bona confirmarentur. Nam ſi felix hora notaretur, imagines ex materia quadam cœleſtibus illis naturis cognatiores poſſe conflari fingebant, ad quas miris machinamentis ab aſtris deducta virtus feliciſſimos faceret homines rerumque potentes, illarum tactu vel geſtatione, quidquid appeterent, facile conſequentes. Quibus rebus, quo plus fidei facerent, illud addiderant, revelata ſibi divinitus hujus artis

 ſecre-

Digitized by Google

ſecretiora myſteria, quemadmodum à potentiſſimo Mercurii numine & *Petoſirim* & *Æſculapium* accepiſſe quam plurima, legitur apud *Maternum*, tum vero Principes illitteratos & curioſos, & rerum, quas promittebant, appetentiſſimos, adductos facile, ut crederent & profeſſores foverent, & præmiis ſtudia hæc quotidie magis & magis excitarent.

Ex his facile Taliſmatis Benthemici originem conjicere poteris *Pylades* amantiſſime, nempe fuiſſe, dum antiqui arcis muri repararentur, artificem, qui benevolentiæ vel præmii captandi cauſa Comiti expoſuerit, promiſeritque caſtro futuram firmitatem imo inexpugnabilitatem, ſi ſignum ejusmodi conſtellatum martiale intra propugnaculi mœnia depoſitum ſervaretur.

Verum rogo, quo pacto defoſſus in muro nummus cœleſtes Martis radios aliorſum vergentes in arcis tutelam flectat atque derivet? quæ vis & naturæ poteſtas in Marte cœleſti planeta ad protegendam Benthemii arcem! quæ in imagine, quæ nullam habet cum ſigno ſiderio ſimilitudinem protectionis eſt virtus? audiamus reſponſum *Pici* Co-Comitis c. V. *Ego Aſtrologos delirare hic etiam nihil dubito, quoniam etſi ſtellæ, de quibus imagines fabricantur, & veræ & naturales ſint, ipſa tamen de ſtellis imaginum conſtitutio nec vera nec realis, ſed falſa proque libidine fabricantium penitus imaginaria & ſine aliqua ſpecie eſt probabilitatis.*

Imago viri gladio & galea armati laminæ ferreæ inciſa, quid habet ſimilitudinis cum planeta Marte? & quid cauſæ, quod ferrum tali potius quam alia figura, & imagine ſignatum depereant influentiæ Martis cœleſtes, & ad arbitriam & phantaſiam

fabri

ſabri illud ingrediantur, illi ſe perpetuo connectant & immaneant? certe hæc omnia vana & fabuloſa ſunt. Jam pono Talisma illud in felici conſtellatione Martis cum aliis ſideribus parari, jam valet argumentum, quod non ſubjungit auctiſſimus *Picus de Mirandola.* Quis ſtatim non judicabit, quod ſi magna eſt virtus unius ſtellæ, multarum in unum conſpirantium pariter non ſit maxima, ſed rediens ad ſe rationem nullam inibi eſſe videt, præter fictam à nobis conſpirationem, nam mixtio per coalitum ibi certe non eſt, quomodo igitur multæ ſtellæ coëant, in unam proprietatem & naturam, magnorum ſpaciorum immenſa vaſtitate diſtinctæ? quomodo convenient in unius imaginis effigiem, ut ex illis omnibus una ſit proprietas, cum tamen illa ſit pro fingentis arbitrio, hucusque *Picus*, merito igitur iſte a planeta Marte in ferrum influxus virtutis pro ingenii luſu eſt reputandus.

Si Nummi Benthemici conſtellati poſſeſſor es, fac experimentum: Sit hic Sclopeti tui ſcopus. Ejaculare in eum glandem, experieris, quæ in eo ſit reſiſtentia, quæ figuræ Martis ferro impreſſæ ad ſe ipſam illæſam ſervandam poteſtas, quod ergo in integritate ſe ipſum neſcit ſervare, quomodo arcis mænia tuebitur.

Dices ad reſiſtendum pulveri tormentario ſignum hoc non eſſe depoſitum, neque enim hic tempore reparationis mæniorum inventus erat. Ergo ſane arietibus & baliſtis reſiſtet? ſed probato, ne vel uni mallei ictui illæſus reſiſtet, quomodo igitur murum ab impetu arietis ferrati defendit?

Sed in contrarium affers experientias. Taliſmate nempe Parienſi ab urbe prohibitos ſerpen-

 tes.

Digitized by Google

tes, mures, & flammas, à regione Ægyptiaca crocodilos, è macello Neapolitano muſcas. Reſpondeo multa è magorum ſcriptis falſa memorâſſe Hiſtoriographos, multa ſub fictitiis Alberto M. Thomæ Aquinatis, & aliorum nominibus evulgata eſſe, quæ fidem non merentur. Teſtes ipſa tua Gamahia à te producta, quorum delineationes & picturas demens foret, qui ad cœlum ejusque aſtra referret. An etiam in planetis pingendi artificium? Notum lapides inventos, in quibus delineatus Chriſtus crucifixus. Vid. M. G. Cur. Decur. 1. ann. 1. obſ. 116. An hæc effigies à ſiderum penicillo? Taceo innumeras ejusmodi figuras. Unicam refero. Vidit Dominus de *Monconyſio* in Itiner. Turc. tom. 1. p. 314. in Bethlehem in marmore figuram monachi extenſi ſuper dorſum cum longa barba, & capite citicio involuto tam exacte factum, út ſit res omnium maxime curioſa. An & hoc Gamaheum? Etiam inſignia Auſtriaca in marmore inventa. vid. l. c. An hæc expreſſit ſiderum influxus? vide quam infirmo ſtet talo argumentum ex Gamaheis, quo putas probari ſtellarum in lapides & metalla influentiam.

Certe tota Doctrina de Gamaheis paradoxa & ridicula eſt, quam liber quidam chymicus inſcriptus: *Phyſica naturalis rotunda viſionis chymicæ cabaliſticæ* his, verbis proponit. Fieri ſolet, ut quandoque radii ſtellarum decidui (modo unius ejusdemque naturæ ſint) & cum metallis, lapidibus & mineralibus, quæ à ſummo ſuo ſtatu deciderunt, mixti in illa penitus ingrediuntur, & ſe cum ipſis uniant, unde Gamahea oriuntur, quæ cum iſta influentia ſeſe inſinuant, & ſignaturam à natura aſſequuntur. Hinc eſt quod ſuper lapi-

dibus,

dibus, lignis, metallis & gemmis variæ figuræ inveniuntur, quæ nihili æſtimantur, cum tamen nulla ſit figura, quæ non ſingularem habeat demonſtrationem & virtutem, quod eſt notandum: Sciendum quoque eſt nullos naſci Gamaheos, niſi ſubjectum eorum ſit terminatum & mortuum, hoc eſt conſummatum, & à ſtirpe ſua avulſum, ſed tamen nondum diſſipatum &c.

Hactenus anonymus ille ſcriptor ſeu potius nugator, qui dogmata tam paradoxa lectori vult perſuadere, nempe radios ſtellarum decidere, & in mineralibus, lapidibus & metallis habitaculum quærere, & hæc illarum virtutes recipiendi deſiderio teneri, & prius, quando mortua ſunt, ab iis ſignaturam & picturam accipere, quid poſſet excogitari magis nugatorium? Quare enim ille radiorum ſtellarium ingreſſus & unio varias rerum figuras, & non ſuas proprias imprimit? quid ſtellis cum cruce, cum monacho, aliarumque rerum ectypis negotii? Supponunt Philoſophi ſeptem metalla ſub- & ab influxu ſeptem planetarum cœleſtium generari, & ideo in ea ſympathicè influere, quod & ipſe nimium ipſis credulus adduxiſti, ſed hæc para- imò heterodoxa ſunt. Quomodo ergo, dum viridia ſunt & ſtirpi adhuc ſuæ viva inhærent, eorum deciduos radios non recipiunt & mortua duntaxat admittunt?

Verum linquamus nugas & ad ſigna Taliſmanica redeamus. Ad quæ olim, qui huic favent arti, ſerpentem illum æneum à Moyſe in deſerto erectum, ut qui à ſerpentibus ignitis percuſſi erant, ejus aſpectu in vivis ſervarentur, retulerunt, quod optime quidem juxta S. Scripturæ interpretum

mentem

Digitized by Google

mentem explicaſti, videris tamen, dum ſcribis Moyſem fuiſſe in omni ſcientia Ægyptiorum eruditum, ſtatuere hanc ſerpentis erectionem ejusdem fuiſſe inventum, quod tamen ſecus ſe habet, ut ex ſequenti ſacri codicis textu Num. c. 21. §. 8. pateſcit: *Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, vivet; Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Juſſit igitur ipſe Deus Moyſem ſerpentem hunc æneum erigere, & quidem tantum pro ſigno, quo viſo miraculoſe à Deo curarentur, non enim vim aliquam naturalem eos curandi habuit, ut fusè demonſtrat *Abulenſis.* Chriſtus ipſe ait fuiſſe exaltatum, ut ſcilicet per tota caſtra, quæ vaſtiſſima erant, facileque per ſex milliaria extendebantur, à vulneratis circumquaque videri poſſet. Congruum autem ſignum fuit ſerpens æneus, potius quam bos aut ovis, quia Hebræi morſi erant non à bobus vel ovibus, ſed à ſerpentibus iisque ignitis. Æneus autem colorem habet ignitum eſtque igne conflatus, *Rabbi Salomon* apud Lyranum dicit, in ſerpente non fuiſſe virtutem ſanandi, ſed aſpicientes ſerpentem recognoviſſe afflictionem illam ſibi à Deo juſte illatam, & petentes ab eo miſericordiam fuiſſe ſanatos, Hunc ſerpentem æneum in memoriam tanti beneficii Hebræi ſecum deduxerunt per deſertum in Chanaan ibique manſit usque ad tempora Ezechiæ Regis Judæ; qui eum, eo quod Numinis loco à plebe haberi & coli cœperit, confringi juſſit.

Probabo nunc ulterius Talismatum nullitatem & vanitatem. Si corpora metallica cœleſtes plane-

tarum

tarum irradiationes ac vires naturaliter attrahant, & intra ſe concludant ad effectus miros producendos, vel ratione materiæ, vel ratione formæ externæ, quæ ab artifice inducitur, aut ratione utriusque attrahent.

Non ratione formæ, diverſa namque figura ſeu per fuſionem ſeu ſculpturam illis inducta nullam proportionem aut convenientiam habet ad vim cœlitus alliciendam, cum figuræ aut imagines rerum ſublunarium planetis non inſint, adeoque per figuram illorum vires in ſubjecto ſublunari recipi aut retineri nequeant. Ridiculum eſt, uti in muliere pulchra facies illex eſt pertrahens juvenes in ſui amorem, ita credere hanc illamve metallo inductam ſculptura figuram virium cœleſtium magnetem & cuſtodem eſſe. Dein ipſa actio ſive ſit ignitio ſive fuſio ſive ſculptura, qua metallo imago inducitur, cum non ſit permanens, ſed tranſiens, quomodo retinaculum & permanentiam præſtabit ſpiritui planetario, præſertim cum & hujus Dominus Planeta conſtans non ſit, ſed novam ſemper mutationem accipiat? Porro figura metallo inducta ſolam ſuperficiem afficit, non pervadit eſſentiam, adeoque metallum, niſi antea viribus ſtellarum attrahendis aptum fuerit, etiam tale non reddet. Cum illa metallum nullatenus eſſentialiter immutet. Fas igitur eſt explodere poteſtatem prætenſam figuræ, cœleſtium virtutum quaſi paranymphæ.

Non ratione materiæ lamella ejusmodi Talismanica ſuſceptiva eſt influxuum cœleſtium ſi namque hoc verum, reddatur ratio, cur ſub illa planetæ ſituatione, non omne aliud, quod tunditur, funditur aut ſculpitur plumbum, aut ferrum, non evadat

evadat Talisma, cum in omnia æqualiter agat atque influat.

Non ignoro quid Talismatum, ſigillorumque conſtellatorum patroni reſpondeant, illorum virtutem non tam ex cœlo macro- quam microcoſmico, id eſt ex imaginatione operantis ſeu fabricantis fluere, unde *Helmontius* Tr. de magnetica vulnerum curatione §. 17. inquit: Irrita idcirco fuerunt ſigilla, quæ non à Mago in phantaſia ſua exaltato cuderentur. Quam ſententiam quoque ſovit *Marcus Marci à Kronland* Phil. vet. Reſtit. Part. 5. Sect. 2. ubi aſſerit. Quod attinet figuram ſeu characteres metallo inciſos, tametſi nullam ex ſe vim habet, neque ſimilitudinem cum figura planetæ aut rei iidem ſymbolæ, eam tamen recipit ex imaginatione intenta ſculptoris: ut ſi ſolis character, hoc eſt circulus radioſus incidatur, non abſque ſolis imaginatione hoc fit, neque dubitandum in eam rem, quam manibus verſat immorando, cum effluvio ſpirituoſo ideas ex intenſione mentis cauſatas immigrare & cum Archeo ejusdem ſocietatem inire permanentem.

Prô quam abſurda paradoxa! imaginatio intenta non tribuit Talismanii efficaciam, ut aut morbum curet aut alium effectum producat. Phantaſia namque humana extra ſuum ſubjectum, in quo hoſpitatur, non eſt potens naturaliter agere in ſubjectum, cum quo unionem non habet. Negari equidem nequit, Phantaſiam magi intentam & à Diabolo exaltatam fundamentum eſſe actionum Magicarum: ita Saga intenſa imaginatione & hoſtili affectu ſigillat imaginem de cera aut alia materia ad ſimilitudinem hominis, cui nocere intendit, fabri-

Digitized by Google

fabricata, ſed hic effectus Dæmoni ceu authori & effectori tribuentus, ſunt qui ſtatuant Dæmonem fidem pacti etiam mortuo Mago poſt plura ſecula, quousque nimirum manet illud ſignum, à quo vi pacti effectus pendet, ſervare inviolatam.

Sed apage Antiquorum Magorum Vaframenta, nugas & nænias, quibus certus ſum Te non ſubſcribere, ſed meæ inhærere Sententiæ, quam ſequentis Inſcriptionis includit compendium:

Delectent Naturæ & artis vera miracula,
Sed abſint ſuperſtitioſa Philacteria,
Annuli, Icunculæ, Sigilla, Taliſmanes.
Ad cœli vultus, ad aſtrorum influentias conſtellata.
Antiquæ Superſtitionis
Et falſæ Religionis ſacra & devota phantaſmata.
Hæc utut litteris, & numeris Myſticis
Certo dici tempore & hora ſculpta, & fabricata,
Et ſæpe exorciſmis, precibus,
Et Thyamate fumoſo confecta
Abominabilia ſunt & damnanda
Superſtitioſæ Credulitatis Morphomata.
A gentilibus quidem habita malorum averrunca.
Et certiſſima ſanitatis, fortunæ, victoriæ
Divitiarum pignora.
Sed nec umbram veritatis habent
Impoſturæ Magicæ
Et ſtulta levitatis inventa,
Nil niſi fabulas, nugasque aniles prodentia.

Non opus fuiſſet hæc tam fuſe ad Epiſtolam tuam reſpondere, potuiſſem namque Te ad Tractatum meum Tentaminum Phyſico-Medicorum de vita humana prolonganda anno MDCXCIX.

in

in lucem miſſum, & glorioſiſſimo Principi meo *Friderico Chriſtiano* inſcriptum & dedicatum remittere, in eo enim, quid de ejusmodi ſigillis ſub certo ſiderum vultu Conſtellatis ſentiam, cap. 3. Mentem meam aperui, ut nullam illis virtutem a ſtollis communicari fuſè oſtendi.

Accommodabis mihi nunc aures. Et veram tibi narrabo Hiſtoriam, ex qua quantum ſæpe ſit in ejusmodi conſtruendis ſigillis periculum intelliges. Sicuti & marte ſeu ferro, ſic quoque ex reliquis metallis Talismanes parari poſſe notum eſt. Præcipuam inter illa famam habet *Sigillum Salomonis*, quod ab Adamo, (cur id ab Angelo *Vriel*, in expulſione ex Paradiſo datum ferunt) ad ejus manus deveniſſe fingitur. Virtutes illi admirandas adſcribunt Hebræi, nempe quod ex collo ſuſpenſum omnes ſcientias faciles reddat, acre ingenium & vivacem memoriam conciliet, hominem fæcundum & gratum omnibus reddat, & à fulmine, ſubmerſione, incendio latronibus, feris animalibus, veneno omnibusque hoſtium machinationibus præſervet. Legerat id vir præclarus, non minus vitæ probæ quam fide digniſſimus, qui id mihi pro ſecreto retulit. Hauſerat ex manuſcripto arcano, id ex ſole, ſive auro, die & hora ſolis cum certis figuris, & variis inſcriptis Divinis nominibus eſſe conficiendum, quod igitur ita juxta deſcriptionem in cubiculo ab omnibus arbitris remoto ſatis feliciter, ut putabat, confecerat. Quo quidem ſic confecto audit ſibi clara voce admurmurantem hæc tria verba latina: *Quod vis habere!* qua voce ſummi exterritus, in conclavi namque erat ſolus, extra illud aufugit, & mali

genii

genii vocem ratus ſigillum mox deſtruxit. Vera narro ex ore viri probiſſimi, nunc in cœlum recepti. Putabunt fortè nonnulli, hanc vocem boni fuiſſe genii, & ut vocant, aſſiſtentis (de genie aſſiſtant, de quo curioſus editus eſt libellus) & male feciſſe ſigilli fabricatorem ad hanc quæſtionem non reſpondendo. Sed ego credo graviſſimam hanc fuiſſe tentationem mali genii, cum ſigillum illud Salomonis penitus ſit fictum à Rabbinis, & multa ſuperſtitione ac pacto implicito involutum.

Conjicio hiſtoriolam hanc à forti fabricatoris imaginatione fortaſſis ortam nullius apud Te eſſe momenti, ſicuti & ipſum Salomonis ſigillum ex auro licet in ſolis exaltatione paratum nullius ponderis, in quo me habes plane tibi aſſentientem; unde ſpero te meis argumentis convictum nummi Martis Teleſmanici impoſterum haud fore hyperaſpiſten. Ergo mecum concludes, non Saturni Taliſmanes ad divitias acquirendas, non Jovis ad Principum amicitias & gratias conciliandas, non ſolis ad Eruditionem comparandam, non Mercurii ad negotiationes & fortunas mercatorias aucupandas, non Veneris ad ſtratagemata amatoria procuranda, non Lunæ denique ad adminiſtrandam œconomiam magis proficere & eſſe adjumento, quam ad caſtri firmitatem & inexpugnabilitatem inducendam Martis Taliſma. Fabricetur adverſus peſtem amuleta conſtellata *Paracelſus*, adverſus Arthritidem & Podagram *Julius Riſtor à Prato* Florentiæ Monachus Carmelitanus, extollat nummos leoninos *Verulamius*, laudet conſtellatos *Gaffarellus*, ſcribat de prodigioſis naturæ & artis operibus Taliſmanes & amuleta dictis *Arpius*, omnia pro vanis phantaſiæ

ludibriis habenda eſſe concludo. Confer ſupra memoratam meam Decadem curioſam Tentaminum Phyſico-Medicorum. Vale Vredenæ. Nonis Novembris MDCCXLI.

Epiſtola Amœbæa VI.

De oſtento Pluviæ ſanguineæ.

Oreſti **Medico & Phyſico expertiſſimo Erotema de Cauſa Pluviæ ſanguineæ reſolvendum proponit** ***Pylades.***

Vredenam.

LEgeris procul dubio, quæ in prima *Monumentorum Monaſterienſium* Decuria in Additamentis ad Civitatem *Bucholdiam* de Pluvia ſanguinea Anno 1501. delapſa *pag.* 406. *ſqq.* laconice commentatus ſum, ubi de ejusdem cauſa naturali aut præternaturali judicium meum reliqui ſuſpenſum, quo circa viſum eſt hoc argumentum repetere, atque ejusdem à te ceu phyſico ſciſcitari cauſam. Judico namque ejusmodi pluvias nonnunquam videri prodigioſas & fatalium eventuum prognoſticas, ad quod collimare dixerim ſacræ Scripturæ Textum. Act. II. ℣. 19. *Et eadem prodigia in cælo ſurſum & ſigna in terra deorſum ſanguinem & ignem & vaporem fumi.* Quod etſi *Heideggerus* in Arnoldina Steinfurtenſi olim Profeſſor apud *Holtermannum* in Disputatione Marburgi Cattorum ſub titulo: *Aſtrologus Chriſtianus* &c. Anno 1681. habita de Cometis intelligere & explicare conetur, cum tamen ii vix coloris Sanguinei obſerventur, eidem aſſentiri nequeo, in mea ſententia confirmatus ſupernaturali illo prodigio, quando Ægyptiorum flumina non tantum

tantum, ſed & imbres in ſanguinem converſi ſunt, de quibus emphatice Vates Regius Pſ. L. XXVII. ℣. 49. loquitur: *Et poſuit in Ægypto ſigna ſua, & convertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent.*

Verum transeamus ad Patriam. Non uno loco ſanguinem per hanc Diœceſin pluiſſe referunt Annales. Anno 1546. *Dulmaniæ* materia ſanguinea guttarum inſtar è cœlo depluit, quæ in Oppidi vallo ceu coagulatus ſanguis aliquanto temporis ſubſtitit, ſenſim disparens. Simile quid accidiſſe ad caſtrum *Cretier* in Bucholdiæ agris narrat *Alpenus Vit. Chriſt. Bernardi Lib. VI. p.* 167. ad Annum 1671. ubi & ſanguinem de hyëme pluiſſe & in foſſis prædicti caſtri in gelu concretum, collectumque fuiſſe affirmàrunt, quod Belli famam per id tempus ac timorem valde auxiſſe perhibet, quamvis cautus hic ſcriptor potius exiſtimâvit, ſabulum fuiſſe petroſo è fundo ſcaturiens ob innatam rubedinem ſanguini haud abſimile, quod mixtura paluſtris aquæ concreverit, de quo latius in *Append. II. Additamentor. ad Monumentum Xmum* BUCHOLDIÆ *Sacrum* pag. 409. diſſeruimus. Quemadmodum quoque de foſſis dictæ arcis *Critier* liquore ſanguineo tinctis diſerte meminit auctor *Brevis Chronicæ*, ſive *Curſoris Nucleus Hiſtoricus* (*) Hamburgi Ao. 1676. impreſſus ad menſem Januarium *pag.* 6. addens: „Duesburgo ſignificatum eſſe ad dictam arcem „

 ſangui- „

(*) Des Couriers hiſtoriſcher Kern, oder kurtze Chronica der merckwürdigſten Welt- und Wunder-Geſchichten, welche ſich innerhalb ſechs nach einander folgenden Jahren, als von 1669. bis 1676. zugetragen.

„ ſanguine pluiſſe, eoque ſpatium terræ ad du-
„ centos paſſus apparuiſſe contectum, quem cu-
„ rioſi collectum varie transmiſerint. „

Saſſenbergam etiam inter & *Warendorpium* vicina hujus Diœceſeos Oppida imbres quaſi ſanguine tinctos magna copia agros inundaſſe, ac rubentes reddidiſſe Chronico Epp. Monaſter. in Vita *Franciſci de Waldeck* ad Annum 1542. annotat *Klinckhamerus.* Addens Anno procedente inſolenti ſiccitate afflictas fuiſſe agrorum fruges.

Sicuti integrum lacum *Borcken* aliquando rubeo ſive ſanguinei coloris aqua ſtetiſſe docent *Nova Litteraria Maris Balthici Anni* 1709. *menſe Jan. p.* 51. quale quoque phœnomenon in Haſſia Anno 1684. viſum, & Berolini Anno 1677. ubi à die 1. ad 7. Julii in foſſa munimenti aquæ rubræ vena ex fundo cubiti longitudine & craſſitie unius vel duorum pollicum ſcaturiit.

Sic enim ſæpe fallitur humana mens terrefacta metu futuri mali: Interim negari nequit aliquando pluvias, & rorem plane ſanguineum cecidiſſe. De hoc teſtatur Eggericus Beninga *Hiſt. Ooſt-Friſ. L.* 7. *p.* 833. §. 176. ad Annum 1556. quando apud Friſios Orientales delapſus ros ſanguineus aluminoſus adeo tinxit pannos & lintea noctu expoſita, ut à maculis ſanguineis expurgari non potuerint.

Mira ſunt de ejusmodi Meteorologicis naturæ Phœnomenis vulgi ratiocinia etiam quandoque ridicula. Interea habet hoc, experientia teſte, ejusmodi pluvia Meteorologica, ut non ſolum plebi, ſed &, qui prudentiores ſunt, terrorem, & ſiniſtrorum eventuum metum incutiat, cujus exemplum cum primis memorabile habemus recenſente dicto

Klinck-

Digitized by Google

Klinckhamero Chronico Epiſcoporum Osnabrugenſ. in Vita *Henrici* Epiſcopi Bremenſis nati Saxoniæ Ducis 1573. *die* 8. *Decembris* qua non tantum obſervata terribilis Lunæ Eclipſis, ſed quoque eadem nocte in Archi-Epiſcopatu Bremenſi aliisque locis terra ſanguine quaſi fuit cooperta, quod ita perturbavit prælaudatum Archi-Præſulem ut ceu fidelis ovium ſibi creditarum Paſtor ſubditos emiſſo publico Mandato ad pœnitentiam, & vitæ emendationem commoneſceerit, quod equidem tanti mihi eſt viſum pretii, ut ejus ceu rariſſimi copiam nullibi alias obviam DECURIÆ *Monumentorum Monaſterienſium* SECUNDÆ, Monumento DULMANIÆ Sacro integram inſeruerim, ex quo abunde pateſcit, quis fuerit apud prædeceſſores noſtros piæ ac timoratæ conſcientiæ de hiſce pluviis quaſi ſanguinolentis conceptus, non autem Philoſophi Phyſici ejusdem ſint ſententiæ, valde dubito. Quid enim prohibeat hos & ſimiles terræ rubeæ atomos, ſolis beneficio attractos, nubibusque recluſos, ac dein in pluviam reſolutos poſtea hic & alibi, pro ut nubes vento agitantur, in peregrinos late agros liquoris ſanguinei inſtar comparere projectos? Scio cauſas harum rerum naturales mihi objici poſſe non unas. Etiam Bruchos & locuſtas (ut terræ motus, bella & ſeditiones, aliaque ſine numero plura prætercam) Ægyptiorum agros depaſcentia inſecta naturaliter quidem cognita, attamen prodigioſo ſuperum nutu in pœnam terroremque peccatorum immiſſa fuiſſe. Quidquid demum ſtatuant alii. Ego ſane me perſuaſum non diffiteor, non quidem ſemper, ſubinde tamen ad monendum hunc vel illum populum has pluvias decidere, ut his perterre

factus mature pœnitens ad gratiam Dei ſe convertat. Velut ſubſecuturæ pœnæ perſentiſcat prænuntium; ut vix fallat illud Poetæ:

Nunquam viſum terris impune cometam.

Sic & vomitu furentis Veſuvii præter tot alia demiranda captum hominum excedentia, terram quoque adeo rubeam magna copia, quæ non vicinos modo, ſed per regionum intervalla diſſitos agros inſolita rubedine tinxerit, quamque naſutiores paſſim crediderint eſſe ſanguineam, olim ejectam fuiſſe refert famigeratiſſimus Arcanorum naturæ perſcrutator Jo. Jac. Jannichellius Tractatu, cui Titulus: *Conſiderationi di Jannichelli ad una pioggia di terra caduta nel Golfo di Venetia.* Integra caſuum prodigioſorum Volumina complenda forent, cui volupe aut animus eſſet eos tantum modo in unum conferre.

Diſputavit *Haſſiæ* ſub præſidio *Haraldi Valerii* Matheſeos Profeſſoris Regii *Alexander Cutonius* Colmurienſis de *Pluvia*, qua Diſſertatione XXII. ſaltem Theſes continente ſtatuit pluvias ſanguinolentas naſci, cum vapores pluviam conſtituentes exhalant è locis, ubi minii, & magna eſt rubricæ copia, unde in Armenia aliquando nix fiat rubicunda, ſed an tales Mineræ quid pluviis miſcibile contineant, & an effluvia ejusmodi ruborem imbribus & rori communicare valeant, exactius Phyſici judicent, non enim ad meum, ſed Jatro-Mathematicorum forum pertinent. Ipſe facile colligo, non tenere ſimile, quando in Armenia nix obſervatur rubicunda, & purpurea, non ita quidem ex aëre decidens, ſed ſolum rubicundum tangit, ea ratione nix nigra etiam appellari poteſt,

quia

quia in ſundum atrum delapſa, quales ſe fuligine obſitas nives vidiſſe teſtatur *Bartholinus* Tractatu de *Uſu nivis c.*64. inde tamen novi non faciendam concluſionem, quod nix ſanguinea de Cœlo delapſa ſit, ſed quod eo colore in terra fuerit imbuta. Hoc ſenſu *Silius L.*3, de Alpino Annibalis itinere:

Hic ſanguine multo infectæ rubuere nives.

Hoc modo etiam juxta Fretum Magellanicum in altiſſimis montibus videri nives cœruleas affirmat idem teſtis Bartholinus. Redeo ad pluviam ſanguineam, cujus generatio an pure naturalis ſit, an præter naturam prodigioſa, & futurorum malorum Belli, & Cladis index ex principiis Phyſico Meteorologicis mihi oſtendere non gravaberis; certe ſi viribus naturæ iſte debeantur, inter rara contingentia & prodigia erunt reputanda, ſi extraordinario Dei concurſui, non erunt ſine indicatione, & præmonitione, *ut det metuentibus ſe ſignificationem.*

Alterutrum neceſſarium erit, cum Deus & natura nihil faciant, fruſtra. Dari autem oſtenta futura portendentia, monſtrantia prædicentia plane perſuaſus ſum, quos Te quoque admittere nullus dubito. Quidquid ſit, non ſine numine Divum hæc terriculamenta ad agendum pœnitentiam hominibus oſtendi nemo ambigat. Huc præprimis facit locuſtarum agmen, *Rumoldo VIII.* Mimigardenſium Præſule ad fimbriam Seculi IX. totam hanc diœceſin miſerrimo ſpectaculo depaſcens, quas non tantum Crinitus Commeta, ſed & *ſanguinea pluvia* comitabantur, ſecuta vero eſt ſames maxima,

Digitized by Google

denique & peſtifera lues, de quo percelebris apud Chronographum patriæ hic verſus;

Tempore RUMOLDI *præ duro dente locuſtæ*
Demergunt ſegetem, ſemina dente vorant,
Ardet & in Cælo flagranti crine Cometa,
Et nova Lympha polo ſanguinolenta cadit.
Hinc horrenda fames, & rerum triſtis egeſtas,
Hinc fera proſternit corpora multa lues.

Huc omnino pertinent, quæ Kerſſenbrockius *Hiſt. Anabapt. MSC. Cap. I. p. m.* 148. de portentis & prodigiorum ſignis infauſta Anabaptiſtarum tempora præcedentibus adducit; *Viſus eſt,* inquit, *ex altera parte Urbis vir in aëre cruenta viſcera geſtans, & comprimens, è quibus ſanguis per digitum articulorumque rimas defluens in nonnulla tecta concidiſſe deprehendebatur.* Næ hanc ſententiam roborant *Prædictiones mundi conſtitutionum & tempeſtatum*, quas Guilielmus Gratarolus Bergomates medicus Phyſicus tanquam *certas & perpetuas* Ao. MDLVIII. Baſileæ typis edidit quaſi è Cathedra docens *p. m.* 52. Litt. S. *Sanguinis eruptiones atque effluxus a terra, vel pluviæ tales funeſtas clades, & ſæva bella portendunt.* Ejusdem commatis eſt, quod circa lapides idem auctor ſtatuit eod. Lib. *p.* 38. *Litt. L. Quos pluere, licet (ut pleraque alia) ex cauſis naturalibus contingat, quoniam tamen hæ cauſæ ſuperioribus conjunctæ ſunt, dira omnia ſunt, & maximas calamitates afferunt: Oſtenduntque hominum corda lapidea, & crudelitatem ac feritatem.* Ceſſo luci lucem mutuare, teque fatigare exemplorum copia. Nolim profecto hic quisquam temere alludat in

modum,

modum, quo plane inſolens & hactenus incognita cœlo Germanico Rheni ſiccitas vix navium patiens apud nonnullos prodigii loco accepta, refertur apud Tacit. *Hiſt. Lib. IV. Num.* 26. Ita ut, *quod in pace fors & natura, tunc* (Bello) *fatum & ira Dei vocaretur.* Tu interim, quid de pluvia ſanguinea ſentias, & num quid prognoſtici habeat, à te ſi intellexero, mihi nihil erit jucundius. Cura, ut valeas & per otium de hoc argumento mentem tuam ad me aliquando reſcribas, ex Muſæo Campeſtri VII. Iduum Aug. MDCCXXXVI.

Epiſtola Reſponſoria VI.

Erotema de Pluviæ Sanguineæ cauſa & prædictionibus à *Pylade* propoſitum reſolvit *Oreſtes.*

Wieckinghovium.

IN nuper communicata Diſſertatione Epiſtolica tua de Pluvia ſanguinea rem arduam à me exigis, in qua etiam fruſtra deſuderunt Viri doctiſſimi tam quo ad cauſam quam prædictiones. Alia quidem apud Gentiles fuit, alia apud Chriſtianos ex eadem præſagiendi ratio. Apud illos, ſi qui poſt pluviam purpuream ſeu ſanguineam ſequebantur fatales eventus, horum illam præſagam fuiſſe ſibi perſuadebant. Ita Romæ pluviam ſanguineam decidiſſe teſtatur *Dio*, quæ habita eſt necis Neronis poſtea ſecutæ prognoſticæ. Anno poſt urbem conditam DCXXVI. in Oppido Cœræ ſanguine pluit, qui putatur eventus terribilis poſtea ſecuti fuiſſe index. Ptolomæus Evergetes enim

ob nimiam tyrannidem regno eſt expulſus, cui in regnum ſoror & uxor ejus Cleopatra prius ab ipſo repudiata ſurrogata eſt: cujus dein filium mactavit, ac matri Reginæ caput crudeliter reſectum manus quoque ac pedes transmiſit.

Sceverus in memorabilibus Sueciæ c. 2. refert prope Ringſtoholonium guttas ſanguineas ex nubibus cecidiſſe paucos dehinc poſt annos Regem Birgerium, duosque ejus Fratres Waldemarum & Ericum teterrimo incluſos carceri fume & fætore interemiſſe, cujus tyrannidis impatientes ſubditi rebellarint, atque regno & throno eum exuerint. Ita pluviæ ſanguineæ phænomenon ingentis effuſionis ſanguinis prænuncium Ethnicos valde terrebat, quem tamen ſæpius fuiſſe timorem ſaltem panicum exitus docuit, ita Plutarchus refert, non ante ſed poſt cladem Cimbricam ſanguineam de cœlo pluviam decidiſſe, Magni tamen *Tullii* prudentius fuit judicium Tr. de Divinat. l. 2. n. 60. quod propriis ejus verbis huc apponere allubeſcit. At vero illa nos terrent, ſi quando aliqua portentoſa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur, quorum omnium ne ſim longus una ratio eſt. Quicquid enim oritur, qualecunque eſt, ut etiam ſi præter conſuetudinem extiterit, præter naturam tamen non poſſit exiſtere, Cauſam igitur inveſtigato in re nova atque admirabili, ſi potes, ſi nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuiſſe ſine cauſa, eumque errorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione depellito, ita te nec terræ fremitus, nec cœli diſceſſus, nec lapideus ac *Sanguineus imber*, nec trajectio ſtellæ, nec faces.

Pure

Digitized by Google

Pure igitur ad naturam ſeu cauſas naturales refert, quod ſæpe lapidum, ſanguinis nonnunquam terræ intendum, quondam etiam lactis imber defluxit. Interim tamen adhuc major apud Chriſtianos quam Gentiles terror eſt ex Meteororum inſolitis phœnomenis, quia fidem habent immediate talia à Deo ad præmonendos, & à peccatis avertendos homines contingere: ut ipſe quoque Henrici Ducis, Archi-Epiſcopi Bremenſis Exemplo confirmaſti, ita dum anno 1646. ſexto Octobris pluvia colore rubro tincta, indeque purpurea ab aliis ſanguinea dicta Brunellas irrigaret, hæc ut inquit *Wendelinus* admirationem omnibus, conſternationem plurimis, diſcurrendi copiam multis peperit. Neque dubium quin & hæc olim circa Bucholdium & Dulmaniam delapſa idem cauſarit. Præſertim vero, ſi peculiare aliquod phœnomenon concurrat, ut de ſtupenda pluvia ſanguinea, quæ ſigna paſſionis Dominicæ conjuncta habuit, ſcribit *Joannes Franciſcus Picus* Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes, de quo ad Maximilianum Auguſtum Romanorum Regem Carmen Epicum conſcripſit. Cujus ſtupenda phœnomena mox annotabimus. Hujus quoque commatis fuit pluvia in Suevia anno 1534. veſtes Crucibus rubris tingens, & in Belgio anno 1601. crucibus quoque ſanguinolentis veſtes etiam ciſtis incluſas, imo corpora humana ſignans, quod prodigium anno integro duravit. Singulari itaque elegantia *Picus* Mirandolanus per pluviam depingit:

Delapſa inſignia Cælo
Sanguinolenta Crucis.

Dein

Dein deſcribit populos, quibus illa viſa ſunt inter quos & ipſum Weſtphaliam ſic indicare videtur:

Eſt regio Europæ gelido ſubjecta trioni,
Bellaces habitant populi, quos Romula pubes
Vix domuit, toto quamvis dominarier orbe
Cæperit. Et Rhenus miratur & aſpera cæde
Romani tremuit quondam provincia Vari.

Scribit autem viſis hiſce crucis ſanguineæ myſticis inſignibus formidine territos effudiſſe lacrymas, imploraſſe veniam ſcelerum, nudis inceſſiſſe pedibus &c. qualis fuerit crucis color, ſic exprimit:

Minio color, & color atro
Nonnunquam ſimilis. Sacris mantilibus ipſi
Sanguineis rutilans maculis inſigno triumphi
Vidimus, actæo confuſum pene liquore
Punicco interdum fulgor certaverat oſtro.

Deſcribit homines tam Sacros, quam Prophanos utriusque ſexus & omnis ætatis:

A ſumma Cæſaris aula
Ad tenues vicos, ad dura mapalia ruris.

Scribit formidaſſe Senatorem:

Deductum ex æthere ſignum
Purpureâ exceptum tunicâ.

Et ſtupuiſſe *trito poſitum Centone Colonum.* Et miratum ſagi termato ſtamine militem:

Inſculptum mortis vitali à ſede trophæum.

Miratos ſimul expaviſſe Sacerdotes:

Celeri ſuper tectoria lapſu
Adventare cruces & lintea pingere.

Curioſe

Digitized by Google

Curioſe deſcribit molitorem polline aſperſum etiam rubro ſub tectis aſperſum imbre.

Olli per pectus, per crus, per colla, per alvum,
Sideriæ extemplo pingunt inſignia guttæ.

Cauſas hujus portentoſæ crucis per pluviam inſtillatæ allegat. Quod miſeros crucis veſana oblivio teneat, quod in bella & cœdes ruat ſitibunda cruoris diſcordia, quod lurida gliſcat ingluvies, & omnes diffuſa per artus ſpurca Venus, & infrænis amor lucri, & tumefacta ambitio, & ſcelerum omnium immanis colluvies.

Tandem hortatur ne incaſſum patiamur ſigna Myſtica Cœlo delabi & Chriſti:

Nil nobis prodeſſe necem patiamur amaram.

Ex quibus omnibus pateſcit, hanc longe aliam fuiſſe quam pluviam ſimplicem ſanguineam, nam

Effigies latè ſpectatur, ſpongia, flagra,
Viſuntur: tunica inconſutilis intima, Clavi
Cernuntur multo madefacti ſanguine telum
Quod ſacrum ſævo diſcrevit impeti coſtam
Pingitur.

Quæ ſtupenda Phænomena, ne quis in dubium vocet, addit:

Non ignota Cano, Cæſar monſtravit, & ipſi
Vidimus, innumeros prompſit Germania teſtes.

Talis pluvia certe myſterioſa & miraculoſa fuit, neque cauſas agnovit naturales, adeoque merito ad prodigia refertur. Quamvis quæ hanc ſecuta ſit in mundo calamitas, author ſileat, fortaſſis nulla, quod hiſce viſis præmoniti ad pœnitentiam ſe converterint.

Venio

Digitized by Google

Venio ad pluvias ex cauſis naturalibus ſanguineas. *Chifletius* ex ſpiritibus vitriolicis & vaporibus bituminoſis iſtam in pluvia purpurea Tincturam deducit. Notat enim ſaporem acidum in ea fuiſſe obſervatum, quem à Calcanthi effluviis vel ſolis ex vitrioli minera in ſublime raptis derivat. Sicuti igitur vitrioli in Decocto ſeu infuſo roſarum rubrarum exuberantiſſimum ruborem elicit. Ita quoque quod in pluvia eſt, ex halitibus terreſtribus ſulphur per ejusmodi Spiritus acidos in Tincturam rubicundam exaltari judicat, quod tamen refellit *Marcus Marci à Kronland* Phil. vet. reſtitut. Part. 2. Sect. 7. quamvis iſtum acorem in aqua pluvia admittat, non tamen ex mineris vitriolicis ſed ejusdem principiis eſſentialibus enatam, ſicuti experientia conſtat, aquam pluviam in acetum acerrimum citra ullius additionem mutari poſſe.

Putant nonnulli è ceſpitibus bituminoſis ſolis calore vapores educi, quibus Tinctura pluviæ ſanguinea debeatur. Experientia quippe docet, quid bituminoſam iſti pluviæ ineſſe, nam in deſtillatione reddidit Spiritum quidem mere aqueum, ſubauſteri tamen & vere ſpadani ſaporis, relicta in imo vaſis fuligine, quæ colore, ſapore & odore torffam ipſiſſimam ſeu bituminoſum ceſpitem retulit, unde dixerunt Tincturæ hujus ſeminium in ea latitâſſe.

Verum nec hæc ſententia *Chifletio* arridet. Statuit ergo acri ineſſe rationes ſeminales, quæ in hujusmodi fructus matureſcant. Ab expiratione vero terrea ceu fermento ad operationem incitari: ab hujusmodi enim illicibus cœleſtes fluxus trahi. ***Ita***, inquit, ***Pluvia colorem concipit rubicundum ab igne ſulphu-***

ſulphureo Solis, quemadmodum ea acceſcit à Mercurio, audiamus qua phraſi illud proponat. Omnia inquit colorum ſemina ſunt à ſapiente P omethei igne, hoc eſt, à ſole, in terram adhuc virgineam illata, atque inprimis coloris purpurei, unde etiam violis, tametſi natura ſua frigidis, quin etiam papaveri ſomnifico inſunt partes igneæ, à quibus ille color pyrodes. Quid ergo infert, prohibet, in nubibus pluvias à ſole rubeſcere? quæ non niſi ab eodem ſole in eam regionem ſubvehuntur.

Verum & hæc ſententia ſuos patitur manes; cur enim tam raræ ſunt pluviæ ſanguineæ, ut inſtar oſtenta recenſeantur? quam non frequentius ab igne ſolis ſulphureo excoquuntur, ut rubeſcant? Neque violis aut papaveri ſaporifero partes inſunt igneæ; A quibus color, ſed ſpecificæ ſeminum ſignaturæ ſunt, quas ſaltem ſolis calor in actum reducit. Neceſſe eſt exhalationes aqueas, ex quibus ordinarie fit pluvia, conſtare ex ſpecificis ſalibus ſulphureis extraordinariis (unde pluviarum iſtarum raritas, quæ à ſolis calore ſoluta & exaltata ſanguinis Tincturam in pluvia repræſentant. Unde aliquando non ſanguinei imbres, ſed aliquæ duntaxat guttæ ſanguinis decidunt, quas etiam bellorum præſagas facit Ovidius Metamorph. XV. ubi eleganter ſic canit:

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesque tubas auditaque cornua cœto
Præmonuiſſe nefas: Solis quoque triſtis imago
Lurida ſollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces viſæ mediis ardere ſub aſtris.
Sæpe internimbos gutta cecidêre cruenta.

Verum

Verum guttas cruendas in pluvia ex aëre deciduas non docent hiſtoriæ ingentis effuſionis ſanguinis fuiſſe prænuncias, ut neque pluvias cinerales locorum exuſtionem, carnium pluvias hoſtilem invaſionem, & pluvias lapidum indurationem hominum & obcœcationem in malo ſignificâſſe. Hæc enim omnia à phantaſia hominum ex metu orta interpretationem & ſignificationem nanciſcuntur.

Color rerum ſanguineus extraordinarius ſemper apud veteres inprimis Poëtas ſuſpectus fuit, & eorum vaticiniis anſam dedit, ut ſupra ex Ovidio patuit. Scribit Lucanus inter cœtera cladis Pharſalicæ indicia fuiſſe mare ſiculum repente colore ſanguineo imbutum his verbis:

Atra charybdis
Sanguineum fundo torſit mare.

Virgilius in cœde Polydori plantas cruore ſtillantes facit his Verſibus:

Nam quæ prima ſolo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur ſanguine guttæ.

Verum non iſtis, quibus quod libet ſcribendi eſt poteſtas, per omnia vides habenda. Syncerius multo *Tullius Cicero* l. 1. de Divinatione N. 23. ejusmodi phœnomena futurorum indicativa, quomodo eveniant lubens ſuam profitetur ignorantiam: *Quid quæris*, inquit, *Carneades, cur hæc ita fiant, aut qua arte perſpici poſſint? neſcire me fateor. Evenire autem te ipſum dico videre. Caſu, inquis, itane vero quidquam poteſt eſſe caſu factum, quod omnes habet in ſe numeros veritatis?* Et N. 35. *Non reperio cauſam. Latet fortaſſe obſcuritate involuta naturæ.*

naturæ. Non enim me Deus iſta ſcire, ſed his tantummodo uti voluit.

Fateor adhuc neminem ſcriptorum legi, qui ad meam ſatisfactionem cauſas pluviæ ſanguineæ naturales explicarit. Hoc vero mihi præ reliquis placet, quod nemo ſapiens credat ſanguine poſſe pluere, ut ſcribit Cicero l. 2. de Divinatione N. 58. audiamus ejus verba: *Sanguine pluiſſe Senatui nunciatum eſt, Atratum fluvium fluxiſſe ſanguine, Deorum ſudâſſe ſimulacra. Num cenſes his nuntiis Thalem aut Anaxagoram aut quenquam Phyſicum crediturum fuiſſe? nec enim ſanguis nec ſudor, niſi & corpore eſt. Sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime poteſt ſanguinis ſimilis eſſe, & humor allapſus extrinſecus, ut in tectoriis videmus, auſtro ſudore imitari. Atque hæc in bello plura & majora videntur timentibus: Eadem non animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu & periculo tum creduntur facilius, tum finguntur impunius.* Hic plura dixit, quam reliqui Scriptores omnes. Dum pluviam ſanguineam appellavit *Decolorationem ex Contagio terreno*, quod Commentarium mereretur.

Dicit Phyſicum non credere, quod ſanguis per pluviam decidat, & revera non credidit id acutiſſimus *Cardanus*, qui Tr. de Subtilitate l. XVI. ſcribit in Suevia Anno 1534. aërem infeciſſe veſtes cruce rubra, & id contigiſſe pulvere cum imbribus delato, formam vero crucis ob fila, quæ formam habent crucis, dum texuntur, apparuiſſe.

Non credidit Cl. *Antonius Deuſingius*, qui Tr. de fœtu Muſſipontano Sect. 2. de pluviis prodigioſis ad *Laurentium Strauſſium* in Academia Gieſſenſi Pro-

feſſorem ſcribit non raro ejusmodi pluvias vel fabuloſas exiſtere vel certe hallucinationem quamcunque ſubeſſe. Addit: Cruenta pluvia putatitia eleganter detecta à *Pereiskio* referente *Gaſſendo* in vita illius l. 2. p. 254. nimirum eſſe revera rubicunda excrementa papilionum aut ſimilium animalculorum ingenti nube volitantium. Hinc procul dubio guttæ illæ rubræ, quas refert tua Claritas in foliis arborum in veſtris oris copiosè repertas: ita maculæ ſanguineæ in linteis licet in arca reconditis à muſcilionibus & culicibus ſanguiſugis humorem, quem imbiberunt, cruetantibus referuntur à *Borello* cent. 1. obſ. 46. Colorem aquæ diverſimode mutari ob corpuſcula varia aquis admixta mirum nequaquam eſt, ac qua ratione ex particularum minutiſſimarum in liquore ſitu & poſitione varie mutatis color ipſe diverſimode mutetur, per exempla declaravimus in Exercitatione de Sanguificatione §. 105.

Hactenus *Deuſingius*. Verùm perſpicaciſſimum Mirandulæ Dominum *Picum* tam graviter atque enormiter hallucinaſſe, ut Muſcilionum & culicum excrementa pro Divinæ paſſionis ſignaturis agnoverit, & Carmine tum prolixo ad Maximilianum Auguſtum retulerit, haudquaquam probabile & credibile eſt, quocirca pluvias ſanguineas tum hyperphyſicas, tum naturales dari omnino credimus cauſis licet abditis evenientes.

Verùm exceſſi jam Epiſtolii fines, & puto ad quæſtiones tuas tibi ſatisfactum. Aliis igitur de ejusmodi pluviis uberius diſſerendi provinciam cedo. Tibi ſaltem in hoc argumento gratificari voluit. Vale. Vred. Prid. Calend. Octobr. MDCCXXXVI.

Digitized by Google

Epiſtola Amœbæa VII.

De Pane atrato Weſtphalorum a calumniis vindicato.

Oreſtis Judicio præcipuum Weſtphalorum Vitæ condimentum, panem eorum atratum (dictum *Pumper Nickel*) ſubjicit *Pylades*.

Vredenam.

DUbius aliquandiu hæſi, num primum de Pane atrato Weſtphalico, exteris gentibus admodum inviſo, aut de eorum potu pariter exoſo tecum agerem, & hunc aut illum à calumniis vindicarem. Primas illi ceu potiori vitæ condimento deberi & à me vindicati patrocinantis partes exigere exiſtimavi, præſertim quia cibum quoque ſolidiorem potui natura ſeu aſſumendi modo præcedere fert conſuetudo, & ſanioris jubet Diætæ ratio, quam præſente medico violare nefas judicavi poſſet. Panis igitur groſſus & ater Weſtphalicus hujus mei Epiſtolii objectum erit, ut quid de illo ceu extra Weſtphaliam natus & educatus ſentias, experiar.

Atratus Weſtphalorum Panis mirandi ſane nominis *Pumper-Nickel* habet Etymon origine obſcurum & hactenus apud pleroſque controverſum. Nobilis Anglus, qui longe lateque Germaniæ Inferioris oras peragravit, in Tractatu, quem appellat, PERVESTIGATIONEM GERMANIÆ &c. *The German. Spy* &c. Jam ſecunda vice cum Notis *Thomæ Ledyard* Londini Ao. 1740. editam Epiſtola prima, qua Diverſoriorum Weſtphalicorum incom-

moda refert, originem vocis *Pumpernickel* ſcrutatur, autumans per illud fruſtum panis per Sanctum *Nicolaum*, Scholarum præſidem, partum ſignari; Ut enim Venetiis habetur Divi *Marci*(*) panis, ita cenſet Weſtphalos jam olim habuiſſe *Nicolai* panem, per quem an Epiſcopum Tolentinum panis inter pauperes diſtributione famoſum intelligat, non facile hariolabor. Panem dari, cui à *Nicolao* nomen eſt, vulgo *Nickel*- ſive Nickolaß-Brobt, obſervat Cangius, addens, Auguſtum placentas ita appellaſſe à *Nicolao Damaſceno* ſibi exhibitos & donatos. Etymon vocis Brohdt eruderare non minoris videtur difficultatis. Veteribus Francis dicebatur Brot, Anglo-Saxonibus *Breod*, Anglis *Breed*, Alemannis Prot, Præcop. *Bræ*, Monaſterienſibus & Islandis Braud, Belgis & Weſtphalis Brood, Suecis *Bröd*, Boëmis *Gleb*, Cambris *Bara* &c. *Wachter* Gloſſ. German. voce Brot ex vetuſtiſſimarum Linguarum conſenſu nihil aliud denotare ſcribit, quam cibum Hebræis namque *baruth* eſſe cibum, Græcis *βρωτὸν* quodvis eſculentum. βρωτὺς cibus. βρωτίων panis furfuraceus. Heſychio etiam *βρώσιμα* eſculenta ſunt, unde cuncta à notione comedendi concludit *Wachterus*, hanc quæſtionem perquam erudite more ſuo proſecutus, quo me ad *Nickelium* feſtinantem remitto. Dolendum

---

(*) Hos *Bruckmannus* Supplem. ad Epiſt. Itiner. LXX. p. 4. 5. ad verb. *Marx-Brödel*, ſic dictos ſcribit: „ Quoniam die S. *Marco* dicata primum in templis „ cum ferme omnes urbium plateæ in acri annona „ cadaveribus humanis repletæ exiſterent, Supplicationes, vulgo Bet-Stunden, ad Deum fundere inceperit. „

lendum tamen, quod Auctor ille, ut obſcuriores quasque origines depulſis paſſim ignorantiæ tenebris propitia Minerva luci exponit, *Pumpernickelium* noſtrum prætericrit ſilentio. Interea noſtris humeris impoſitum erit ejus perquirere natales. Cui traditione dimicare fas eſt atque animus, antiquiſſima ſeſe undique inſinuat à Gallo quodam olim per Weſtphaliam iter faciente propagata, qui in diverſorio panem ejusmodi groſſum in menſa appoſitûm, atque atredinis cauſa reprobatum abjecerit, cum dicto: *C'eſt bon pour Nicle*, per quod mannum ſuum ſic appellatum intelligebat, quæ tamen Etymologia nonnullis amænioris literaturæ viris, quos inter *Zacharias Gözius* & *Jo. Georg. Eccardus*, noſtro ævo præcipui ſunt, neutiquam ſatisfacit. Non pigrabor utriusque argumentorum Achillem tolutim tibi exponere, quia forte nunquam Gymnaſiarchæ olim Osnabrugenſis Schediaſma *de Pane Weſtphalico* typis editum oculis uſurpaſti:

I. Quod demonſtratum non ſit, Gallos equos ſuos vocare *Nicle*. Cum de eo Gallis apud Osnabrugenſes degentibus nil conſtet.

II. Quod ſic vox *Pomper-Nickel* componatur ex duabus vocibus Gallicis *bon* & *pour* & una Germanica *Nickel*. Quo circa

III. Cum D. *Jo. Georg. Eccardo* aliam conſtruit Etymologiam: Antiqui nempe Ævi Sacerdotes & Sæculares Canonicos ſecum aluiſſe ſervas, coquas & mali moris œconomas ſub ſpeciali titulo *Neptes*, **Nichte, Nichtegen, Nichtelgen**, quas plebs Clero infenſa appellarit *Nickel* & *Nickelgen*, ut indicarent ejusmodi femellarum ſeu meretricum

conditionem, Germanica enim illa verba *Strube-Nickel*, *Sau-Nickel*, *Schwein-Nickel*, *Schand-Nickel* termini ſunt hirta illota & ſqualida ſcorta deſignantes, unde

IV. deducit *bon pour Nickel* ſignificare panem illum ſurfureum atrum bonum eſſe pro coqua, ſterquilinio, quod Terentiani vertere ſoleant *Miſtfinck* pro cineraria & ciniflone *Aſchenbrödel*, *Aſchenpüſter* &c.

Has aliasque ejus furfuris olim nugas ab Eccardo mutuatus eſt *Gözius* ex Schediaſmate, cui Titulus: Gründtliche Unterſuchung eines Caroliniſchen Schenck-Brieſes *pag.* 65. quibus mireris, quod ſubſcripſerit *Gözius*, in peculiari Schediaſmate pro Exercitio Scholaſtico propoſito, in quo tamen inter alia ejus elogia refert panem hunc Weſtphalicum facere ad ingenii & judicii cultum, ſe autem Mülhuſa-Thuringum integros quidem jam quadraginta & duos in Weſtphalia conſumpſiſſe annos, ſed panem iſtum laudatiſſimum nunquam ſuum concoquere aut ferre potuiſſe ſtomachum. Nil ergo mirum, quod ob defectum iſtius commeſtionis effectu non dicam mentis & ingenii, ſed ſententiæ ſubtilioris non fuerit donatus, ut rectius ſive ingenioſius de pane hoc ferret judicium. Næ omni ævo groſſior hic Pumpernickelius pati debuit ſarcaſmos. Notum eſt illud *Lipſii: O qualis regio, in qua homines coguntur comedere terram*, quam panis hic atredine refert. Fingunt alii Weſtphalos cæcutire, & hoc propter panis groſſioris eſum, quibus tamen egregie reſpondet *Rolevincius*. Sed illum pridem *Domanus*, ſpeciali Apologetico tum & *Winckelmannus* dignis modis vellicarunt.

Role-

Digitized by Google

Rolevincius vero egregie ceteris reſpondit de *Laud. Weſtph. p. m.* 125.

Weſtphali
Alii boni, alii mali,
Sicut tamen in gratia principali,
Magnis oneribus videas onuſtos,
An, quia patrius panis reddit robuſtos?
Eos cæcutire eſt commentum.
Hodie unus oculus Weſtphalicus acutius videt,
Quam alii centum.

Longum foret panis patrii recenſere laudatores. Cumprimis ſiliginei atrati noſtri præconem egit PARNASSI CLIVENSIS non incelebris Auctor inſignem illi præ triticeo dans prærogativam *Part. II. p.* 44. *Nro. XLIV.* cujus quoque commatis eſt Diſtichon, ut & illi ſubnexum elogium, quod idem Poëta *ead. Part. II. p.* 144. Nro. CXXI. *Bompourniquelio* noſtro concinnavit:

Fidos, conſtantes, robuſtos & ſapientes,
Servitio, ingenio, corpore, mente facit.

Groſſior hic panis, inquit idem Auctor, *veteribus audit* Coliphium, *id eſt robur membrorum, Neotericis alimentum medicamentoſum, propter ſingularem, qua pollet, virtutem, aliis panibus non conceſſam; præbet enim copioſiſſimum empyreumaticum & inflammabile oleum, tanquam activum principium naturæ noſtræ & mixturæ ſanguineæ conſentaneum. Durus etiam, firmus & rigidioris texturæ panis eſt, hinc minus corruptibiles generat ſuccos, intemperiem humidam emendat, alvum ſubducit, ſpiritus refocillat. Et quia perpetuum eſt corporis ac mentis commercium, è ſolido iſthoc*

alimento animorum quoque fidelitas, ingeniorum & morum conſtantia, nec non ſolidum in rebus gerendis judicium naſcitur. Propter quam corporis & animæ præſtantiam non tantum ad famulitia, ſed etiam Eccleſiæ & Reip. gubernacula in peregrinis locis præ indigenis plerumque adhibentur Weſtphali.

Mirarer ſane, ſi forte Erdw. *Brownius* aliquando guſtaſſet panem noſtrum patrium, an non eodem palati virtutisque, favore eidem gratificaturus fuiſſet, quo olim decoravit Hungaricum, ceu omnium *totius Europæ exquiſitiſſimum* ſtatuens. Adeo usque, ut hauſtui vini eundem adhibens ſeſe tanquam lautioris, ſed cum aqua pura illo veſcens, ſat commodo prandio (vid. *Itinerar.* *p.* 90.) perſæpe refocillatum ſenſerit. Intera haud facile reperias præter *Gözium* & *Eccardum*, qui atrociori ſatyra hunc panem ſubegerunt. Eſto ſub iſta temporum iniquitate cum *Lutheri* & *Calvini* invaleſcebant dogmata, Eccleſiaſticos paſſim, & impune quidem ſuas aluiſſe, agapetas, vix tamen probabile illos Amaſias iſtas pane groſſo, atro, furfuraceoque paviſſe, ut vel hic ſuum inde ſortitus fuerit cognomen, docente experientia, amori, præcipue illicito id eſſe penitus contrarium, potius in uſu neptulas illas tenerrimis affectionis demulcere formulis. Potius *Amicas* ſuas, *Corcula*, Animulas, *Cygnulos*, *Columbulas* & neſcio quibus popismatis ſalutare, quam Sau⸗ & Schindt⸗ *Nickeli* easdem compellando aggredi, illas præſertim, quas, eheu dolor! uxorum loco, non tanquam proſtibula habita ac publice paſſim reputata honorataque fuiſſe conſtat. Ea, inquam, temporum

porum calamitate, quando ſcortorum eo proceſſerat, impudentia, ut Clerus putidiſſimum hoc uxorum genus *Præpoſitiſſæ*, *Decaniſſæ*, *Scholaſticæ*, *Cantricis*, *Cuſtricis*, Cellerariæ, *Paſtorinnæ* & id Commatis aliis primariis Dignitatum connotatis diſtingui coli que voluerit tam publice quam privatim. Atque ab hac labe Weſtphaliæ cumprimis Diœceſes non immunes fuiſſe nemo, niſi in Patriis Faſtis hoſpes ignorat, quando & ipſos præſules abs hoc Agapetarum connubio abſolutos fuiſſe ingemiſcimus.

Hoc quidem & *Gözio* noſtro dandum eſt atque Eccardo â Secularibus putridam hanc Focariarum Cleri fæcem *Sau- Schand-* & *Schind-Nickeliarum* aliisque his conſonis, nec indignis tamen, elogiis fuiſſe notatam.

Nunc propius inſpiciendum eſt *Gœzii* argumentum. Gallicæ Linguæ, ni fallor, ignarus confundit Gallicum illud *Nick* & *Niclas* cum Germanico *Nickel*: Illa non hac denominatione equum ſuum indigitabat Gallus. Quid enim illi peregrinanti innotuerat de infami iſto Vocabulo, quo putatitias Clericorum Neptas vulgus indicaſſe perhibet.

Quidquid horum. Non, ut prætendit *Gœtzius*, ex duobus vocabulis Germanis & uno Gallico illud *bon pour Niclé*, ſed ex Gallicorum triade componitur; *Nickel* enim Germanicum, & *Nicle* Gallicum etſi ſcriptione, expreſſione tamen haud differunt. Et licet Germani, Weſtphali præcipue equos ſuos hodie paſſim non *Nickel*, ſed *Liſke*, *Docke*, *Bleſſe*, *Schimmel* &c. &c. allocitent, an inde ſequitur Gallicum ſuum equum non *Nicle*

appellaſſe? Poſſideo jam a multis annis Caballulum Sylveſtrem ab indolis virtute roboreque celebrem, *Nickel* nominatum, ad quævis agriculturæ atque œconomiæ obſequia paratiſſimum. At quid juvat meum allegare *Nickelium*? Jam a longo ævo hoc Caballis inditum fuiſſe nomen non ignorant vocabulorum ruminatores. Jo. Georg. Wachter Gloſſario German. *Nickel* equum pumilum & meretriculam interpretatur, ſimulque vocem: *Nacke* Germanis & Britannis equum denotare obſervat, cujus diminutivum *Nickel*, quod primo equum parvum, mox etiam ſcortum vulgare, quia quemvis ſeſſorem admittat, ſignificet, ob eandemque cauſam apud Anglos quoque *Hackeney* ab equo ad proſtibulum transferri autumat. Me judice plane audiendi non ſunt, quibus volupe eſt Romanorum ætate Weſtphaliæ Bructeros occupantium accerſere natales, quaſi qui ſamentes atratum panem apponentibus renuentes manibus pedibusque reſponderint: *Nibil! Nibil!* Potius Gallos panis noſtri cognomentum a Ly *Nique* derivaſſe concederem; Equidem a *Nickname* illis *un nom de nique*; *Un ſobriquet* idem eſt, quod Teuthonibus ein Bey- oder Zu-Nahm; Anglis *a Nick-Name*, Weſtphalis Nanam. Utut hæc ſe habeant.

Etſi groſſus hic Weſtphalorum panis probabiliter ab iſto Galli ſellariolo denominationem acceperit, non tamen pro animali hoc, ſed rationali præcipue inſervit, licet quoque ſonipedes illi Trepedarii eodem perlubens veſcantur. Eat *Plinius* & panem ex ſiligine confectum multa ſeveritate *Lib*. 18. *C*. 16. poſtulet eſſe deterrimum, & tan-

& tantum ad arcendum famem utilem, nigredine triſtem, pondere præcipuum. Veriſimile tamen eſt Weſtphalicum hujus notæ panem Plinio nunquam viſum, nedum guſtatum. Per multa ſecula Romanos panem penitus ignoraſſe teſtes ſunt *Valerius Maximus Lib.* 2. *c.* 1. Plinius *Lib.* 15. *c.* 11. Piſtores namque Romæ fuere nulli, niſi belli Perſici tempore annis ab Urbe condita ſuper DLXXX. qui ante Chriſtum natum fuit centeſimus ſeptuageſimus tertius. Pulta ad ea usque tempora priſcos Romulides victitaſſe eodem Auctore certum eſt. *Lib.* 18. *c.* 8.

Plinio tamen panem hunc non penitus ignotum fuiſſe ex *Lib.* 19. *c.* 4. relatis colligas, ubi multas facit in pane diſtinctiones, alium *procerum*, alium *vulgi* appellans, & hujus quidem tot genera, quot plebis infimæ ſpecies recenſens. Inter hæc *Confuſaneum* gradu tertio collocat, cui vel floris nihil vel furfuris detractum eſt. Cum quo maximam Weſtphalicus noſter affinitatem habet. Furfuraceum quarto loco recenſet, qui furfuris plurimum, farinæ vero exiguum tenet, à Plauto proin *panis ſordidus* appellatus. Certe hoc pane longe præſtantior *Weſtphalicus* noſter, ut & illo, qui apud Norwegos teſte Thoma Bartholino Tr. de *Cibis Danor. p.* 304. ex abietis corticibus depſitur, quamvis placenta, ex corticibus arborum compingi tenuiſſimas, easque longiorem ætatem ferre, quam panem biscoctum idem auctor fidem faciat, quod nemini mirum videbitur; neque enim arborum cortex tam facile, ac farina, ſitum verminationemque contrahit. In aliis firgidioribus Boreæ Regionibus panis ex glandibus, corylo & fago meliori

meliori ſorte *cordicalem* ſupplere doceor eodem Auctore.

Melior igitur fortuna eſt Weſtphaliæ, cui ex ſiligine, hordeo, avena panem pinſere concedit ſoli polique ingenium. Præſertim cum bene nutriat, & facile per alvum ſuperflua demittat, licet etiam illi diligenter colatus coctusque tum cribro poratus ex ſecali panis, triticeo vix cedens non deficiat. Profecto hic adeo nonnunquam candicat, ut illo haud facile expectaveris melorem.

Elogia quæ patrio pani tribuit *Gœzius*, laudem merentur, inprimis *quod ad Judicii cultum ac incrementum faciat, & ab illecebris & cupiditatibus deliciarum earum, quæ corpus animumque virilem effæminant, abſtrahat, quin potius corpora animosque obfirmet & ad virtutem roboret.* Sed amabo, quomodo hæc cum Clericis pane hoc ingenium augente, à voluptatibus effæminantibus abſtrahente, corpus animumque ad virtutes obfirmante & roborante veſcentibus, & tamen Venereis deliciis cum ſcortis ſuis indulgentibus congruunt? Idem Auctor ſcribit robuſtiſſimos Weſtphalos tres pugnaciſſimas *Vari* Legiones obruiſſe & proculcaſſe, & terrorem iſtum Germanorum *Druſum* in pugna excuſiſſe, hoc pani Weſtphalico deberi aſſerit, eo quod plus in illo ſit virtutis, quam in ceteris panibus. Addit Weſtphalos clariſſima, apud Liviones virtutis animique roboris ediſiſſe ſpecimina, quorum nomina ad hunc usque diem in ampliſſimis Livoniæ partibus ſint præclariſſima, atque hoc ideo factum judicat, quod ut Athletæ prandentes comederint Coliphia, ſive atratum panem. Cujus tamen nullam reddit rationem.

Digitized by Google

tionem. Sane docet nos Textus Sacer *Iſaiæ* c. 3. in pane & aqua magnum eſſe vitæ ſuſtentandæ robur: *Ecce enim Dominator Dominus Exercituum auferet à Jeruſalem & à Juda validum & fortem: Omne robur panis & omne robur aquæ.* Quo collimat illud Regii Pſaltis 103. ỳ. 16. *Ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Tu vero ratione Phyſica hæc illuſtrare non intermittas.

Præter atredinem inſolens in pane *Weſtphalico* exterarum gentium oculos exercet & pondus & magnitudo, centum pondium & ſeſqui pedalem, imo, quis neſciat duobus tribusve pedibus offendi oblongum? Quales jam antiquitus quoque notos fuiſſe ex *Plauto in Bracch.* diſcimus *Act.* 4. *Sc.* 2.

Comeſſe panem tris pedes latum potes.

Qui formam atrati panis quadratam, eamque oblongam, tanquam ruditate inconditam, vel inſolentia nauſeantem, ne dicam monſtro haud abſimilem arrodunt, illi quidem vel ignorantiæ ſacrarum Litterarum, vel contemptus divini Inſtituti reatum ſubeant neceſſe eſt. Equidem ſpecialis Myſterii documento hanc formam ex præcepto Veteris Teſtamenti olim ſacram fuiſſe omnino docemur. Neque vero rotundi ſive Orbiculares, ut paſſim fert Chriſtiarorum interpretatio; ſed juxta unanimem Judæorum fidem Traditionemque *oblongi* fuerunt, & quidem *quadrato oblongi*, ita ut longitudo ejusvis panis eſſet palmorum decem, latitudo palmorum quinque, altitudo vero digitorum ſeptem. Quanquam palmum quatuor digitorum

rum menſuram non excedere ex nomine Παλαιστης ſtatuant LXX. Interpretes. De quo Conſule Chr. Lud. *Schlichteri* Librum ſingularem *de Panibus Speciẽrum Part. I. p.* 28.

Profecto Groſſiores Weſtphalici noſtri ejus notæ virtutisque haud ſunt, quos *Æſop. Fab. Lib. VI. C.* 1. pueris demulcendis commendat, inquiens: *Date puero Panem, ne ploret*, utpote ad cujus potius conſpectum exterrefactus plorare inciperet. Sane *Æſopus* dulcioris farinæ formæque paniculos, eosque varii generis figuris & animalculis inſignitos intellexerit, qui pueros compeſcant. De quo Arnobius: *Ut parvuli puſiones, quo animis parcant, abſtineantque ploratibus, paſſerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare ſe poſſint.* Sed hæc per parentheſin &c. Politiorum porro gentium palatum nauſeat farinaceam noſtrorum panum maſſam plurimis Weſtphaliæ in locis pedibus non manibus tractari, conculcari, quo demum aptetur piſtorio furno, quem morem Indis & Ægyptiis apud Strabonem *Lib. XVII. Geographiæ p.* 823. familiarem communemque feciſſe legimus, quod & illud Herodoti confirmat: *Ægyptiorum eſſe lutum manibus tractare, maſſam vero, ex quo panis fit, pedibus.* Verum hæc non tantum apud Weſtphalos, ſed etiam Batavos invaluit conſuetudo. In nobilioribus Hollandiæ Urbibus, ubi piſtores paſſim tam panis groſſior domeſticus quam tirticeus pro quavis familia emitur, maſſa farinacea à piſtorum famulis perſæpe ſat ſordidis, utinam non aliquando lue clandeſtina infectis, pedibus calcando mactatur. Siquis autem interrogaret, quare tantos molis panes pinſitet Weſtphalus, nunquid

Digitized by Google

quid illi reſpondendum judicares, quod quondam curioſo ſciſcitatori hujus gentis non nemo: *Quia plus farinæ ad horum confectionem adhibent.*

In laudem *Pumpernickelii* prolixa, quod poſſem, Oratione excurrere huc minime pertinet, præſertim quod idipſum ſatis ſuperque præſtitum ſit a quam plurimis. Sufficiat in Weſtphalia noſtra nihil deeſſe eorum, (ut inquit *Tuldenus Hiſt. per Europ. Lib. I. p.* 12.) *quæ uſui ſunt vel ad veſcendum, vel ad bene beateque vivéndum.*

Sed antequam finiam, in tranſitu tibi in memoriam reduco famoſum illud ac Metallurgis adeo celebratum *Kupffer-Nickel.* Fæces eſſe easque vultureæ indolis, utpote Arſenico imbutas præter alios docet *Magnus de Bromell* Minerologia & Lithographia Suecana *Cap.* 10. *p.* 115. Verum cum ſimul originem vocis nobis non exponat, Metallurgorum gentem de ea adire foret operæ pretium, quin enim aliqualem cum Pumper-Nickelio inquilino referat affinitatem, peræque non dubitamus. Tu quidem Vale. *Wickinghovii* VII. Kalend. April. MDCCXLII.

Epiſtola Reſponſoria VII.

De pane groſſiori & atro Weſtphalorum,

Cujus Peramando *Pyladi* ſuo.

Moralem & Phyſicam Analyſin ſiſtit *Oreſtes.*

Wieckinghovium.

AD amicas Litteras tuas de pane atro Weſtphalorum *Bonpournikel* dicto, de cujus Controverſo

troverſo nomine diſputas, Amœbæum accipe reſponſum. Hujus quando incœperit uſus, non eſt facile determinatu. *Tacitus* namque mores Germanorum antiquorum & victûs rationem ſatis exactè deſcribens illius nullam facit mentionem. Narrat lac & carnem crudam communem fuiſſe illorum cibum, panis tamen non meminit, indicio apud veteres Saxones illius formæ & ſtructuræ panes in uſu nondum fuiſſe, alias id veluti memoratu dignum ſilentio non præteriiſſet. Quod etiam eo magis eſt probabile, cum primævi *Weſtphali* molendinis & comminuendæ ſiliginis machinis tritoriis caruerint. Nempe quia nondum panem hunc groſſum comederant, ex quo juxta poſtulatum *Gözii* potuiſſent fieri ingenioſi, inventione hac deſtituti ſunt; Poſtquam verò ſcientiam pinſitandi & excoquendi panes à Romanis in Weſtphaliam advenis edocti ſunt, introducta tandem frumenti in pollinem redigendi artificio ex eo ſic groſſe ſaltem & ruditer comminuto nec ob Cribrorum ſeu Secerniculorum defectum à furfure ſeparato iſtam panis decumani ſtructuram & compagem felici genio invenerunt, vel etiam à populo Romano didicerunt. Nam *Verrius* apud *Plinium* author eſt, eundem pane è frumento furfuraceo per trecentos annos uſum fuiſſe. Erant autem veteres Saxones ſtatúra magni ac lacertis fortes, unde corporibus ſuis & panem magnum & ponderoſum deberi recte judicabant. Quorum ſtomachus per tot ſæcula carnibus etiam crudis digerendis erat aſſuetus, facile una furfures conſumere poterat. Populo olim moribus rudi non niſi rudis panis conveniebat, qui tamen poſtea compertus eſt ſatis ſapidus, &

bene

Digitized by Google

bene nutriens, imo eâ valere prærogativa, ut ſint qui putent, quod Weſtphali in tam politas abeant, ubi dedolantur hominum ſtatuas, id ſoli huic nutrimento deberi, quod verius eſſe judicaverim, quam quod groſſo huic pani illa contra Quintilium Varum & Cæſarem Germanicum victoria, & felix in Livoniam transmigratio, ut *Gözius* ſentit, in acceptis ſit ferenda. Weſtphalis magnæ ſunt Diotæ, grandes cululli, & multis quidem in locis ex ligno, olim rudi, nunc eleganter dedolato, quibus egregiè ſiti occurritur, cur non ament panes majores quibus fami?

Alia quoque furfuris non factæ ſeparationi ſubeſſe poteſt ratio politico-œconomica, quæ & forte hunc panem adhuc hodiedum commendat. Ubi enim ob frumenti inopiam annona ingraveſcit, quis neſcit ex furfuribus non ſeparatis aucta panis mole optimum publicæ fami præſtari ſubſidium? Nemo ſane ſibi imaginetur in pane furfuraceo nil nutrimenti contineri. Profecto plus quam in alio quocunque pane experientia & deſtillatio non ſemel inſtituta me docuit, utpote quæ plus olei & ſpiritus ex illo, quam quovis alio ſuppeditavit ad uſus in medicina non contemnendos, & hactenus arcanos, de quibus fuſius tractabit *Artographia mea Spagyrica.* Vid. Hiſtoria Bibliographica mea.

Quomodo antiqui Weſtphali panem hunc veteri idiomate denominarint, non conſtat. Fert autem traditio, forte Gallum transiiſſe Weſtphaliæ oras, cui fuerit ab Hoſpite oblatus vernaculus hic panis, qui ore delicatiori eum reſpuerit, & equo devorandum dederit cum dicto: *C'eſt bon pour Nicle,* & ſic ab equo eum eſſe appellatum. Quæ

Etymologia cum *Eccardo* & *Güzio* viris alias clariſſimis non placuerit, eam potius ab infamibus Clericorum proſtibulis Nickel vocatis derivârunt, quæ ſcommata & ſarcaſmos in erudita Epiſtola tua ſufficienter refutâſti. Cui ſententiæ Tuæ pariter ſubſcribo cum viris aliis doctiſſimis, etiam Gallis. Duo Patres Religioſi ex familia S. Benedicti ex Congregatione Pariſienſi S. Mauri Anno 1718. à ſuis ſuperioribus in Germaniam ad viſitanda ſui ordinis monaſteria pro colligendis celebrium Bibliothecarum analectis miſſi, dum in Weſtphalia Abbatiæ Verdenſis, Leisbornenſis, Marienveldenſis, Corbeienſis Bibliothecas viſitaſſent, inter alia curioſe viſa quoque memorant ſe quoque ſpectaſſe illum panem, de quo ſcripſit *Lipſius*: O qualis regio, in quo homines coguntur comedere terram, illumque ipſum eſſe, quem Weſtphaliam peregrans Gallus ſibi in menſa appoſitum averſatus dixerit pro ſuo equo, quo vehebatur, & quem Niclé, & NB. non Nickel appellabat, bonum eſſe: *C'eſt bon pour Niclé*, quod Galli ut Nickel exprimunt. Vid. Tractatus Pariſiis in 4. apud Montalantium impreſſus ſub titulo: *Voyage litteraire de deux Religieux Benedictins de la congregation de S. Maur.*

Mittam igitur iſta convitia & pani Weſtphalorum groſſiori debita Elogia tecum deferam. Nam alias, exceptâ hac inepta denominationis Explicatione laudati Duumviri de pane hoc atrato & bene ſentierunt & ſcripſerunt, imo in hyperbolicas ejus laudes eruperunt, ut inferius oſtendam.

Patet igitur *Bonpournickel* ſaltem eſſe panis Weſtphalici cognomen. Genuinum enim hujus alimenti nomen fuiſſe *Brod* ſive *Brand* extra dubium

eſt,

eſt, ut eleganter ex variorum populorum idiomatis Conſenſu Etymologice deducis. Mirum autem quomodo à Græco βρωτὸν quovis Eſculento, iſta denominatio ad barbaram gentem originaliter devenerit. Ita ut dici poſſit linguam Græcam eſſe cœterarum linguarum matrem. Nam & Latinum nomen panis *Iſidorus* à πᾶν omni, derivat, quod omne quaſi alimentum abſolvat. Eſt enim quaſi ciborum baſis alimentum univerſale, omnibus ferme gentibus familiare & alimentorum facilè princeps. Priſcis jam gentibus panis hic cognitus & dictus fuit ſurfuraceus, quia à furfure non repurgatus, teſte *Gellio* lib. 2. c. 9. *Athenæus* l. 3. p. 125. ſyncomiſtum vocat ex farina incerniculo non excuſſa ſubactum, item Coliphium quaſi robur membrorum *Cælio Rhodigino* Cibarius & Gregarius, *Terentio* ater dicitur, quæ ad tuæ Epiſtolæ imitationem de Etymo panis latino ſufficiant.

Antequam nunc ad elogia panis Weſtphalici deveniam, prius aliqua miranda de pane in genere recenſebo:

Mirabile, quod ſub digeſtione microcoſmica ex pane fiat ſanguis & caro, & licet panis & aqua dicatur vita canis, tamen ex iſtis binis vita hominis & cujuscunque etiam animalis ſuſtentari, & omnia corporis tam ſolida quam fluida tam diverſa ad Ejus conſervationem reparari valeant.

Mirabile, quod etiam panis digeſtione ſub fimo mutetur in ſubſtantiam quaſi carneam, quæ Aroph Paracelſi conſtituit, id eſt Aroma Philoſophorum, inter remedia poteſtativa non poſtremum.

Mirabile, panem naturaliter converti poſſe in lapidem, ſed ex lapide fieri panem naturaliter im-

poſſibile & plane miraculoſum, quo experimenti tentamine Sathanas in ChriſtoDivinitatem explorare voluit in deſerto, dicens ſi filius Dei es, fac ut lapis iſte panis fiat.

Mirabile, quod in pane arcana clavis ad varia ſubjecta mineralia reſeranda lateat: quæ eſt ſpecioſa ſpiritus Catholici ceu menſtrui univerſalis adumbratio. Adeo ut quidam ineo, quamvis magno errore, primam materiam philoſophicam quæſiverint, cujus ſpecimen exhibet *Potier* in Veredario Hermetico.

Mirabilis eſt panis productio, quando per divinam benedictionem ex rore cœli, & pinguedine terræ unum granum ſiliginis ſucceſſive innumera generat, ut innumeris ſufficiat alendis hominibus, quod quidam appellat miraculum Ruſticorum.

Mirabile, quod à cultu & proventu frumenti ad panem conficiendum neceſſarie totum mundi, Politici Syſtema, omnia mundi commercia, omnis hominum ſtatus denique ineſſe dependeant. Non enim aurum, non argentum, non gemmæ pretioſiſſimæ vitam conſervare poſſunt, unde non illa ſed panem quotidianum à Patre cœleſti petere juſſit mundi Servator, ſub quo ceu generali & univerſali vitæ baſi omnia reliqua ad vitam neceſſaria comprehenduntur.

Redeo nunc ad panem atrum Weſtphalorum. Cl. *Eccardus* eundem Deorum cibum in ſuis Rhytmis à *Gözio* allatis appellitat. Gaude, inquit, Panis tuus eſt Deorum cibus, confortat cor & caput, ſi quis honores affectat & gloriam, tantùm de illo manducet &c. O beatos igitur ad ſtivam Weſtphalorum mopſulos, quibus Cibo Deorum Eccardino

dino indies veſci conceſſum eſt! Quidni vos ex univerſa Germania generoſæ indolis juvenes tolutim ad oras Weſtphalicas advolatis, ut ex præcellenti hoc Deorum Cibo animi virtutem, ingenii, fidelitatem, morum conſtantiam, ſolidumque in rebus gerendis judicium, ceu ille ſtatuit, nanciſcamini.

Sed metuo, ne hi ad exemplar *Lipſii Eccardum* cum pane iſto atro *& robur & ſanitatem & ſapientiam largiente* naſo ſuſpendant adunco, & ut per quadraginta duos annos, *Gözius* ita perpetim panem Weſtphalorum averſentur. *Lipſius* nimium molliculus & panis pondus totamque faciem increpat, Weſtphalicamque gentem miſeram appellat, quod & terram ſuam urat, & panem illi atredine & gravitate ſimilem edat. Sed vah! quid noceat atredo pani! non hæc habenda pro vitio, ſed fermentationis & coctionis ritè peractæ eſt indicium; per totam namque ſæpius noctem in clibano obſtructo percoquitur. *Ater*, ille inquit, *gravidus acidus*. Aciditas à fermento eſt, quæ proin Ventriculo admodum grata: Eſt enim in illa ſpiritus vere eſurinus, qui appetitum excitat & ſtomachum confortat. Gravitas autem non à fermenti defectu eſt. Sed tum à pondere maſſæ farinaceæ, ex qua panes multis in locis compingantur, tum ob ſyſtema compactius, quia in illa non raro dimidia adhuc grana ſub molari lapide non contrita reperiuntur. Magnos verò panes parvis meliores eſſe hoc argumento probat *Claudius Deodatus* Panth. Hygiaſt. l. 2. c. 4. quod magni panes plurimum medullæ obtineant, adeoque copioſe nutriant & alvum molliant. Parvi verò, utpote quorum interiora ignis facile penetrat, & medullæ humiditatem ex-

ſiccat, pauci ſint alimenti, tarde egerantur, & ventrem ſicciorem reddant. Si quis vero iſta magnitudinis ratione haud ſit contentus, ſed curioſius quærat, quare in Weſtphalia panes ſint ſpiſſioris grandiorisque formæ, quam in aliis Saxoniæ partibus ille aptè à Te reſponſum habeat, ad conſtruendos panes plus paſtæ farinaceæ in Weſtphalia ſumi, hinc eſſe majores ac ponderoſiores. Neque dubium eſt illam eſſe Weſtphalorum inveteratam conſuetudinem à Gentilibus derivatam.

Verum eſt, panis hic ater pluribus in locis non male refert terram, iſtam bituminoſam, quam Hollandi illisque accolæ Weſtphaliæ partes focis deſtinant, interim & bene ſapidus & ſalubris eſt, & quia vim abſterſivam & laxantem habet, cuique ex farina cribrata parato non poſtponendus. Certè non illum viderit comederitque *Bruyerius* Gallus, ubi ſcribit: *Le pain noire eſt hors de mode, & par cette raiſon inſipide.* Dictum profecto inſipidum, quod panis hujusce ſaporem prudentioribus non tollit. Quid magis ridiculum, quam novis cum moribus etiam novos ipſis panibus & cibis modos à priſtina ſimplicitate & integritate alienos inducere? de quo etiam dolenter conqueritur magnus *Bartholinus* tractatu de victu Danorum.

Panem Weſtphalorum ſuppeditare non illaudabile nutrimentum, oſtendit illo utentium robur. Quamvis prima fronte utilior videatur Agricolarum & Meſſorum iliis, quam languidis litteratorum Ventriculis non inſalubrem tamen eſſe teſtantur tot hominum ſaniſſima corpora, qui eo potiſſimum, & familiariter vitam ſuſtentant. Teſtor Ego, qui per annos quinquaginta praxin medicam in Weſtphalia

phalia exerceo, neminem mihi obveniſſe, qui ex panis furfuracei eſu aut repletione in morbum inciderit. Unde concludo eos, qui pane hoc atro veſcuntur, modo vitam non in otio transigant, & vivaciores & ſaniores & longæviores eſſe. Imo panem iſtum inter longævitatis meæ cauſas repono. Etſi enim Saxo natus à juventute fuerim pani ex farina cribrata confecto per triginta annos aſſuetus, tamen ſat ſalubre mihi, utut corporis debilioris, alimentum præbuit.

Celeberrimus quoque Academiæ Halenſis nuper Profeſſor Cl. *Fridericus Hoffmannus* in juventute ſua Poliater Mindenſis, ideoque de panis Weſtphalici indole probe informatus, ejus laudes non intermiſit in Obſervationum Phyſico-Chymicorum lib. 2. c. 22. per totum deprædicare, ex quo textum ſequentem huc tranſcribere operæ pretium duco. „ Præterea ingeniorum, dignitatem, morum conſtantiam, ſolidumque in rebus gerendis judicium, quo Weſtphali præ aliis nationibus pollent, quas etiam ob dotes ad Eccleſiæ & rerum publicarum gubernationem in peregrinis locis præ indigenis adhibentur, meo quidem judicio partim educationi, partim victus rationi adſcribendum eſſe exiſtimo. „

Ubi poſt plura panis Weſtphalici elogia tandem ſic concludit: „ Ex hiſce jam liquido conſtare exiſtimo, plurimam alibilem qualitatem eſſe in pane Weſtphalorum, & quidem tantam, ut ſecurius & meliori fato laboribus aſſueti firmiſſimo hoc nutrimenti genere utantur, & corpora illorum ac ingenia inſtaurentur, quam nos delicatiori victui & otio aſſueti: Sicque porro re

 paulo „

Digitized by Google

„ paulo accuratius ad juſtæ rationis momenta exigere velimus, plurima hic ſe offerunt, quæ „ panis Weſtphalici præſtantiam demonſtrant. „ Ita magnus hic Profeſſor in incomparabili illo obſervationum Chymicarum tractatu.

Eat nunc *Lipſius*, & qui conſtantiæ incomparabilis in ſcriptis volebat videri, author, re ipſa plus quam fœmina aut puer ejulet, ſibi in menſa apud Weſtphalos ejusmodi farinæ panem appoſitum fuiſſe. Quantum non ejulâſſet, ſi panis ex avena in Angaria confectus illi deguſtandus fuiſſet. Quo ſumpto non raro neceſſe eſt dentium interſtitia expurgare à paleis. Dixerit ille miſeram Weſtphaliæ gentem, certe dantur in illa innumeri, qui ſe felices reputant, & maxime contentos oſtendunt, ubi lucrari licet furvum hunc panem. Qui ſtolido Lipſii præjudicio panem horret Weſtphalicum dignus eſt ejus loco vel cum Lappis edat piſces vento induratos, vel Jambeneſorum Saga, vel Americanorum Caſſavi.

Si quis vero delicatior atrum perhorreſcit panem, propterea non eſt quod averſetur Weſtphaliam, aut miſeram enunciet. Etiam in illius oppidis & urbibus non deficit panis furfure ſecreto purior, aut ex tritico candidiſſimus, nulli Germaniæ aut aliarum regionum pani eleganti textura & ſaporis gratiâ cedens. Niſi forte ubi ejus ultima eſt à gregariæ conditionis hominibus habitata Thules, in qua tamen incolæ in veritate dicere poſſunt illud apud Comicum in Pænulo;

Quanquam ſumus pauperculi,
Eſt domi quod edimus.

Non

Non igitur hic palati delicatioris aut cerebri Lipſiani præjudicio ſtandum. Opinio nil addit detrahitve alimentorum bonitati. Siquidem ut apte canit *Marcellus Palingenius* Zodiac. Vitæ l. 5.

Quilibet illud,
Quod ſibi plus placitum, melius putat: bordea mulus,
Aut aſinus pluris, quum lauti obſonia rhombi,
Quam leporis clunes, quam turdos æſtimat aſſos.

Panem igitur Weſtphalorum atratum inſcriptione promerita hic primus cohoneſtabo.

Abſint hinc ora triticeo pani adſueta,
Aut candicante ſemper paſta Cerere.
Weſtphalicus ater eſt;
Sed tamen floridum & rubicundum generat ſanguinem.
Ater eſt, terram refert.
Mi *Lipſi*, non terra eſt,
Sed exquiſite hominem nutrit terrenum.
Anteus quoties conflictu cum *Hercule* exanimatus,
Procumbebat in terram,
Non ſine ſtupore novas recipiebat vires.
Colonus Weſtphalus à labore vel Herculeo debilitatus
A terreſtri hoc pane robur recipit.
Ater eſt,
Non tamen bile nigra corpus inficit.
Neque caput replet fuligine,
Eſt quidem compage & ſtructura craſſior,
Subtiles nihilo ſecius producit ſpiritus.
Craſſior eſt,
Sed nec minus fluidos & delicatos
Producit vitæ liquores.

Videas in Weſtphalia
Non minorem apud plures Cuticulæ nitorem,
Ex pane atro, quam alibi ex Candidiſſimo
Etiam Succulentiores robuſtioresque
Civium & Ruſticorum filios,
Pane patrio enutritos,
Quam triticeo in aliis regionibus Nobilium proles,
Verbo:
Panis Weſtphalicus ater & groſſior
Exquiſitum & optimum præbet alimentum,
Si fames ejus ſit condimentum.
Cui ergo hic non ſapit, aut deſipit.
Aut ignorat Ventriculi Weſtphalici elaterem,
Inertis ſui faſtidia ponderans.
Cedat *Apitii* Menſis Sauharo laborata Ceres,
Et Tremulæ placentæ.
Maneant Weſtphalo, dum fumes urget,
Panis atratus & Coliphia.

Verum amiciſſime Pylades, ne faſtidium tibi pariam, panem remoreo, & ferculum ex eadem farina paratum tibi præſento, ut novam ex pane Satiato Orexin procurem. Vale & Rempublicam litterariam ſcriptis tuis exornare perge. Vredenæ III. Id. Novembr. MDCCXLII.

Epiſtola Amœbæa VIII.

Pultis Weſtphalicæ oſtenſa ſalubritas.

Amicorum Coryphæo *Pyladi* ſuo propoſito pultis Weſtphalicæ ferculo novum appetitum excitat *Oreſtes.*

PRopoſueras mihi nuper panem groſſum Weſtphalorum, ut meum de illo guſtum explorares:

res: ad palatum fuiſſe, utique ex meo ad litteras tuas reſponſo intellexeris. Jam ex eadem iſtius panis farina paratum ferculum, ut tibi præſentem, illoque vires tuas, more alias tibi, ubi ægrotas, ſolito ac familiari reſtaurem, credo permittes.

Cibus hic eſt, tam Patriæ magnatibus quam gregariis non raro uſualis. Pultem intelligo ex groſſiori farina ne quidem Cribro decuſſa confectam. Felices reputat *Horatius* agricolas, ſi ſua bona nôrint, & Ego quoque Viros Principes, ſi etiam ſua non ignorent. Certe neutri ignorant, quando farinaceas pultes, olim vel ipſis Regibus gratas Sanitatis cauſa habent in deliciis: licet à *Lipſio* belga nimis delicato & exploſæ ut propterea Weſtphalos appellârit Pultiphagos, Pultivoros debebat dicere, ne bene notante *Domanuo* ex vocabulo Latino-Græco exiret Verbum Chymericum.

Scriptorum ſeu phyſicæ ſeu politicæ addictorum nemo hactenus lectioni meæ occurrit, qui hujus edulii innocui ſeu potius ſalubris defenſionem contra hunc Pultis maſtigem ex profeſſo ſuſceperit; propterea hic ego coram te ejus agam patronum, ne Weſtphali ex Polto- ſeu Crimnophagia infamiam, quam *Lipſius* illis intendit, contrahant.

Sapienter & egregie *Thomas Bartholinus* Diſſent. 6. de Victu Danorum de pulte ſcripſit, ſed ſatis conciſe ac breviter hiſce verbis: *Nihil video, quod in ſanitatem peccet, nihil quod ad Edulii gloriam non ſpectet. Habet pro ſe priſca Danorum ſecula, quæ fortunam proſperam virtute ſua vel habuerunt, vel meruerunt. Habet faventem omnem antiquitatem, cujus magna ſolet eſſe veneratio.*

ratio. *Habet denique fautores etiam Principes, quibus tuto ignominioſis dicteriis nemo illuſerit.*

Puls itaque edulii genus eſt admodum priſcum, antiquæ continentiæ & frugalitatis inventum ut *Plinius* l. 18. c. 8. ſcripſerit pulte non pane vixiſſe longo tempore Romanos, quod & teſtatum facit *Valerius Maximus*, quando perhibet Romanos adeo continentiæ fuiſſe addictos, ut frequentior apud Eos Pultis uſus, quam panis eſſet. Unde de Fabricio viro tametſi generoſo cecinit Poëta:

Contemptor auri Fabricius fabam
Coquebat, & pultes, Colonus
Hic ſegetes, alibi rebellem.

meſſurus hoſtem.

De *Juliano* Imperatore refert *Ammianus Marcellinus*, quod ſub columellis tabernaculi in caſtris parcius Cœnaturus non ciborum cupedias regio more, ſed pultis portionem exiguam ſibi parare juſſerit. Memoratu dignum eſt, quod de *Pomponio Læto* narrat *Agricola.* Ille nunquam ad decrepitam usque ætatem Roma egreſſus non credidit extra illam aut locum dari, aut quid aliud eſſe. Latiſſime dominatus in ſua caſa nonniſi virtutem, & virtutis Comites bonam mentem, quietem, & tranquillam libertatem admiſit, & ſuper vomerem inclinans ſomnum captavit. Quem vero illi victum fuiſſe putamus? an multo venationis ſudore emptas ferinas? an Neptuno furto aut vi ereptos piſces? nihil profecto minus. Aliis in ipſa Orcheſtra epulantibus curavit ſibi fieri Cœnulam ex Romæ nata ſegete, & uſus eſt *Pulticula.* Nulli

proin

Digitized by Google

proin extitit moleſtus, nullis curis interpunctus, neſciens quid hujus nominis ſpinæ eſſent. O re ipſa vere *Pomponium Lætum!*

Certe & tales in Weſtphalia reperias: *Queis fumans calidis ad id ignem pultibus olla*, cibum dat frequentem ſua ſorte viventibus lætiſſimè. An miſerum dixeris aut pauperem ſiliginea ſaturum polenta & caule? Me hercule nemo poteſt habere magis obſequentes fidosque naturam, & ſtomachum & famem, quam quibus naſcitur voluptas & penu inempta, & non longe petita fruge ſine ſumptu ſupervacaneo. Ille quanquam ſolus in angulo prandet, audebit menſas regias ſpernere.

Amabo quid in pulte eſt reprehenſione dignum? Gentilium quidem mortuorum etiam erat dicata epulis, ſed propterea à Chriſtianorum non releganda menſis, imo ad eas ſæpe revocanda. Eſt enim alimentum quaſi medicamentoſum. Forma ejus ventriculo commoda & apta: Neque enim tam ſicca eſt ut panis, neque tam fluida ut juſculum, ſed inter ſolidum & liquidum mediam nacta conſiſtentiam facilius quam panis à ventriculo excoquitur. Unde & pulticula vel ex alica, vel panico vel milio jam à *Celſo* latino Hippocrate l. 2. c. 30. memoratur. *Scribonius Largus* Comp. 189. mentionem facit pultis ex farina triticea coctæ cum plurimo adipe anſerino contra Cantharides, quo etiam Dani Olera ſua condiunt, & pultes pinguefaciunt in Butyri inopia vel parſimonia. In locis Weſtphaliæ, ubi lætior fagopyri eſt proventus, etiam ex illo pulticulæ parantur, ſicuti & apud Inſulæ Fioniæ incolas, qui illo ceu antiquiſſimo cibo nutriuntur.

Pultes

Digitized by Google

Pultes optime nutriunt, inprimis cum lacte dulci aut è butyrato coctæ, aut ſi cum aquæ paratæ, cum ejus Cremore, ceu naturali herbarum magiſterio, butyro inquam recenti conditæ & aſſumptæ. Sicuti hoc modo paratis mane pro jentaculo veſci non ſemel vidi Perilluſtres in Weſtphalia utriusque ſerûs perſonas & quidem ex Conſilio Medici ex indicatione humorum acrimoniam in primis viis temperandi, & ab illa forte aliquando arroſos tunicarum ſtomachi villos humido pingui unctuoſo blande demulcendi. Unde & quotidiana vulgi experientia pro tabidis habetur Cibus laudatiſſimus.

Verum Apitiæ amator menſæ medicus quidam quid groſſioris ex eo generari ſpiritus præſertim apud Apollinis filios nuper fabulabatur. Sed ſuſpendiſſet procul dubio crudum judicium, ſi R. P. Jacobi Balde Satyram 16. de medicis legiſſet, qui ſuſtinet longè defæcatiori eſſe cerebro & puriori calamo medicum menſa viliori contentum, adeoque Lautius viventi præponendum; habendum namque veluti:

Hippocratem vili ſub Schemate Pythagoræum,
Cujus judicio ſæpe eſt divinior ille,
Qui pultes & olus, cæpasque fabasque ligurit,
Quam ſatur & craſſus Pavonis Apitius uncti.

Dicendum nunc quoque de varia apud Weſtphalos pultes condiendi ratione. Relatum jam ſupra eſt, de adipe anſerino de flore lactis, & butyro, nunc alias methodos memorabo. Eſt locus, in quo ſebi vel laridi fruſto admovent ferrum vel forcipem ignitum & celeri manu liquatam axungiam ſingulorum pulti in menſa ſucceſſive inſtillari

Digitized by Google

ſtillari faciunt, vulgus appellat: Schnieb-Brey. Videor hujus aliqua veſtigia reperiſſe apud antiquitatem. Sic enim *Perſius* Satyr. 6.

Fœniſecæ craſſo vitiarunt Unguine pultes.

Antiqui etiam oleo utebantur. Alibi in Weſtphalia pultem melle condiunt ad imitationem *Catonis* de Re ruſtica. c. 85. qui pultem punicam cum melle coquebat. De hac mixtura fortaſſis non inſalubri judicent, qui illam deguſtârunt. Inprimis ſic grata pueris puls eſſet futura; nam & hunc cibum illos deperire apte expreſſit *Perſius* Satyr. 4.

Farrata pueris plaudentibus olla.

Appellet nunc Weſtphalos *Lipſius Pultiphagos.* Nil hi ejus dicteria morantur, ut nec Romani olim Græcorum, qui aliarum gentium inepti cenſores illos pariter ceu pultibus edendis aſſuetos Pultiphagos barbaros nominabant, unde *Plautus* in Moſtellaria:

Non enim hæc Pultiphagus opera fecit barbarus.

Weſtphalus igitur contra famem ſe optime munit pulte, etiam aliquando contra hoſtem ſe muniiſſe memorabili conſtat Exemplo. Sub Anabaptiſtica ſeditione Weſtphalicæ metropolin occupante, ipſisque Patriæ & Religionis hoſtibus intra urbis mœnia deſpotice imperantibus, ſuoque Principi, omnibusque bonis & toti Diœceſi illudentibus, juſſus eſt miles Monaſterienſis, quo urbe citius capta proditores ſcelerati ſubjugarentur, muros & aggeres in oppugnatione aſcendere. Sed en mirum mulierculaium in urbe inventum. Pultem ab igne ebu-

ebulientem in aſcendentium ſuderunt capita. Habebant etenim ut refert *Hammelmannus* undique ignem egregie ſtructum appoſitas ollas ſatis amplas, quas pulte, hoc eſt, aqua & farina quædam replebant, aliæ in hoſtes fundebant, aliæ ignem ſtruebant, aliæ rurſus evacuatas implebant. Et hoc quidem genere cruciatûs plurimum hoſtibus nocuerunt fæminæ, quo ſtratagemate Exercitus oppugnans majus detrimentum, quam ab armata manu virorum accepit. Verùm non pede claudo ſecuta eſt Divina Nemeſis. Defecit in urbe annona, & inſtigante famis rabie mures, glires, feles, coria omniſque generis abſurda. Imo quod auditu horrendum, proprias proles comedere coacti ſunt. Non ſuppetebat puls ulla, quæ famem potuiſſet compeſcere.

Reſtat nunc ut mirum *Guidonis Patini* pultis infeſtiſſimi hoſtis conceptum tibi referam. Scribit hic Epiſt. 15. ad *Sponium*. Infantes ſine pulte educatos non infeſtari à variolis. Quod quam falſum ſit, docet non una Virorum Principum ſoboles, quæ licet pultibus farinaceis non enutrita iſtis tamen correpta & ad tumulum correpta eſt. Et quid communionis pulti eſt cum variolis? Pone infantem primo vitæ anno pulte alitum, decimo ætatis anno infeſtari variolis, quid rationis Phyſicæ excogitari valet, quod paradoxam illam tueatur ſententiam? quid à tanto tempore in corpore reliquum eſt ex pulte quod Miaſma Varioloſum provocet & alliciat? Notum eſt, quam fœdus & humano generi infeſtus morbus ſint Variolæ, ut igitur Gallis induceret *Patinus* contra pultis eſum horrorem, tale effinxit ſine ullo fundamento argumentum.

Digitized by Google

mentum. Mirum quod in famila Galliæ regia etiam proles ex variolis moriantur, quæ ſine pulte educatæ, variolis correptæ non fuiſſent. Caveant igitur Cæſarum, Regum, Principum, aliorumque ſummorum Virorum filii, quos vivere ex ſalute patriæ eſt, cane & angue pejus pultes, ne ex exanthematibus vitæ ſubeant pericula. Verum apage has Galli nugas! meretur nunc puls Inſcriptione Condiri.

Adrepite Senes Decrepiti, Depontani, Capulares,
Gens hominum Edentula,
Quibus mandibulæ ſunt inermes.
Et debilior langueſcit Ventriculus.
Præſento vobis hic Ferculum,
Quod non eſt opus maſticare
Neque ſtomacho faceſſit negotium.
Otioſæ ſunt Molentes in minuto numero. (*)
Eſtis bis pueri,
Puerilis igitur cibus convenit,
Qualis eſt puls farinacea.
Quæ vires ſenio detritas reſtituit
Et effæto ſanguini addit Vigorem.
Imo approperate Juniores morbo languentes,
Quos vel tabes exhaurit.
Vel Hectica conſumit,
Utimini hoc alimento analeptico.
Non mors, ſed vita in olla eſt,
Quæ pultem continet
Hæc panis Soror eſt, nata ex iisdem parentibus
Aqua & farina.

Imo

(*) Eccleſiaſt. c. 12. ℣. 3.

Digitized by Google

Imo & fratris vices ſupplevit
Longo ævo apud Romanos.
In hac igitur eſt, quæ in illo
Divina Benedictio,
Ut ille conſervare robuſtos.
Hæc ſuſtentare valeat infirmos.
Habet tamen & ſuos Puls calumniatores,
Quorum utinam mordacia ora
Pulte obturare liceret!

Sed tempus eſt Amiciſſime *Pylades*, ne tibi pultis nauſeam creem, removendi hoc, quod ſatis delibavimus ferculum. Spero autem hunc diſcurſum Tibi, ut puls ipſa, gratum fuiſſe. Votum meum eſt, ut poſt quinque adhuc luſtra epulo pultaceo excellenti appetitu Veſcaris. Eſt enim Senum dentibus carentium appropriatus cibus. Vale. Dat. ut ſupra.

Epiſtola Reſponſoria VIII.

Pylades ad Epiſtolam *Oreſtis* de Pulte laconice reſpondet, eumque ad lautum Petaſonem Weſtphalicum in prandio invitat.

QUæ in laudem pultis Weſtphalicæ ad me perſcripſiſti, quia veritati conſentanea, pluribus confirmare ceſſo, & laudes laudibus accumulare. Experientia namque â pluribus vitæ luſtris edoctus ejus vires medicas periclitante valetudine quà reſtaurantes quà conſervantes. Profecto per integrum aliquando, & quod excurrit, annum, cum variorum Poliatrorum conatus Cachexiæ meæ eluſiſſet contumacia, ad ſalutis anchoram, pultem puto,

puto, fœminarum conſilio confugiens ternis per diem vicibus ea refectus cum Hygieia redii in gratiam. Non Punicam ſive eam puto ex farina, aqua, melle, caſeo & neſcio quibus fritillis decoctam, quam *Cato de Re Ruſt. cap.* 86. ita parandam præcipit: *Pultem Punicam ſic coquito: Libram alicæ in aquam indito, facito, ut bene madeat, id infundito in alveum purum, eo caſei recentis* P.III. *mellis* P.S. *ovum unum, omnia una permiſceto bene. Ita inſipito in ollam novam.* Habeant, largior, hanc ſibi pultiphagi Pœni. Ego itaque ad ſimile pultis genus hac patria uſitatum te invito, nempe quod fore, ſiligine, aqua pluviali mixto cum recenti butyro, calente vel capreæ vel vaccino lacte. Optime deduxiſti Romanis quondam Principibus frugalitatis non minus, quam politiæ Studioſis multo tempore ejus uſum, antequam pane veſcerentur, extitiſſe familiarem.

Ejusdem profecto palati non ita nuperi fuiſſe reperio *Suederum Scheleum* Dynaſtam in *Welberg* & *Welfeldt.* Nobilitatis patriæ non minus quam Illuſtrium Eruditorum Ornamentum ex cujus Manuſcriptis lego ſequens culinæ ſuæ arcis *Welveldt* inſcripſiſſe diſtichon:

Non peregrina Gulæ hic delinimenta require.
Puls mihi priſca placet, pura farina in aqua.

En Leonina Germanica, quæ Eques noſter Latino Verſui ſubnexuit:

Die Lecker-Bißlein hier unbekant,
So über die See aus ferne Landt,
So ſehr man nicht ſuchen noch kochen ſoll.
Schlecht ſpeiſen beſſer iſt, und nähret wohll.

Die Alt-Vätter, ſo lang gelebt frey,
Aſſen von Meell und Waſſer ſchlecht Brey.

Oſtendiſti Danis aliisque Septentrionalibus ferculum hoc fuiſſe adamatum. Immo ipſis Gallis, in primis Guaſconibus eſſe in deliciis ridicula confirmat Hiſtoriola. Ex horum cenſu quidam ab amico ad prandium invitatus excuſationem prætendit eſſe jam ſaturum perdicum aſſatarum, licet ſola pulte ventrem impleſſet, cujus forte particulæ quædam ex incauta præcipitique ingurgitatione in collari reſtitabant, cui proin amicus: *Quales manducaveris perdices, ſub mento relictæ ex iis plumulæ teſtantur.* Certum eſt Weſtphalos gaudere ſingulari corporis fibrarum robore Elaſtico adeoque minus, quam alias gentes laborare morbis ac plerumque eſſe longæviores; ratio paſſim adſcribitur victus ſimplicitati, unde ſuaviter de Medico quodam expertiſſimo narratur: Intendebat is forte praxin medicam exercere apud Weſtphalos, intelligens vero eos tam frequenter pulte, braſſica atque rapis, cibis profecto ſaluberrimis, victitare, ſibi rem cum morbis aut ægrotis non multam hac in regione obviaturam reputans abceſſit, alio iter ſuum inſtituens.

Memoras pultes etiam gentilium mortuorum epulis fuiſſe dicatas, unde forte quoque orta conſuetudo, quod, ut teſtatur Tertullianus, Africani præter panem & vinum etiam pulticulas ad memorias Sanctorum ſoliti fuerint offerre. Verum quia pultis ſat diſertus fuiſti Encomiaſtes, quod hoc de edulio amplius addam, non habeo; ſed quia Te in prandio ad petaſonem invitavi, & con-

vivam

Digitized by Google

vivam volui, de hoc obſonio, ceu ſingulari palati Weſtphalici delicio tecum inſtituendus eſt diſcurſus.

Duplicem tibi præſento petaſonem & ſalitum fumoque induratum, & quia forte ventriculus tuus octogenario major, indeque debilior reſpuit, recentem quoque nec ſale nec fumo alteratum, igne tamen aſſatum, ut vel hoc vel illo ad palati tui indolem veſcaris. Videris namque petaſonem muſteum, id eſt recentem, cum Martiali præferre, qui *L.* 13. canit:

Muſteus eſt propera charos ne differ amicos
Nam mihi cum vetulo ſit petaſone nihil.

Potuiſſem quidem tibi integrum porcellum ſive nefrendem Trojanum, id eſt paſſulis, prunis, imo aviculis farctum, quem majores noſtri *Spanferckel*, Latinorum barbari *Schlachbradalem*, de quo vide Auctarium meum Lexici Med. Æv. vocant, proferre, ſed, fateor, retinuit me Cincinnius Urbis olim Senator, qui ob nimium luxum ſuaſor extitit Legis *Francicæ ſumptuariæ* habitaque ad populum Oratione in mores ſuæ ætatis & gurgitum quorundam gulam acerrime invectus fuit, qui ſolidos *porcos* Trojanos (ita vocabat Aprum incluſis omnis generis ſerinis aliisque minoribus animalculis equi Trojani ad inſtar gravidum) inferebant in civium cœnam. Ut verum dicam, petaſones vetuli lignorum fagi, non ceſpitum bituminoſorum fumo exſiccati præ reliquis gratiam, honorem & prærogativam hodie ubique obtinent, ut *Klockius* de Ærario *L.* 2. *c.* 4. *num.* 25. non vereatur eum appellare *cibum Divinum*, ut *etiam famem apud ſaturos in calce epuli inveniat.* Gallis maxime arrident eos-

 que

que appellant *les jambes de Mayence* quamvis porci, à quibus deſumpti ſunt, Moguntinorum patriam nunquam frequentarint. Nemo diſputat tot Europeo Orbe petaſones Weſtphalorum reliquis menſarum obſoniis palmam præripere. Sane ſcribit *Joannes Heidfeld* Weſtphalus *Sphing. Phyloſoph. cap.* 21. *pag.* 662. Weſtphalorum dapſilitatem antiquitus præter alias, cereviſiæ nempe & atrati panis, delicias petaſonibus infumatis ſtetiſſe contentam.

En caneſcentis Cereris ſit plena liquore
Anphora, Weſtphalici furva nigredine panes,
Gaudeat & ſapido fumans petaſone culina.

Noviſti volatili ſalſedine petaſonum bibendi excitari orexin, qua intentione & tibi in menſa præponendum judicavi, ut dein cereviſia Weſtphalica nobis melius ſapiat, quam optimæ notæ tibi mox propinabo. Dixi: Volatili ſalſedine egere petaſones, quam præcipuè contrahunt à lignorum fumo, unde morem petaſones in libero ære altiori loco ſuſpenſos vento ſolum exſiccare, minus laudabilem æſtimo; Alia tamen res eſt cum larido, cui diuturnior lignorum fumus conciliat rancorem. Vale. Dabam Wickinghovii V. Kal. Decemb. MDCCXLI.

Epiſtola Reſponſoria IX.

A Pylade ad Petaſonem invitatus comparet Oreſtes.

OBlatis Tibi nuper ex morbo catharrali reconvaleſcenti pultis Weſtphalicæ deliciis aliàs non inaſſuetis conatus ſum reducere amiſſam orexin, quam gaudeo ita nunc reſtitutam, uti etiam de pernis

Digitized by Google

pernis & petaſonibus comedere, & me Tibi habere convivam adlubeſcat. Noviſti mihi Octogenario majori non amplius illud eſſe ventriculi robur ut magnum ex illo fruſtum conſumere valeat, etſi vel divinum cibum ex Klockio petaſonem appelles. Adjicis hunc pulti ceu obſonium, ego de Sue lutoſa diſcurſum addam ceu condimentum, & quidem primum in petaſonis laudem Poëtæ Porcii ſic cantillantis Verſus

Prægrandis porci petaſo pernæque probantur
Principibus, Parochis, Prælatis, Præpoſitisque,
Prætori porcusque placet. Pinguedine porci
Perfundit populus pultem. Penetralia porci
Pinguiculi plebi pleniſſima pabula præbent.
Pullos, Perdices, pavos petaſo piperatus
Præcedit potior, populi placatque palatum.
Porcinas Petaſo per pocula plena probatur.

ita eſt. Petaſo eſt ſtomachi Weſtphalici pica optime œconomiæ ſuæ proviſum eſſe judicat paterfamilias Civis & Ruſticus Weſtphalus, ſi petaſones habeat

Pinguesque pernas è Camino pendulàs,
Et petaſo & circum lucanica torrida fumo

ſunt ad hujus nationis palatum, namque

Significant aliquid, nil ſignificantia ſpernit.

Varios alit ſapores porcus, & varia gulæ irritamenta, jam cocta placet porcina, jam pingue omaſum. Succidiarum in crate toſtarum non nauſeoſus eſt ſapor. Imò placet

Nunc auris illi, roſtra nunc ſuis caſæ

trahunt appetitum & meræ ſunt cupediæ. Neque agreſti, ſed & nobiliori linguæ porcus ſapit. Etiam Caro porcelli mollicelli par eſt ferinæ nobili, de qua Gazæus in piis Hilariis eleganter ſcribit:

Et certe cui non placeat porcellus
In fruſta cæſus, luculenter aſſatus,
Laute apparatus, cum tomaculis farctus
Succidiisque pinguibus, botellisque,
Et quicquid obiens ſus edule legavit.

Petaſo Pernæque & quidquid in interſtitio eſt, morientis porci ſunt hæreditas, farcimina legata, quorum hæredem ſe ſcribi gaudet Weſtphalus, Civi aut Agricolæ *porci triennis mane tomaculum* offer. Prô ut lætabitur, præſertim ſi addas cantharum Cereris ſpumantis. Nobilium infer menſe petaſonem annuum, convivarum nemo nauſeabit, præcipue ſi quoque adſit *capacis ſtruma* ſcyphi nova vina fundens. Siquidem ut ait Poëta:

Nil perna nocebit
Nupta moſellano quamvis pinguiſſima Baccho.

Caro porcina hominibus ſanis ac robuſtis alimentum præbet copioſum & ſalubre, etiam in emaciatis vel ab ipſo etiam Galeno commendata cujus certiſſimum ex Athletis judicium profert l. 3. de aliment. facult. c. 2. ubi inquit omnium ciborum Suum caro potentiſſime nutrit, cujus rei athletæ certiſſimum tibi præbent indicium. Si enim in paribus exercitationibus parem molem alterius cibi diem unam comederint, poſtero die ſtatim ſentient ſeſe redditos imbecilliores, quod ſi pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modo, verum etiam

etiam alimenti penuria macilentiores palam conſpiciuntur. Ita Galenus.

Quia vero caro ſuilla glutinoſum craſſumque habet ſuccum ſale primum conditur, mox fumo exponitur, ut ſale & fumo humiditas viſcoſa abſumatur, temperetur, fiatque eſu ſuavis & ſalubris hominibusque expetita. Jam olim quoque idem apud Boreales uſitatum fuiſſe rigidus ciborum exactor Starcatherus apud Bartholinum pronunciat:

Hinc faucis primæ ſtimulum licebat
Aridis pernæ natibus levare.

Quas quoque ſuccidias antiquis Romanis non ingratas inviſasque fuiſſe teſtatur Juvenalis Satyr. 11. l. 4. Hæ fumo induratæ in Crate lignea, quam fumus & ventus poſſent tranſire, in die feſto aut natali cognatis & amicis invitatis apponebantur:

Sicci terga Suis rara pendentia Crate,
Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum.

Non rarum quoque eſt, quod & infirmorum reconvaleſcentium appetitus feratur ad roſtra aut pedes ſuillos aceto conditos. Accidit non ſemel mihi cum ægris, quod cum junipero ordinis Seraphici Religioſo contigiſſe refert *Gazæus* l. c. Proponebatur illi:

Vin tibi quid apponi
Aut juris atri, aut offulæ ſaporatæ?
Non. An minutal trunculosque vervius?
Non. An moretum forte poſcis herboſum?
Non. An placenta ridet umbelicata?
Reſponſitando feſſus æger obmutit.

Quid ergo ſtomachum placet hunc tuum tandem?
An pes ſuillus? hoc erat quod ardebam,
Exclamat æger, terque replicans ô ſi!
O ſi ſuillum quis mihi pedem donet!

Tantum facit aſſuetudo, à qua nec fit paſſio nec læſio. Ite nunc, qui neſcio quid in porco maligni, duri, & indigeſtibilis oggannitis, & cum *Lipſio* increpatis Weſtphalos, quod ſint Porcii, Scrofæ, Suilliique, eo quod porci animalis fœdiſſimi carne delectantur. Aliud eſt judicium virorum in arte Hippocratica expertiſſimorum, Cl. Helfricus Junckenus ſcriptorum editorum fama celebratiſſimus in Medico præſ. Secul. accomm. part. 2. ſect. 2. c. 1. ait: Petaſo crudus, lardum item & farcimina inſumata cibum ſuppeditant admodum ſalubrem, & robuſtos efficiunt homines, at non in calidioribus terris, nec ubi vinum & otium comites ſunt, ſed ubi cereviſia, & motus accedunt.

In Pretio apud antiquos erat ſuilla, unde Cauſidicis pro lucro vocis ſæpe offerebatur exiguus & exſiccatus petaſo, ut teſtatur Juvenalis Sat. 8. l. 3.

Quod vocis pretium? ſiccus petaſunculus, & vas
Pelamydum.

Pelamydes piſces ſunt viles ſale conditi.

Perſius quoque Sat. 3. appellat *pernas Marſi monumenta clientis*, quas hi in judicio defenſi ſuis advocatis & cauſarum patronis dederunt, & ſimul piper tanquam pernarum condimentum & piſces ſalitos una cum lagena vini, quod optime convenire videtur ſalſamentis. Verſus ſic habent:

Et piper & pernæ Marſi monumenta Clientis,
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.

In

In Nuptiis & re uxoria ſolebat porcus candidus Diis ſacrificari teſte Varrone, unde Juvenalis Sat.X. l.IV.

Poſcas aliquid voveasque ſacellis
Exta & candiduli divina tomacula porci.

Excellunt Petaſones in Weſtphalia, qui etiam in alienas regiones deferuntur; ſed nemo exterorum ſibi perſuaderi permittat illam præter carnem porcinam cœteris animalibus eſui deſtinatis carere. Civium amplæ imò vel mediocris conditionis ſemper cura eſt, ut annuatim cella & culina provideatur de boum aut vaccarum carne tum ſale condita, tum fumo indurata. Etiam apud Colonos vacca macilenta aut bos vetulus aratro non amplius aptus cogitur in opimo paſcuo pingueſcere, ut bubula per annum non deficiat. Quid dicam de vitulis, agnis, ovibus, quæ non magis in Weſtphalicis quàm aliis Germaniæ oris deficiunt. Taceo totum Gallinaceum genus, quo vix eſt ita pauper tuguriolum ut careat. Ut non minus Weſtphalus, quam quisquam alius populus gloriari poſſit. *Subjeciſti ſub pedibus ejus boves & oves, & pecora campi, volucres cœli & piſces maris & qui perambulant ſemitas maris.* Inique igitur & injurioſe *Lipſius* dixit Weſtphalos miſeram gentem. Nonne ruſticos in Weſtphalia quo ad vitæ ſuſtentationem felices dixeris, ſi perpendas agrorum commoda. En agnus & hædus è ſtabulo, pullus è corte, porcus ab hara, ex nidis ova, ex hortis fructus poma, pyra, nuces, ex campis ſegetes, ex ſylvis lignorum ſtrues, ex Ericetis Turſæ ſive ceſpites bituminoſi adſunt. Hæc omnia inempta habent, quæ cives in oppidis, nobiles in palatiis care è foro & macello petere

Digitized by Google

petere debent. Hæc omnia & Tibi Suaviſſime *Pylades* in curia tua campeſtri uberrime præſto ſunt, unde miror, quod me duntaxat ad petaſonem & pernas invitâris, forte in ultionem, quod te ad pultem farinaceum invitatum voluerim. Verùm ut tu meam pultem aſpernatus non es, ſic nec tuum faſtidio petaſonem. Præſtabo me non degenerem Weſtphalum, imo me Suis eſſe amatorem, licet non ſuillium, re ipſa ad menſam comprobabo. Præmiſſa hac Inſcriptione quam in laridi & Petaſonis Weſtphalici laudes heſterno quodam enthuſiaſmo compoſui:

Cedite Attalicæ dapes,
Luxurioſa Sardanapali fercula.
Rediit nuper à glande Sus, pinguedine tarda,
Effudit ſub cultro ſpiritum,
Et pro anima recepit ſalem:
Cruenti rivi tranſierunt in inteſtina,
Et enata ſunt tomacula,
Varia aggregata per accidens.
Mira metamorphoſis!
Tranſibunt hæc in olus.
Et hoc pingui horum vehiculo
Ad humana ilia.
Pernæ & Petaſones ad nigras evolant lignas,
Deſcendunt hinc ad menſas Nobilium
Civium & Ruſticorum.
Ita Porcus mutatur in Weſtphalum
Quidni & in Batavum Belgamque,
Niſi cum *Lipſio* ament
Meras cum pane edere paſſulas.
Stolidus autem dixerit.
Weſtphalos proin mutari

In

In Porcios, Scroſas, Suilliosque.
Si autem verum eſt,
Manere vitam alimenti mediam in alimentato,
Cave hoc mordaci dente dicere duntaxat de Weſtphalis,
Nam & illi homines ſunt,
Et veri Germani,
Apud quos olim (abſit hodie)
Memorante *Tacito*,
Rixæ raro convitiis,
Sæpius cœde & vulneribus tranſiguntur.

Tametſi hanc vitæ alimentorum mediæ, ejusque proprietatum formalium transplantationem veram eſſe doceat cum ſuis Aſſeclis *Helmontius*, non tamen eam timore panico metuens egregium de Petaſone fruſtum tecum manducare non verebor. Et in amica quidem pace atque concordia, neque proin in Porcios Suilliosque *Lipſianos* ambo mutabimur. Vale *Pylades* Amiciſſime, & me in prandio craſtina die expecta convivam. Vredenæ V. Id. Decembr. MDCCXLI.

Epiſtola Amœbæa IX.

Cerevifia Weſtphalorum defenſa.

Piladi Suaviſſimo

Cerevifiæ Weſtphalicæ pôculum in Salutem propinat *Oreſtes.*

QUamvis non ſim ortu Weſtphalus, non adeo averſor Weſtphalorum cereviſiam, ut in Salutem & Sanitatem tuam detrectem ejus exhaurire cullu-

culullum , ſub cujus evacuatione liceat recum prolixiorem de illa miſcere Dialogum. Licet enim cereviſia in genere, ſpeciatim Weſtphalica apud exteras nationes Oenopotas ſit exoſa & contempta, mentem de illa tamen meam aperire, & Sarcaſmos Satyrasque in illam projectas refutare eſt animus.

Non opus tibi dicere, quid ſit cereviſia, licet nonnulli Scriptorum ſolliciti fuerint illam definire ſeu potius deſcribere. Ita Cl. *Meibomius* Comm. de Cereviſ. C. 27. §. 3. definit aquam frumento & lupuli florum viribus imprægnatum, unde alius elegans hoc Chrono-Dyſtichon compoſuit:

HorDeo, aqVa, LVpVLo CoqVItVr CereVIsIa, noMen,
StrVCtVM hoC. VIs CererIs, qVoD ſaCra sVbsIt aqVæ.

Alius volens latine poſcere hauſtum Cereviſiæ petebat ſibi dari adulterium Neptuni cum cerere, ſed hæc trivialia ſunt. Quæ fuerit apud antiquos Saxones Cereviſiæ appellatio non conſtat. *Tacitus* l. de Morib. Germanor. humoris ex hordeo in vini ſimilitudinem corrupti periphraſi illorum potum deſignavit. Quod infra examinabimus. Elegantior apud *Suidam*, *Athenæum*, *Theophraſtum* fuit conceptus, qui eam appellarunt vinum hordeaceum, & *Æſchylus*, ex Hordeo Temetum, ſeu vinum forte, unde & Germani dicebantur Viri vinum bibentes hordei. Potus hic Zythus dicebatur, quod quidam, à Germanico Sieden, quod eſt coquere derivatum volunt an recte ipſi viderint. Biera ſive Bira antiquorum Germanorum vox barbara eſt. De qua quæ narrat *Levinus Lemnius*

Lemnius de occ. nat. mirac. l. 2. c. 19. an experientiæ conveniant, noſtri doceant Cives & Ruſtici. Cum omnes inquit madidi vinoque perfuſi ridiculos comicosque mores exprimant, tum multi magis moriones agunt, riſumque obviis excitant, quum vultum atque oculos guſtumque ſpectamus, quam qui ex Zytho, quæ nobis Biria dicitur, temulenti ſunt, illi ſiquidem non in omnem partem curruunt, ſed retrorſum duntaxat & ſupini, qui vero è vino ebrietatem contraxerunt, antrorſum proruunt, ac proni decumbunt. Ita ille.

Veriſimilior videtur Bieræ derivatio à *Voſſio* adducta. Dum enim Romani milites; quibus eo tempore lingua Latina erat vernacula, à Germanis potum poſcerent, paſſim dicebant, *da bibere*, ex quo poſtea per apocopen ſeu contracte, illum *Biber* & *Bier* appellârunt. Unde *Eckkehardus* junior L. de Caſ. Monaſt. S. Galli c. 11. inquit. Invitat tandem Abbas omnes pariter ad nonales fratrum Biberes, per quod intelligit potum, qui monachis ſub horam tertiam pomeridianam, quam nonam dicebunt, exhiberi eſt ſolitus. Alii qui ex tritico, quod Græce Πυρὸς dicitur, cereviſiam parant, ſuo potui nomen inde tributum volunt. Verum in Weſtphalia rarior ex hoc frumenti genere cereviſiæ eſt præparatio, communior ex hordeo, interdum quoque nonnullis in locis ex avena, ut eam & edant & bibant. Nam & illi vis ineſt Bacchæa, unde Julianus Imperator ſalſo Epigrammate Bacchum jubet appellare Bromum à Bromo ſive avena. Audiamus quomodo id olim latine verterit *Eraſmus:*

Bacche-

Digitized by Google

Bacche quis? unde venis? Verum te dicerò Bacchum,
Te haud novi. Tantum eſt cognitus ille Jovis.
Is Nectar redolet, hircum tu, dic age, num eo;
E Spicis finxit Gallia vitis inops.
Non igitur Bacchum te dixero, ſed cerealem,
Et frumentigenum, nec Bromium, immò Bromum.

Argutus ſane hic Sarcaſmus eſt. Cui pro reſponſo hæc noſtra inſervient. Examinabimus nunc *Taciti* periphraſin. Errant, qui humorem in ſimilitudinem Vini corrupti modernæ Cereviſiæ analogum liquorem intelligunt; quem tamen multis paraſangis ab hac diſtaſſe circumſtantiæ evincunt. Etenim licet paratus fuerit ex cerere, ceu communi omnium cereviſiarum materia; non ſapuit indolem noſtræ cereviſiæ, cum fermentationis artificium antiquo ævo penitus fuerit incognitum, à quo tamen omnis vini noſtri cerealis poteſtas, excellentia, & durabilitas dependent. Ponderentur verba in ſimilitudinem vini corrupti. Quid autem niſi vappa aut acetum? neceſſariò potus ille vel acore vel lentore fuit notabilis. Præſertim cum illius modernum condimentum flores lupuli ſalictarii vel ejus loco hac olim in patria uſualis grutta deeſſet; quæ fermentatione inducta purum ab impuro, fæcesque ſeparando liquorem reddit homogeneum, durabilem & ſalubrem. Eſt Scriptor, qui perhibet illud potus genus multum præbuiſſe alimenti, & maxime profeciſſe ad ætatis creſcentis augmentum, & hominum magnitudinem quod tamen caret fundamento. Conceſſerim nimia amaricantis lupuli copia imbutam cerevi-

cereviſiam dulcedinis nutrientis poteſtate multum privari, ſed quod nihilo ſecius potus ille hordeaceus corrupti vini referens naturam olim tantum ad corporis extendendam menſuram potuerint, non adſunt rationes, quæ perſuadeant. Si conjecturæ eſt locus, fortè non abſimilis fuerit liquor moderno Ruſticorum Weſtphaliæ noſtræ potui, quam cereviſiam acrem, ſcharff Bier vocant, qui quoque ſubacidulus eſt, præſtantior tamen illo gentilium antiquorum, utpote mediante fermento paratus. Certo vetuſtus ille caput non turbabat inebriamine, & hic modernus ventrem magis quam caput ſæpe turbat. Utrumque & ſub barbarie & ſeculo demum politiori invenit neceſſitas ceu ſiti ſaltem reſtinguendæ opportunum. Demum tamen ævo poſteriori, ut ſcribit *Plinius* L. 14. c. 21. mira vitiorum ſolertia inventum eſt, quemadmodum aqua quoque inebriaret & non vitiferarum regionum populis *ſua eſſet* ex fruge madida ebrietas, nullaque in parte mundi ceſſaret.

Craſſiores hodie pinguioresque cereviſiæ non ad antiqui potûs conſuetudinem ſitim ſatiant, ſed ex craſſo liquore ſemper quid in faucibus relinquitur, quod illas irritat, ſuccedente potu diluendum, unde illa perpotandi dulcedo, quamvis nec omnis hodie Weſtphalus adeo ſollicitè curet:

Num cereris quidem
Lacuna pallentis recocta
Fruge ſitim lutulenta pellat.

Satis ſe contentum oſtendens:

Si prope dolium
Spumantis ad fumum lagenæ
Et patriam ſedet unctus offam.

Digitized by Google

Verum mirari ſubit, quomodo ante bis mille fere annos Chauci, Chamavi, Bructeri aliique Weſtphaliæ ſeu antiquæ Saxoniæ populi memorante *Tacito totos dies juxta ignem atque focum agere*, & tam tenui potu compotare potuerint, ſed id mirum videri non poteſt illi, qui ad ſeculi præſentis genium attendit. Nunquid enim magna pars Weſtphaliæ præſertim ad tractus Batavos vicina totos dies tam æſtate quam hyeme juxta ignem ac focum moratur, nunquam melius contenta, quam ſi ſimul adſit lignea:

Aut teſtea præſto
Amphora, perque manus calidas, perque ora feratur,
Punicios fundens reſupina in guttura fluctus.

Intra popinas & diverſoria Weſtphalica non eſt periculum, ut aberres, ſuſpenſa hedera ubique fores oſtendit. Intra forte offendes cum *Lipſio*, cui is caſus contigit, ad ignem ſedentes aurigas & ſcrofipaſcos, quibus non raro aſſidet:

Horridus & Cuſtos Caprarum oviumque Magiſter,
Atque lacertoſus Foſſor, durusque Subulcus.

Sedent ad focum ſed non otioſi, fumant, potant & dies præſertim feſtivos poculis celebrant. Sed hoc in pagis & villis apud ruſticos. Intremus potius urbes & oppida, ibi forſitan focus nullos habet aſſeſſores?

Intremus cellas, coctæ cererisque tabernas
Prô quanta hic etiam fumantum turba bibentûm.
Quanta phalanx ſtrepit, & mixtas ciet ebria voces!

Intra inquam urbes & oppida maxime diebus ſacris, ibi cernes:

Vale

Digitized by Google

Vale vix templis dato
Mora nulla multos per tabernas dividi,
Et has & illas, dimicare poculis,
Et his & illis, de Capacioribus
Crater in orbem Centies it & redit,
Et hinc & illinc pro ſalute Principis
Et pro Miniſtri, pro Miniſtræ, pro ſua
Ut cuique libet fauſtitate candide
Exhauriendis uſque ad imas ſtillulas
Dimetiendas in ſuprema pollice.

Ut aliquis ingenioſus Scriptor id proponit, ſed quis ſeverioris naſi Ariſtarchus hoc vitio vertet Weſtphalis? Quis morem hodie tollet antiquiſſimum? Foci iſti naturaliter deſidiam pariunt, cui ne accedat otium, adeſt poculorum illicium. Sed linquamus tantiſper & hæc diverſoria & privatas quoque domus, in quibus iſta celebrantur Bacchi Bromi orgea, & audiamus in cereviſiam Satyras & Cavillos.

Fabius Chiſius ad Pacis Monaſterienſis Tractatum Legatus Apoſtolicus, poſtea Pontifex Maximus fertur de cereviſia ſpeciatim Weſtphalica hanc tuliſſe cenſuram, ut ſi illi parum ſulphuris addatur, potus ſit futurus infernalis. Nil mirum, à juventute aſſuetus erat vinis Italicis, quæ cereviſiæ præferenda eſſe nemo dubitat.

Henrici Abrincenſis Normanni in aula Henrici Tertii Anglorum Regis Poëtæ non minus acutum eſt Scomma:

Neſcio, quod ſtygiæ monſtrum conforme paludi
Cerviſiam plerumque vocant. Nil Spiſſius illa

Dum bibitur, nil clarius eſt dum mingitur, unde
Conſtat, quod multas fœces in Ventre relinquat.

Sentiebat ille cum Anglis, quorum phantaſma eſt Scorbutum olim in Britannia nunquam viſum, Cereviſiæ Anglicæ, quam Alam vocant, unice ortum debere, quod an veritati conſentaneum ſit, non eſt locus hic diſputandi.

Non ſapuit Cereviſia *Guidoni Patino* Univerſitatis Pariſinæ Profeſſori quondam celeberrimo, unde quid de illa ſentiat Tom. 3. Epiſt. 529. ſequenti diſcurſu ſatis prodit. Dominus *Delouviſius* abit in Flandriam ad urbes noſtras viſitandas. Fama eſt nos intra biennium in illis amiſiſſe bis mille viros ex morbis penuria pravi alimenti, & inprimis malæ cereviſiæ, quæ crepare facit noſtros milites maledicto huic potui non aſſuetos. Amarem potius bibere aquam bene puram & defæcatam ex Senna fluvio, quam univerſæ Septentrionis cereviſiam. In ejus vituperium D. *Gujetus* oriundus d'Angers Epigramma Latinum compoſuit, quod incipit:

Triticii latices menſis borealibus apta
Munera, ſed Celtis tetra Venena meis.

Lubentiſſime ei aſſentior, quippe non amo cereviſiam, neque vinum emeticum Chymicorum, neque vinum apud Hoſpites, neque vinum valde bonum, parum inde bibo. Ita *Guido Patinus* Pater.

Nec aliud ejus filio *Carolo* fuit palatum. Hic in Relationibus Hiſtoricis Itinerariis Relat. 2. p. 9. in deſcriptione Bavariæ, dum ejus ad res neceſſarias memorat abundantiam, in menſis tamen deſiderat vinum. Cereviſia inquit, quæ cibo fortaſſis eſt

Digitized by Google

eſt melior, quam in alio mundi loco, hunc defectum, non reſarcit. Potus hic ad ſummum non eſt niſi paſta liquida nutriens ventrem & ſtomachum, non attingens vero iſtam partem ſuperiorem, in qua ſpiritus capit ſuam alimenti portionem. Non habet illa divinas iſtas atomos, quæ calefaciunt imaginationem, & tollunt Melancholiam & tædia. Ratio quidem per illam perditur, ſed ſine gaudio & in animo ſe demergit elangueſcens. Sic Patris ad exemplum diſcurrit Filius. Uterque forte melioris rectæ cereviſiam non deguſtavit. Fuerit Cereviſia Flandrica non ex cenſu meliorum, ut ad militares morbos cum alimenti penuria contribuerit, quid hoc ad univerſæ ſeptentrionis cereviſiam, ut maledictionem mereatur? Non erit Celtis, niſi ſe à natura humana alienos faciant, magis quam Germanis venenum. Eſt vino ſua gloria, eſt & cereviſiæ ejus ſuccedaneo, ſed utrimque bonis & frugaliter potatis. Etiam utriusque intemperantia minus facit longævos.

Interim licet in Weſtphalia plurimisque Germaniæ locis non prematur torculari uva, non tamen deficit vini geroſioris copia, quamvis multis impenſis ſit ad vehendum. Exemplo ſit vel una Mimigardia, in qua ultra triginta reperias Baccho deſtinata hoſpitia, ibi apud melioris ſortis incolas Bacchus in quovis convivio menſis imperitat, ibi inter Cauſidicos fluit vinum ſententiæ plenis Crateribus. Ibi mulieri non uni micat facies, qualis vento rubet aurea Phœbe. Non uni Civi, rubeis baccata renidet frons papulis, Bacchi regerminantis gemmis.

Repono Patinis *Hugonis Grotii* ab ipſis laudati Poëma, ab eodem peotum Cereviſiæ præ vino Gallico rurſum in Gallia anhelante compoſitum, quod ob elegantiam hic meretur apponi:

Humor dulcis aquæ, ſed igne coctæ,
Quam Succo Ceres imbuit ſalubri,
Qui corpus vegetat, nec impotente
Commotam furiat vapore mentem,
Quo potu fruitur Batava tellus,
Neptuni domus, horreumque mundi,
Et quotquot populos mares ab alto
Cœli culmine conſpiciatur Arctos.
Ipſæ te ſitiunt novem Sorores.
Nec Permeſſidæ proliciuntur undæ,
Ex quo Græcia barbaro ſub hoſte eſt.
Nec Bacchi cyathos amant puellæ,
Sed Rheni Vahaliſque temperatos
Almis paſtibus hauriunt liquores. &c.
At me ſentio larga cum ſequatur
Vini copia frigidique fontes.
Heu muſæ fugiunt. Venite quondam
Dilecti latices, nec eſſe crudum
Nec decet contra ebrium Poëtam.

Favent Germani Patinis eorumque conterraneis Aquam fluenti Seinenſis. Non ita deſipiunt ut hanc cereviſiæ præponant. Quis demens ad potum aquæ hominem ſanum damnet, ſi Cereviſia ex ſalubri aqua, maturiſque granis rite præparatis bene cocta, fermentata ætatis & ſubſtantiæ mediocris ad manus ſit. Biberint Hydrophili *Patricus* & *Naudæus* Theſidem:

Hydro-

Hydrophus Teuto eſt, morbum hunc ex ubere duxit,
Ad lymphæ nomen, pallet, ſudat, tremit, alget.

Ut canit P. *Jacobus Balde.* Sanis & robuſtis non inſalubris eſt cereviſia. Ægri ad liquidos fontes vel etiam coctam mittantur undam. Cereviſia ſive à cereris vi, ſive quod juxta jocum *Jani Douſæ* cerebrum viſat, ſive juxta *Jani Kattericii* ſtroma.

Æquo ſi pluris bibitur, Cere-dividitur-Brum. Etymon ducat, Germanorum nectar eſt, & verum vinum arviſium, ex frugibus in arvo natis eductum, ut Cives & Ruſtici illud Maronis uſurpare poſſint:

Ante focum ſi frigus erit, ſi meſſis, in umbra
Vina novum fundunt Calathis arviſia nectar.

Si modo pro Calathis Cantharos & Teutos à Teutone ſeu Thuiſcone Germanorum proto-parente ſic appellatas ſupposuetis. Non enim amant pitiſſare Germani aut poculis oſculum figere. Cereviſiam bibunt non more Paulino ſed Palatino. Unde equidem evenit, ut ſicut *Patinus* ingenioſe dixit, in Septentrione ſæpius ægrotent ex morbo polari, quod eſt nimium bibere.

Fallitur admodum *Carolus Patinus.* Etiam Cereviſia partem iſtam corporis ſuperiorem, in qua reſident ſpiritus, attingit. Poteſt namque de Germano potu hoc utente dici illud *Platonis* L.I. de Lege. Plenus omni confidentia atque audacia, ut quodvis ſtrenue atque impigre & dicat & pariter agat. Etiam atomos habet, quibus calefa-

calefaciat imaginationem & tollat melancholiam. Quis enim neſcit, quod etiam inſtar vini inebriando ſpem reducat mentibus anxiis viresque & addat cornua pauperi. Etiam cereviſia non rarò in prælia trudit inermem, ut canit *Horatius*, facisque quod de vino dixit *Diphilus Comicus* apud Athenæum, *ignavum ut audeat, & timidum ut fortis ſiet.* Præſertim ſi non bibatur ſed potetur, quod noſtri Sauſſen vocant. Et Bacchus *Saphus* ejusque Sacerdotes Saphi vocantur. Et *Juvenalis* Satyra 9. Sacerdoti bonæ Deæ muliérculæ bibaculæ nomen *Sauſſeæ* apte dedit, quæ adhuc hodie videtur habere ſuas neptes. Apud *Oſorium* Caji Saufei, apud *Eutropium* Lucii Saufei, apud *Cornelium Nepotem* & Ciceronem ad Atticum Ep. 11, Decii Saufæi fit mentio. Etiam tales in Germania reperias. Furionum & Sentiorum familia apud Romanos habebat cognomina Bibaculorum. Familia Calpurniorum & Publiciorum gaudebat cognomentis bibulorum, & has ſimilias invenies. Lex olim dabatur Saufeia teſte *Gellio* L. 15. c. 10, hæc nondum videtur apud Germanos abrogata.

Adhuc hic unus eſt refellendus Cereviſiæ Weſtphalicæ oſor, utut ex Weſtphalorum gente familiam ſuam procedere glorietur. *Lipſius* ille eſt, qui Weſtphaliam peragrans forte in hoſpitium, quale ſuperius deſcripſimus, Ruſticis compotantibus obſeſſum inciderat, inde poſtea Weſtphalos Piſces profecto non ſatis ingenioſe appellavit: *ô Piſces! Piſces* inquit 1. Epiſt. 20. *non hæc aqua, in qua vos natetis, & magis vobis faciat ille à Cithærone liquor, quam hic ab Helicone.*

Sed

Sed ô *Lipſi*, certe nunquam in vino aut cereviſia videas natare piſces, aut in aqua Weſtphalos quærere delicias, qui noverunt illud:

Vina bibunt homines, animalia cætera lymphas.

Voluit eos ſtupidos indicare & quaſi liquore, Heliconis penitus indignos. Sed noviſſe debebat etiam in antiqua Saxonia dari fonte Aganippidos ebrios, qui noverint vino aut cereviſia miſcere aonias undas, & cum bene poto *Ennio* proſelire ad arma anſerina. Etiam Weſtphali ex cellis Bacchæis ad ſacra Pindi culmina aſcendunt & cum mero mutant latices Pierios. Tales piſces *Lipſi* ait Weſtphalia, etiam ſynceri è vite liquoris amatores, qui non tantum dum adhuc

Stat Scyphus ante oculos, & turgida vena lyceo.

Poëticis corripiuntur enthuſiaſmis, ſed & apti ſunt graviſſimis negotiis, conſiliis, legationibus expediendis.

Dicendum nunc aliquid de Keuto urbis Monaſterienſis cereviſia, de qua exilis apud Exteros opinio. Refertur enim pridem inter cereviſias minus ſalubres, unde *Simon Pauli* in Quadripart. Botanic. claſſ. 3. p. 379. hos recitat verſus:

Lipſia dat Raſtrum, Cucuk Witeberga celebris,
Halla Puf, & Keutam Weſtphala terra coquit.
Hi tenues ſtomachum poterunt torquere liquores,
Mentis at exitium gignere vix poterunt.

Nolo hic diſputare de ſalubritate hujus potûs. Docet tamen experientia etiam ſæpius à Keuto non minori concentu cani hymnos, quam à Bacchi ne-

ctare. Etiam hic tollit vim formandi imagines, ut loquitur *Helmontius*, nemo namque ebrius pauper eſt.

Infelix ſane foret Weſtphalia ſi tot præclari in ea Viri cereviſiam tenuem bibere cogerentur, nam quantum talis nocet, Henricus *Meibomius* ſequenti verſu exprimere voluit:

Noxius eſt tenuis labens in viſcera potus.
Corporis is vires, robur & omne clepit.
Hinc olidi ructus & flaveſcentia membra,
Turgidus hinc hydrops & luis omne genus.

Verum hic controverti poſſet. An cereviſia juſto pinguior ex granorum copia & inebrians ad ſanitatis conſervationem & vitæ prolongationem tam ſalutaris ſit, poſſet tum quidem ſubire vices vini, ut *Will. Brito* l. 2. Philipp. de Flandrenſibus ait:

Indigenis potus; Teſtidi miſcetur avena,
Ut vice ſit vini multo confecta labore.

Memorabile tandem eſt, quod cereviſiarum bonitas & diverſitas potiſſimum à qualitate aquæ dependeat, ubi mirari licet, etiam ex eadem aqua & polenta per eundem braxatorem diverſis in locis eandem non coqui cereviſiam, quod certo aëris ætherisque influxui deberi videtur. De variis cereviſiarum differentiis conferatur Lexicon Artis & Scientiarum Jo. Theodori *Jablonski* p. 92. Et hæc dicta ſufficiant de cereviſia, cujus Bibi in ſalutem tuam ſcyphulum, cura, ut brevi reſpondeas & valeas. Vredenæ Nonis Octobris MDCCXLV.

Epiſtola

Digitized by Google

Epiſtola Reſponſorio X.

Poculum Cereviſiæ Weſtphalicæ in ſalutem ab *Oreſte* propinatum acceptat, eique reſpondet *Pylades*.

Vredenam.

EPiſtolæ tuæ Weſtphalorum cereviſiam contra *Patinos* & *Lipſium* defendentis lectio ſingulari me voluptate affecit, argute namque & erudite horum cavillos refutaſti, conceptus igitur quoque hoc de potu meos accipe pro reſponſo &c.

Humanum corpus uti & ceterorum animalium ex ſolidis & fluidis componitur. Neceſſe igitur eſt, donec ad juſtam ſtaturam perveniat, ſolidis ac fluidis ſeu ſiccis & humidis, quæ in ſubſtantiam ejus abeant, enutriri, & quia illa poſtquam in ſtatu ſuo eſt, indies conſumitur, & diſſipatur, iisdem refici, reſtaurari & conſervari: quam ob cauſam homini fames, quas cibum, & ſitis, qua potum appetat, conceſſa eſt, & ventriculo donata poteſtas alimenta digerendi & concoquendi ſeu liquore ſuo menſtruo & fermentali diſſolvendi, ipſi autem maſſæ ſanguineæ indita vis chylum ex cibis paratum in ſuam naturam convertendi, cui præſertim potus ipſe inſervit, ſeu chyli vehiculum & fluiditatis materia, quem proin ſupremus rerum conditor jam ab initio homini dedit ſaluberrimum, qui neque ad ebrietatem faceret, neque ad repletionem, nempe aqua à Deo ordinata eſt, univerſalis omnium animalium potus, & ad ſitim reſtringuendam & fluida corporis animalis reſtituenda & ſuſtentanda ſufficiens. Sane in primævo mundi ſtatu ſolus quoque

que & unicus fuit, & nunc eſt plurium adhuc gentium ordinarius potus, in eo quod magis eſt, eo hodie progreſſa aquæ ſimplicis & vel frigidæ excellentia, ut moderni etiam celeberrimi Medici eandem medicinam verè univerſalam eſſe audacter pronuncient & inſignibus obſervationibus confirment, ſicuti *D. Fridericum Schwertner* plurimos de illa Tractatus in tribus Tomis collectos publicaſſe noviſti, poſteaquam vero finito Cataclyſmo Patriarcha Noë plantaverat vitem, & mundus deguſtare cœpit, nectareum ejus liquorem qui tamen univerſalis omnium populorum potus eſſe non poterat, meditati ſunt, quomodo aquam palato gratiorem & corpori nutriendo magis accommodam & ſalubriorem per artificium redderent.

Hoc invento Ægyptii primum ſeſe reddidere celebres, qui referente *Herodoto L. 2.* in Catarpe deficientibus in eâ regione vitibus hordeo aquam meditati ſunt, *quam vinum factum ex hordeo* præfatus. Author appellat, quod compoſitum quo ſpeciali nomine indigitârint nullibi tradit. Interea *Strabo L.* 17. de Ægyptiis perhibet, *Cereviſia quanquam propriè apud illos fiat, tamen communis eſt, & apud quemque diverſo modo conficitur.* Nomen igitur Cerevíſiæ huic potui à multis ſeculis jam adhæſit, licet & alii *Cerviſa*, *Cerveſa* & *Ceraviſa* denominarint, à quibus & Galli ſuum *Cervoiſe* mutuare placuit. Leibnitius Gloſſ. Celtico *Cereviſia*, inquit, *quibusdam apud Plinium ceria cereviſiarum à vi cereris derivare hominum eſt neſcientium latina plurima à Celtico eſſe petenda, & maximè in rebus, quæ erant apud Celtas. Hinc ridiculæ ſunt plurimæ Varronis, Iſidori & ſimilium Etymologiæ*

mologiæ &c. Scribit autem *Diodorus Siculus* primum apud Ægyptios authorem fuiſſe aut Dyoniſium Hammonis filium, aut Oſyridem, quem ille ſibi in filium adoptavit.

Quare à loco primæ inventionis Potus Petuſianus à *Petuſio* Nyli Ægyptiaci oſtio nominatur teſte *Columella*:

Et Petuſiaci potabit pocula Zythi.

Galenus Zythum quoque & *Dioſcorides L.2. C.311.* appellant. Ariſtoteles *Pinum* vocat vinum, quod ex hordeo fit, ut *Suidas* hoc ipſum & Sophocles & Aſcylus βρῦτον vocarunt. Inde ad alias nationes vini nativi penuria laborantes potus hic delatus, propagatus & pro varia variorum locorum natura, uſu, conſuetudine variis nominibus appellatus eſt, ut pene dicere poſſim, famoſiſſima ubique domitur, celebratur, propinatur & ingurgitatur cereviſia, Nectar Deorum, de quo inſignem textum ex *Plinio L.14. C.22.* huc adſcribere allubeſcit: *Eſt & occidentis populis ſua ebrietas fruge madida, pluribusque modis per Gallias, Hiſpaniasque nomibus aliis ferè ratione eadem.* Hiſpaniæ jam & vetuſtatem ea ferè genera docuerunt. Ægyptus quoque è fruge ſimiles ſibi potus excogitavit, nullaque in mundi parte ceſſat ebrietas: Meros quippe tales hauriunt ſuccos, nec diluendo, ut vinum mitigant. At hercle tellus illic fruges parere videbatur. Heu mira vitiorum inſolentia. Inventum eſt quoque, quomodo aqua inebriaret, hæc ſcitiſſimus Plinius. Tandem quoque ad Germanos Brittannos, Auſtriacos, Pannonas aliosque ſeptentriones incolas potus hic delatus eſt, qui illum *Bier* vocarunt, à

quo

Digitized by Google

quo Italorum *Birra*, Gallorum *la Biere*, Anglorum *Béere* denominationem acceptarunt, ut *Buxhornius* notat in Lexico, cui conſonas *Beer* reperias in Gloſſ. Evangelica Anglo-Saxonica *Luc. I.* 15. ***Andbere drith Win ne Beere :*** Vinum & ciceram non bibet. Nec ab hoc multum diſtat *Saterlandiæ* noſtræ *Beora*, unde autem nomen *Bier* hic potus acceperit, non adeo conſtat. Voſſius à latino bibere derivat de *Vit. Serm. L.* 1. *C.* 4. quem tu quoque allegaſti verba ſunt: *Videmus exiſtis, quam variè barbare Zytum appellaverint, ſive quod vulgo* BIER *nominamus, nempe voce à Romanis militibus accepta quibus illud in ore*: DA BIBERE.

Sed ne diutius indagini huic Etymologicæ inhæream, certum eſt antiquam Saxoniam ſeu Weſtphaliam noſtram vitibus & vino carentem cerealem hunc potum dudum invaſiſſe, quam ſatis vilis conditionis fuiſſe ex Cornelio Tacito oſtendiſti, nominat enim *humorem ex hordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptum*, qui tamen hodie mediante polentæ ſeu maltæ toſtione, fermentatione, & lupi ſalictarii alias lupuli nuncupati additamento majorem perfectionem nactus eſt, ut licet nunc adhuc paſſim apud nationes meri bibulas convitiandi objectum ſit, quam ſtrenue ſatis contra *Lipſium* & *Patinos* defendiſti, potus ſit longe ſaluberrimus, qui & ſanos, pulcherrimos, robuſtiſſimosque reddit potores, quantum vis conficiendi ratione ejusque temperamento & coctionis modo, conſiſtentia, colore, ſapore, odore, ætate locoque, aliquando & conditura, proin quoque nomine valde differant, ut ſi per omnem cereviſiarum claſſem exſpatiari liberet, & Epiſtolaris anguſtia permit-

permitteret, oſtendere poſſem, quia vero fermentatio præcipue cereviſiarum prope omnium ſubſtantia eſt, pene præteriiſſem per transennam inſpergere vernaculè **gören** dici fermenteſcere, quando per calorem naturalem infuſo feculenta ejiciuntur.

Wachterus Gloſſ. Germ. à Celtico *Gör* & ab eo *gören* effervefcere, h. e. feces ſurſum trudere deducit, poſthabita *Helvegii* opinione ab egerere derivantis, quoniam *göeren* proprie dicatur de muſto vel cereviſia recens cocta, quatenus fecem egerit, vide illum h. *Voce.*

Qui autem de variis cereviſiarum differentiis informari cupit, adeat *Willichium* in *Tacitum*, *Henricum Lanzovium* de *Sanitate tuenda*, *Hadrianum Junium* Libro *Hiſtoria Bavarica*, & in primis *Jo. Henrici Meibomii* de *Cereviſiis* doctiſſimum Commentarium, de *Cereviſia* vero Germanorum *Abrah. Wernerum* & noviſſime de omnibus cereviſiis tractantem. Cl. *F. E. Bruckmannum.* Ego, quæ ad Weſtphaliam, & inprimis ad hanc patriam pertinent, brevitatis cauſa his pertractabo, ubi tamen tibi non ingratum erit cereviſiæ, quam *Hannovera* & *Hildeſium* Civitas, natalium tuarum dulciſſima parens, coquit, ortum tibi procul dubio ſat notum repetere, eo quod Monaſterienſis & Hammonienſis civitatis potus, *Koytha* dictus ad *Breuhanæ* qualitates proximè accedat colore, odore & ſapore eadem haud multum inferior.

Hammona igitur & *Monaſterium* Weſtphaliæ Metropolis egregiam cereviſiam coquunt. *Koythæ* nomine, quam bonam deprædicat *Hammelmannus* O. W. *Tom. I. p.m.* 83. *In hac*, inquit, *civitate coquunt cereviſiam, quam* BATAVIAM *dicimus* KOITH

ex

ex tritico ad modum ſimilem Hamburgenſi cereviſia eſtque bona. At quare inde *Bataviam* vocet *Hammelmannus* non divino. Forte *Potaſicam* dicere voluit, quod nomen penes urbis incolas civitate donatum eſt.

Noviſſimis quoque temporibus celebritatem obtinuit, *Koitha Schoneflietana* à *Schoneflita* arce, Cathedrali Capitulo Monaſterienſi tributaria nomen trahens. Hanc præprimis ceu melioris notæ ſanitati commendabilem volunt, eo quod foſſæ arcis, ex quarum aquis potus hic braxatur, calamo aromatico ſunt abundantes, quod Medicis judicandum relinquimus. Has inter cereviſias patrias ſpernenda non eſt *Steinfurtenſis*, cognomenti *Dreni* (pagus Veteris Saxoniæ antiquiſſimus) de quo Celeberrimus *Alpenus* in Vita *Chriſtophori Bernardi* Epiſcopi Monaſt. *Lib. X. p.* 607. ſcribit: *Genus eſt vix alterum ob tenuitatem febrienti* Salutarius, quali *Dreni Steinfurdiæ* (Dynaſtia Reckiorum eſt) coqui ſolet, ubi Author latè deſcribit, quomodo Principi ſuo febri maligna laboranti eandem guſtandam perſuaſerit, renitentibus vero Medicis cum pauxillum tantum ſorbillaſſet, acceleratæ mortis cauſam inde contraxerit, ſed credo Elenchum cauſæ non cauſæ Medicos commiſiſſe, non enim tam cereviſiæ deguſtatio quam potus re fractaria negatio Principi optimo fatum accelerarit. Ita ſæpe cereviſiis tribuitur, quod aliis cauſis nempe ejus nimiæ ingurgitationi debetur, habet enim cum vino vineali commune vinum, è fruge, quod inebriet, unde elegans hoc Diſtichum eſt Jani Douſæ:

Quæritur, unde ſuum ducat cereviſia nomen,
Quod cerebrum inviſat crebra ſabelle tuum.

Quod

Digitized by Google

Quod ita placuit *Janokottentio*, ut Stromatum *Lib*. 1. his Verſibus alluſerit:

Quærebam nuper, cerevíſia duceret unde
Nomen, & inveni poſtmodum tale Etymon:
Æquo ſi pluris bibitur, cere-dividitur-brum
Nam cerebri ſindit helluo quidquid habet.

Etſi igitur *Koitha*, aut quæcunque alia cereviſia immoderatè & in exceſſu hauſta caput turbando crapulam excitet, ex hoc conviciis oneranda non eſt magis in Weſtphalia, quam cœteris in regionibus, omnis enim ex fruge ſufficiente coctus potus mediante fermentatione acquirit volatiles ſpiritus, qui temulentos reddunt & in prælia trudunt inermem, facitque, quod de vino Diphilus Comicus apud Atheneum L. 2. *Ignavum, ut audeat, & timidum, ut fortis ſiet.*

Neutiquam hic ſub ticenda eſt communis, ridicula licet, de *Lullio Balvico* vulgi obſervatio, eo quod oppidum ad Ducatus Weſtphalici pertineat gremium, loci illius cereviſiæ ſingulare *Lullii* promeruit cognomen, cui illud tribuitur indolis atque effectus, ſive vitium ſive virtus, ut tertia demum die inebriet ſtrenue potos. Ludit in illud non in amœnum, neſcio cujus, ingenium:

Lullium in BALVIS *bibitur ex cantharis balvis,*
Et jacet in MAGIS *noctibus atque dagis.*

Ego quidem tenuitati cereviſiæ hoc adſcribendum judico. An alio Phyſices forte impraegnata ſit myſterio, tui fori eſt oſtendere, utpote quem te hoc loco olim deguſtaſſe ſcio. Hac occaſione per parentheſin te ſcitari lubeat, quid cauſæ ſit, quod

Digitized by Google

apud Ariſtotelem libello de *Ebrietate* lego, vino ebrios in faciem cadere pronos, at reſupinari inebriatos potu hordaceo ſive cereviſia? Scio cauſam ejus dari à Voſſio Lib. de *Vit. Sermonis*, nempe: quod potus hic habeat, quid χρωτικόν ſive ſoporiferum. Verum & hoc vino admodum cognatum eſſe quotidiana compertum eſt experientia. Cæterum quoque indolis generoſiſſimæ eſſe cereviſiam Exemplo tibi ſit *Breuhana* Patriæ tuæ incola: de quo tibi notum eſt Diſtichum:

Grandia ſi fierent ſummo convivia cælo,
BREUHANAM *ſuperis Jupiter ipſe daret.*

In virtutum illius tibi notiſſimarum laudes hic nolo excurrere, conſtat etenim à concive tuo Clariſſimo *Behrenſio* in Selectis Diæteticis *Lect.* 6. *p.* 4. eam ſummè dilaudari, & merito, quia, ut Schockius eam vocat, cereviſia eſt raræ elegantiæ ob ſaporis dulcedinem, coloris flavedinem, odoris ſuavitatem, cui etſi æmulam coquere in aliis civitatibus ſcœpius tentatum ſit, attamen nunquam effectus voto reſpondit. Fuit ante plures annos *Cæsfeldiæ* Medicinæ Doctor nomine ſatis notus, qui quod Hildeſii & Hannoveræ quondam *Bruhaniæ* nectar deguſtaſſet, conatus eam coquere, ſed infelici ſucceſſu, obtento tamen inde prædicato, quod apud Naſutiores *Doctor Bruehan* audierit. Fortunacior ſane famoſiſſimus ille Bacchi nepos Conradus *Breuhanus* inventor immortale ſibi nomen per eandem acquirens. Natus hic erat in Pago *Stockem* leuca una à Civitate Hannoverana haud procul Cœnobio *Marienverder* anno 1570. defunctus, atque ad S. *Ægidium* Hannoveræ ſepultus, qui

qui Braxandæ Hamburgenſis cereviſiæ periculum faciens, novam hanc cereviſiæ ſpeciem adeptus eſt, anno 1526. die Jovis poſt Trinitatis in ædibus *Toden*, de quo conſulendi Cl. Daniel Eberh. *Baringius* Deſcriptione Salæ *p.* 16. *ſq.* & Chr. Ulr. *Grupenus* in Originib. Hannoverenſ. *p.* 372. tum inventoris nomen ſemper retinuit, & ipſi Urbi Hannoveræ novum decus addidit, ita ut hujus beneficii memoriam Numismate poſteris commendaverit, quo *Tauberus* hoc verſu collimat:

Hannoverana alias vincit res publica multas.
Si vel nulla foret, cauſa BROEHANA *foret.*

Dignum autem videtur referri, quod *Erythræpelius* in Panegyri Jenæ Ao. 1675. habita, cui titulus: *Amor Patriæ Hannoveræ*; ſcribit in nomine *Hannoveræ*, Græcè ſcripto ſe obſervaſſe. Audiamus ipſum Authorem: *Sæpius cogitandi mihi id maximè mirari ſubiit, quod ipſum Hannoveræ nomen omen innuere videatur, ut & idiomate Græco ex* Αννοβερα *transpoſitis litteris* BREUHANA *prodeat.* Anagramma hercle ingenioſum.

Redeo ad Weſtphalorum cereviſias, quarum cenſu utique ceu præ cœteris quidem commendata referenda Mindenſis. *Zach. Gœzius* Diſſert. de Numinis *Diſſ. XII. p.* 258. ſpeciale hoc ille tribuit elogium: *Mindenſis licet non Londinenſis, in Germania tamen paucis cedit. Notæ optimæ eſt cereviſia, quæ hic coquitur, ut vix in univerſa Weſtphalia, non dicam Hollandia, eſt Urbs, quæ hanc non publicè vendat.*

Idem Author eodem loco Cereviſiæ Osnabrugenſis in tranſitu memor, *pinguem*, inquit, *olim*

Digitized by Google

coquebant noſtrates, *quam* Buse *vocabant*, *quæ in vicinis locis non ingratum exhibebat potionis uſum.* At velim mihi dicas, cur Hammonenſis *Keutha*, Mindenſis *Bira* ut & *Buſa* Osnabrugenſis (de aliis potibus, quin idem obtineat nullus dubitabo) cur, inquam, ad aliquot leucarum intervalla peregrè profectæ gratioris ſaporis inveniantur, quam in ipſa patria? Sane à fide dignis relatum habeo, Hammonæ & Mindæ opulentioris conditionis Incolas cereviſias ſuas vaſis majoribus repletas curribusque impoſitas gyrando huc illucve devectas demum cellis inferri, quo ſapore evadant exquiſitores. Sed quid extraneæ cereviſiæ, tibi quam mihi inhæreo? Domi cereviſiam habemus, quam ſatius eſt à contumeliis tecum vindicare, quam deprædicare peregrinas. Omnem in genere cereviſiam ex fruge paratam aut quocunque *Zythi*, aut *Curmi* nomine appellatam antiqui paſſim Medici poſt *Galenum* & *Dioſcoridem* ceu pravi Succi, mali nutrimenti & nocumenti damnarunt, cum tamen hodierna experientia hos omnes refellat, docens Germanos, Anglos, Belgas, Weſtphalos totiusque Septentrionis incolas cereviſiæ potores vigore, robore, bono habitu & vitæ prolongatione nullis gentibus Oenopotis cedere, quod ſuſpitionem ac conjecturam facit, alium cereviſias parandi modum olim, quam nunc fuiſſe, omnes enim prædicti veteres Medici illas ceu ex putredine provenientes (quod forte etiam per potum *vini inſtar corruptum* indicare voluit Tacitus) noxias proclamant, hodie vero, etſi in genere & communi quadam ratione confectionis conveniant, nihilominus tam variè modus iſte variat, ut nulla ſit Urbs, Oppidum

aut

aut Pagus, in quo per noſtram Weſtphaliam non parte aliqua cereviſiæ ſunt diverſæ, quarum ſi fortaſſis hinc inde aliqua vel ob maltæ præparationem ſeu toſtionem in ferrâ exciccationem ſeu braxationem & fermentationem varioſque in illis commiſſos errores ſit vitioſa, univerſaliter hoc ad omnes noſtræ Weſtphaliæ cereviſias applicari nequit. Sufficit omnibus ſervatis conditionibus & circumſtantiis optimum ex hordeo vel tritico confici vinum cereale in Weſtphalia, etiam vilioris notæ vineali præferendum, utpote qualitatibus imprægnatum, quas Schola Salernitana requirit:

Non acidum ſpiret cereviſia, ſit benè clara,
Ex granis ſit cocta bonis ſatis ac veterata,
De quà potetur, Stomachus non inde gravetur.

Mirum autem Gallos, Italos & Hiſpanos hodie cereviſiam ita averſari & vituperare, quam quidem primis temporibus & paraſſe & bibiſſe teſtis eſt *Diodorus* L. V. c. XXVI.

Cum, inquit, *Galliborum fructuum* (vini & olei) *expertes ex hordeo ſibi potum conficiunt, qui Zythus appellatur.* Jo. Iſaac. *Pontanus* in Gloſſar. Priſco Gallico voce *Zythus*: evincere conatur. Zythum proprium eſſe Gallorum potum, non Ægyptiorum, ut putavit *Plinius*, vocemque ipſam non Ægyptiam eſſe, ſed Gallicæ originis.

Imo vero præter vinum & zythum *(cidre)* cereviſiam quoque per univerſas Francorum ditiones vel inde à Carolingorum temporibus jam adamatam & frequentem extitiſſe colligo ex *Beati Lupi* Ferrarienſis Abbatis Epiſtola *C.* 109. *p. m.* 161. quam ad *Marcuuardum* & *Eigilem* ſcripſit: En ipſa

teſtis domeſtici verba. FOLCHRIUM & MAUR. *cupimus cum fratre memorato* (qui pœnitentiæ cauſa abfuerat) *redire, ut piractio* (Potus ex pyris coctus) *quo unice delectantur* (*nam hoc anno penuria vini timetur*) *nobiscum fruantur. Raritas tamen fructuum id ipſum defuturum, ut prodamus veritatem, minatur*, CEREVISIAM VERO STERILIS ANNONÆ *proventus*.

Etiam horum defectum ſubin aquam ex puteo ſuppleviſſe ex eadem Epiſtola liquet: *Tuto igitur* (pergit Abbas) *naturali potu, quo ſalubritas animæ corporisque non nunquam acquiritur, omnes utemur, non hauſta lutulenta ciſterna, ſed puteali perſpicuitate aut vitrei rivi decurſu.* Prô! quantum diſtamus ab illo! Et quis vel ſtabuli famulum Weſtphaliæ Abbatiis, hoc Cataclyſmi nectare excipiat? Itali ex præjudicio & ignorantia hunc Germanorum potum vilipendunt, unde cujusdam hujus nationis ſtoliditatem teſtatur ſequens Epigramma:

Italus audierat, potum, quod Teuto pararet,
E lupulo cereris germine fontis aqua.
Non, ait, ulla tui libabo pocula potus,
Si coquis hoc catulos ſordide Teuto lupos.

Ab hujus ſententia non longè diſcedit illa Fabii Guiſii ad Tractatus Pacis Monaſterienſis olim Legati Apoſtolici, quam ad ſuos reducem de ſoli Weſtphalici ingenii interrogatum reſpondiſſe ferunt.

Tria vidi apud Weſtphalos mirabilia:

I. *Piſciculos*, quos vocant *Gründellos* &c.

II. *Vidi Epiſcopes & Epiſcopas, Epiſcopunculos* & *Epiſcopunculas.*

III. *Habent*

III. *Habent potum*, quem vocant *cereviſiam*, *affundas parum ſulphuris*, *erit potus infernalis.*

Ejusdem palati videtur fuiſſe ſupremus culinæ Scotorum Regiæ Præfectus, de quo ſcribit Ant. Matthæus in notis ad Chronicon Egmondanum Fr. *Joannis de Leydis* Ao. 1642. typis editum *p*. 257. quod cum is Legatis à Civitatibus Hanſeaticis in Scotiam ad Regis filium è ſacro fonte ſuſcipiendum deſtinatis vinum Hiſpanicum ad ſeſe refocillandum obtuliſſet, quem tamen ob nimios Auguſti Menſis calores bibere recuſaſſent, illi vero Bremenſem melioris notæ cereviſiam (**ſtarckes Bremer Doppel-Bier**) ſecum allatam eidem reciprocæ humanitatis gratia guſtandam præbuiſſent, hic poculo vix ad medietatem evacuato gratiis actis abituriens edixerit: *Addatur pix & parum ſalis*, *& erit potus infernalis.*

Mittamus præconceptas exoticorum opiones. Cereviſiam ceu potum ſanitati obſequentem merito extollat medicaſtrorum turba, Gallis, Anglis, Belgis, populo Septentrionali, Polonis, Boëmis, Ungaris & præcipuè Weſtphalis, ut familiarem, ita & conducibilem, attamen Romanos deliciarum Principes cereviſiam vaſculis porcellanis Thealibus Germanis Tabaci fumatorii amatoribus ſorbillandam propinare diſſimulari non poteſt.

Apud Hiſpanos potum ex frugibus factum, quod ferax vini locus non eſſet, ſcribit ſuo tempore *Iſidorus* Hiſpanenſis *Orig. L.XX. C.III.* Plinio *L.XXII. C.XXV.* ex frumento potus confectus eſt *Celia* & *Ceria* dictus, à quo ipſum cereviſiæ nomen nonnulli derivarunt. *Celiam* autem ex tritico, *Ceriam* ex hordeo, à colore cereo ſic appel-

latam, confectam fuiſſe tradunt Authores. Ita ut triplex hæc Natio cauſam non habeat Germanorum cereviſias cavillandi, nec in majores ſuos vina ex hordeo conficientes ipſimet ſint injurii.

Curioſum equidem foret tam miranda & heteroclita cereviſiarum Weſtphalicarum nomina, e.g. Vechtenſis in Weſtphalia DODENKOPF, Monaſterienſis KEUTHA, Osnabrugenſis BUESA, Tecklaburgenſis GRÜSINCK, Brunſvicenſis MUMMIA &c. non tantum ex primæva origine deducere, & ſuo Etymo unamquamque illuſtrare, ſed & virtutes earundem qualitatesque deſcribere, equidem vel ſola *Mummia* per utrumque orbem usque adeo famoſa eſt, ut *Nobilem Cereviſiam* appellitet Tollius Epiſt. Itinerar. I. p. 7. *Mommam* duplicem ſtatuens. *Friſche-Momm* & *Schiff-Momm*, illam recentem ſeu tenuiorem, hanc nauticam, quæ curribus Hannoveram, de hinc per viſurgim *Bremam*, inde ad *Belgas*, *Britannos*, ad *Indos* uſque devehatur. Hanc quidem præſtantiſſimam omnium, quotquot Author biberit, cereviſiarum deprædicat, cui ea vis inſit, ut niſi per parum biberis, inebrieris facillime, corrumpi tamen plerumque monet admiſta ab aurigis aqua, qua quidquid epotum, affuſa, ſuppleant, dein rurſus cereviſiæ aliûs, cujus citra ſaporis detrimentum quartam facilè partem admittit, admiſtione ab earum regionum cauponibus, ad quas devehitur, adulteretur. Hæc quaſi in tranſitu. Gröningenſium porro CLUNIAM, Neomagenſium MOLLAM, (ut Germanorum cereviſias mira denominatione famoſas taceam) hic ſcrutari ſupervacaneum. Nam quanta Scriptorum fuit diligentia in perveſtigando Scotorum potu HELA, Danorum

OELIA,

Oelia, Slavorum Olla, Gothorum Buska, Turcarum Curfia, Moſcorum Parabia, Æthyopum Zaura & Cana, Tartarorum Buza, Arabum Sortet, Hebræorum Schecar & Sicera, Polonorum Piwo, Boëmorum Horoski & Phili Bibo. Illyriorum Sabaja, qui omnes ſunt potus extritico, hordeo, avena, milio aut pannico confecti. Verum ſi quis horum originis hiſtoriam, confectionis modum & uſus rationem unà cum univerſæ Germaniæ populorum modernis potibus enucleare animus eſſet. Næ poſt Homerum Iliada ſcribere tentaret, etſi enim a multis plurima de cereviſiis cum cura elaborata circumferantur, multa tamen adhuc dicenda ſuperſunt.

Hactenus de paranda cereviſia, ejusdem virtutibus & differentiis actum eſt, reſtat hoc unum, antequam finiam, ex te adhuc intelligere. Noſtine Metamorphoſin ex vino concoquendi cereviſiam? Apage Ludos, ais, qui ſeria tractas, imo vero, amice, phyſicalia discutiamus. Abſit tecum jocari aut colloqui figuratè, quaſi dilapidando bona, vinum in aquam, ſive aurum in plumbum citra ſecretum Alchymiſticum transmutare norunt. Hæ quidem artes luxuriante hoc ſeculo noſtro Doctore non egent, mallem potius arcanum mihi patefaceres ex cereviſia vinum extrahendi.

E converſo nihilominus hanc ex illo parari ſolitam docet *Conſtantinus Africanus lib. 5. Comm. Loc. Medic. C. 2. 8. Omnis*, inquit, *cereviſia de quo bibit ex vino facta groſſior eſt, quam vina dactilica, & ad digerendum eſt duriſſima, ſed digerentes multum nutricat.* Vale, amicorum Colendiſſime,

cujus ſenectæ non tantum vini generoſi, ſed & cerealem potum in plurimos annos percupio ſalutarem. Ex Wickinghovio VI. Idus Octobris A. MDCCXLV.

Epiſtola Amœbæa X.

Aurifodina in Weſtphaliæ Torvenis detecta.

Curioſiſſimo *Pyladi*

Patriæ Monaſterienſis Aurifodinam detegit *Oreſtes.*

NOn eſt dubium, quin patria noſtra Monaſterienſis etiam auri, & argenti fodinas ſuas habeat, imo theſauros hactenus occultos recondat. Memineris ante plures annos Te quoque effodiendis theſauris ſedulam operam navâſſe, ut vulgi rumor tum temporis ferebat, & homines ſimplices, imo patriæ advocatus Fiſcalis contra Te neſcio quam actionem ridicule movens, quamvis id vir plane non amuſus id melius ſcire debuiſſet, credebant, quando ad ſepulcreti tui Weſtphalico-Gentilis conſtructionem, urnis Gentilium funebribus eruendis te occupatum fama ſpargebat. Quæ quidem relatio Tibi & omnibus emunctæ naris riſum movit, nam ut in proverbio eſt, *Theſaurus Carbones erant*, & una excitavit muſam meam, ut ſequentes tibi ſtrophas conficerem, quas quoque per litteras meas eo tempore communicatas eſſe recordor, & huc ceu apprime facientes judico repetendas.

Rumor Theſauros quærere rettulit
Te, quando ſolers rudera detegis

Anti-

Antiquitatis, ſcire poſſis,
Ut patriæ monumenta terræ,
Et illa nullis hactenus obvia
Mandare ſcripto: quæ nigricantibus
Damnata nunc adhuc tenebris
Atque nigris latitant ſub umbris.
Hallucinatur qui gravidas putat
Has aureo urnas ære, ſepultaque
Plutonis in his dona condi
Perpetua tumulata nocte
Mors eſt in olla, ſunt cineres ſuis
Urnis repoſti, quos rogus Ethnicis
Ex concrematis more avito
Corporibus ſupereſſe fecit.
Hi ſunt theſauri, quos patri ſoli
Quærunt amantes.

Dolendum profecto hæc & ſimilia Gentilium monumenta hactenus nullum poſt te nacta fuiſſe inveſtigatorem, dolendum inquam neglectam hactenus ſtetiſſe patriæ hiſtoriam, & neminem patriæ Natum ita erga ſuam matrem & nutricem gratum fuiſſe, ut ejus ſtatum per ſeculorum ætates, principia, progreſſus, caſus, revolutiones regiminum rerumque publicarum detexerit, belli & pacis recenſuerit viciſſitudines. Agnoverunt utique plurimi quantæ id ſit molis opus, quod virum requirit in hiſtoria qua nova qua antiqua apprime verſatum, in publicis non hoſpitem, juris non ignarum, in Geographicis non peregrinum, itineribus exercitatum, quæ dotes in paucis reperiuntur. Verum quidem eſt, hæc animos ſcientiæ, non autem auri cupidos ſatiare. Sed cum urnæ aliquando fuerint ex lapide pretioſo & cari metalli genere elabo-

Digitized by Google

elaboratæ, credo ſi ejusmodi his in tractibus invenirentur, ſat fore multos, qui ſe velint glebæ addicere, & ſe Tibi in effodiendis illis ſocios adjungere, pro ea quæ hodie regnat auri idolomania. Sane iſta detegere Gentilitatis producta etſi non ſit lucriferum, ſaltem eſt Luciferum, quatenus multis antiquitatibus eruendis facem accendit, *non enim omnes theſauri Cinis erunt*, ut dicit Alciphron apud Eraſmum in Adag. p. 303.

Invidorum itaque eſt alienis laboribus detrahentium, vel pigrorum labores ſubterfugientium, vel ignorantium ejusmodi hiſtoricas delicias nauſeantium, id quod in Decuriæ Monumentorum primæ cenſura nuper expertus es. Mihi ſanè licet profeſſionis medicæ ſphæra ſit conſtituta, melitemata quoque iſta apprime ſapiunt, unde in eruendis patriæ theſauris tam phyſicis quam moralibus tecum pergere lubido eſt. Novi quidem quæ ſit Weſtphalorum nauſea ab iſtis cineres mortuorum continentibus urnis, non ignoro tamen quoque, quomodo in exteris gentibus iſtarum ſtudia delectent curioſos, ut propterea à viris in alma urbe eruditis atque librorum editione celebribus expetita ſint adhuc nuper Sepulcreti tui, & in hoc Oſſilegii mei exemplaria, ut hiſce paſſim deficientibus ultimum, quod reſtabat bibliothecæ, exemplar Romam miſſum tibi redonaverim. Ita quæ corpus noſtrum teget, non teget famam, unde memineris me Tibi quondam miſiſſe hoc Epigramma:

Hæc tua Charta tui ſuperabit funera buſti,
Candorem famæ nigra favilla dabit.
Dant aliis mortem, vitam tibi caſca Sepulcra
Iſta dabunt. Tua erit gloria magna Cinis.

Redeo

Digitized by Google

Redeo ad reconditos patriæ theſauros. Negavit inquit *Tacitus* Germanis (id eſt antiquæ Saxoniæ noſtræ) aurum & argentum. Neque ut verum fateamur, ita benevolam experti ſumus naturam, ut nobis hoſce fœtus in hac patria generârit, licet ſit vix dubitandum ſilices & arenas in flumine Amaſino contineri auri- & argentiferas, ut experimentis plurimis in arena maris detexit Joachimus Beccherus in ſua minera arenaria; nec minus in minera Martiali Bucholdica, ex qua certa encheireſi aurum educi poſſe oſtendit Otto Helbigius in Arcanis majoribus. Unde miror, quare ad ejus proceſſum tentandum hactenus ſe nemo accinxerit. Memorabile eſt adamantes in Weſtphalia noſtra prope Oſnabrugum in agro Schinckelbergenſi reperiri duritie ſingulari præſtantes, ut nihil cedant Hollandico illi, quem gemmarius 40. millionum monetæ Hollandicæ pretium, ſi germinem ejus deprehenderet, æquare dixit, ut Commercium Litt. Noricum phyſico-technico-medicum Spec. XL. p. 315. ſcribit.

Exprobrat *Robertus Boyle* l. de Util. Phil. Experim. c. 3. medicis & chymicis, quod ob incuriam terrarum mineralium, in regionibus, non omnibus, plurimis tamen copioſe protuberantium perveſtigationem negligant. Ipſe reſpectu coloris, ſaporis, conſiſtentiæ aliarumque qualitatum in terris, quæ etiam ſimpliciter elementares credebantur, notabilem differentiam obſervavit. Earum quaſdam quaſi exhalationibus ſeu ſuccis mineralibus, in quibus metalla ſeu mineralia tanquam in ſolutis principiis deliteſcunt, tincta invenit, unde ſi partes illarum nunquam ignem expertæ liberiores & vola-

& volatiles extricantur virtutes obſeratæ ad earum communicationem aliis ſubjectis diſponuntur, unde Spiritus terrarum varia præbent aurum vel argentum ſolventia &c.

Non eſt dubium, quin tractus Monaſterienſes etiam terras tales metalliferas producant, unde quoque mirari ſubit, cur terra cœrulea in diſtrictu Vechtenſi hujus Diœceſeos Anno 1721. inventa, hactenus nullum nacta ſit ſui ſcrutatorem, varios olim eam experiendi modos tecum communicaſſe recordor. Inveniſti in *Vici Courte* Tua (ſic primus Wickinghovium tuum latino nomine appellavi, quod & *Vicivilla* dici poſſet) Gloſſopetras. Inveniſti Silicies quaſi adamantinos, ſive gemmarum inſtar adamantis fulgidiſſimarum, ut illarum politura detexit matrices.

Etiam in Weſtphalia Mimigardica Dii habitant, neque dubium eum in illius aëre ſit occultus vitæ cibus Coſmopolitæ, cum in eo ſit Sal nitrum terræ fœcundiſſimum, cum terræ uterus metallico ſpermate non careat, cum ferri minera (quæ & auri minera à Braceſco appellatur, & per rationes atque experimenta eſſe comprobatur) ſat uberi copia proveniat, etiam in ejus ſinu latitare Theſauros reconditos, quos tandem in lucem magis producet dies, quam fictitius aliquis Elias artiſta. Habent namque omnia maturitatis ſuæ prædeſtinata tempora. Si Mecænates naſcantur, etiam naſcentur Marones, qui aureum illius ramum in Weſtphalia quoque creſcentem explicabunt. Det Deus, ut Academia à Ferdinando Principe fundata, à Ferdinando Cæſare quoque confirmata in metropoli erigatur & ſtabiliatur, ſic plurima illorum quæ nunc latent ſolertia

lertia & dexteritate Curioſorum in apricum prodibunt. Non caret enim Weſtphalus tribus illis præſidiis, ingenio ad inventionem, Sermone ad inſtructionem manibus ad perfectionem illorum, quæ vel ingenio excogitavit, vel Sermone ab aliis didicit.

Sed animadverto Te ſuſpenſo animo tandem velle ſcire, quæ illa ſit in titulo deprædicata Patriæ Aurifodina. Dicam tibi ſed in ænigmate, illius minera eſt aſpectu quidem vilis, ſed re ipſa longè pretioſa & præſtantiſſima, nobis tamen domeſtica, & oculis noſtris quotidie obverſans, cujus natura apud paucos, etiam doctos in conſiderationem venit, cujus Eſſentiam Extranei qui eam nunquam viderunt, mirantur, ut fuerint in aliis regionibus Spagyrici rerum naturalium Analyſtæ, qui ejus ſibi copiam fieri deſiderarunt, ut cultro Vulcani anatomico ſubjicerent & in ejus notitiam devenirent.

En ænigma mineræ ſat pretioſæ ex aurifodina Weſtphaliæ, quæ locuples eſt vena auri ſed officina quoque laborum, quam non tam ipſe Princeps, quam ejus Subditi, inprimis Ruſtici excolunt. Eſt enim horum opulentia, multa cum eadem exercent commercia, ut ex iis Principi ſuas contributiones, ſua tributa perſolvant. Adhuc ne Davus es, & non Oedipus? ulterius ergo tibi pretioſam hanc mineram ſtylo lapidario elucidabo, cujus ſi explicationem, & exegeſin dederis, curioſos mineræ hujus inveſtigatores plurimum obſtringes.

Inſcriptio Mineræ Weſtphalicæ.

Materia mineræ dic Sodes,
An lignum reſolutum & putrefactum?

An

Digitized by Google

An terra aut lutum, an bitumen?
An radicum, corticum, foliorum
Ex piceis pincisque arboribus
Congeries & compages?
Credo, quod omnia.
Non colore nigro, non leucophæo
Non flavo.
Sed viden ut omnibus.
Non pondere levis & rara,
Non gravis & denſa,
Non ſubſtantia pingui, non macra.
Sed adverte ut utraque,
Non terræ non aquæ productum.
Sed certè utriusque.
Non à Cetaclyſmo univerſali
Non Cimbrico relicta,
Sed forte ab alterutro.
Lignorum quibus locis deficiunt, ſuccedanea.
Singulare providentiæ Divinæ munus.
Pro humana indigentia
Ad inevitabilem ignis neceſſitatem.
Quæ tanta eſt,
Ut deficientibus lignis, & ceſpitibus bituminoſis
Alibi pro ejus pabulo ſerviat
Boum & Vaccarum Merda.
Antiquiſſima Friſiæ inſignia
Septem in formam quadratam
Sciſſæ hujus mineræ tabulæ
In medio geminorum fulvorum leonum
Ex dono Caroli M. exornant.
Ad teſtimonium bellicoſæ virtutis,
Qua admirandam hanc terræ mineram
Contra hoſtiles omnium gentium inſidias
Magna-

Digitized by Google

Magnanima fortitudine defendit.
Cæterùm
Auri- & argentifodinæ, ac mineræ
Subditis parum,
Hæ plurimùm proſunt.
Illa enim ex his facile comparantur.
Et hac felicitate gloriari poteſt
Diœceſis Monaſterienſis.

Hæc Commentario Exegetico à Te illuſtrata hujus mineræ ortum, naturam, differentias ſatis elucidabunt, quæ magis quam aurifodina etiam ditiſſima Weſtphaliam noſtram, Hollandiam, Friſiam cæteraſque confines habitantium plagas felices reddit. Age itaque & quæ ſit hæc aurifodina, detege, etenim non Tibi ignota eſt Siracidis paræmia. *Occulta Sapientia & Theſaurus abſconditus, quæ utilitas in utriſque?*

Proxime igitur Analyticam & Exegeticam hujus griphi à te præſtolor ſolutionem, novi namque plura in ſcriptis tuis de hac minera contineri adverſaria, quibus Concives tuos poſſis informare, nec non promovere ærarii patrii incrementa. Vale. Vredenæ Nonis Decembr. MDCCXXVIII.

Epiſtola Reſponſoria XI.

Propoſitum ab *Oreſte* de Aurifodina Griphum *Pylades* reſolvit.

Vredenam.

QUanta ſit difficultas magnis ſæpè juncta periculis detegendi Theſauros, quos vel hominum alicubi defodit & abſcondit avaritia vel tem-

pore, belli à militari direptione humanâ providentiâ, paſſim notum eſt, nihil opis variæ hic plerumque ex ſuperſtitioſis ingredientibus compoſitæ & accenſæ lucernæ, conferunt, neque officium facit alias in detegendis pretioſis metallis ita famoſa Virgula Divinatoria. Ipſa quoque rerum parens Natura ſuos paſſim gazas in abditis terræ viſceribus recluſit, non niſi multo labore ab humanâ diligentiâ atque ſolertia in apricum producendas, quas proin non niſi longa temporum ætas & multorum ſeculorum experientia detegit.

Hanc Naturæ quaſi Euclionis morem videntur imitari ii, qui Archivis ſuis patriæ antiquitates, intelligo, varia Fundationum, Tranſactionum, Privilegiorum Originarias Tabellas concludunt. Videtur cuſtodire id, quod nemo melius, quam qui collectandis Patriæ antiquitatibus inſudat, atque illarum copias ex poſſeſſorum ſcriniis expetit, noviſſe poteſt, quod & me multiplex experientia docuit Patrias antiquitates non minori ſumptu ac induſtriâ, ſed gratis paſſim indagantem. Videris tu quoque hos in Epiſtola ad me nuper datá imitari, quando de Patriæ Aurifodina Griphum mihi reſolvendum proponis, per quam te ceſpites bituminoſos, vulgo *Turffas* dictos intelligere haud obſcurum eſt, ejus qualitates conſideranti, ut inferius ex enodatione Inſcriptionis clarius patefiet. Quis autem hunc Theſaurum primus detexerit, id eſt à quo tempore ceſpes bituminoſus focum alere cœperit, peræque non conſtat Chronicon Tranſiſulaniæ Belgicè conſcriptum apud *Dumbarium* Anal. Tom. 2. p. 248. tradit Griethoornam (deſertum ceſpitoſum) aratro non tantum Anno MCCCXII.

ſubigi

Digitized by Google

ſubigi cœptum, ſed & primam ceſpitis bituminoſi effodiendi præbuiſſe occaſionem Anno 1312. is Griethoorn toegeſchlagen ente Lande gemackt, en is aldar de erſte turff gevonden. Cl. Scriptor his confirmandis adducit extractum libri jur. Martinianum Trajectenſe continentis, ex quo id ante tempora *Joannis Zyrichi* XI. Trajectenſium Antiſtitis contigiſſe liquet. Verum Plinius, qui ipſemet in Friſiâ fuit & regionis iſtius conditionem & ignis materiam propriis oculis conſpexit L. XVI. C. I. ſequëntia habet verba: Omni procul abacto frutice captum manibus lutum ventis magis quam ſole fricantes, terra cibos & rigentia Septentrione *Viſcera ſua urunt.* Ubi Dalechampius, Medicinæ Doctor, in Commentario ad Plinii Hiſt. Nat. ad vocem *luti* animadvertit *Bituminoſum*, quo in culina & uſu domeſtico non aliter, quam ligno utuntur. Ex quo probabile ſatis eſt jam primo poſt Chriſtum natum ſeculo ceſpitem bituminoſum, ſive *Turffas* in Regionibus, in quibus Lignorum eſt defectus in uſu fuiſſe, confer. *Jo. Hartm. Degner Tom. I. Phyſ. Chim. de Turvis* C. 13. Originem & Cauſam inventionis fuiſſe neceſſiatem in propatulo eſt, niſi enim Turfforum ſeu ignis, aptitiſſimi fomenti adeſſet Beneficium plures ad Septentrionem Provinciæ ſub hyëme nimium algentes inhabitabiles forent. Recte Theſaurum ceu Aurifodinam appellas tam reſpectu patriæ incolarum, qui non modo Turffis lignorum loco utuntur, ſed etiam ex iis divenditis magnum lucrum quotannis faciunt, quam ratione ærarii publici vectigal enim de Turffis in Hollandia facile ad *octies mille centenos Florenos* aſcendit, ut prælaudatus Degnerus *libro citato* C. 14. fuſius

oſtendit, quamvis in Weſtphalia nullum iis ſit poſitum tributum, Communitates enim, Oppida, Pagi & in iis privati paſſim privilegia habent ad Ceſpites, quanta volunt copia intra deſignatos Terminos effodiendi, quantum ignis domeſticus exigit, imo Coloni ex iis divenditis pecuniæ ſummas colligunt, ſecus ac apud Gallos & Britannos ubi Turbariæ (Tombaires) vel immediate Territoriorum Dominis, vel Eccleſiarum & Cœnobiorum Decimis ſubactæ ſunt, de quo Cangius voce *Turba*. Ubi in Anglia decimas de Turbis præſtari docet ex provinciali Cantuarienſis Eccleſiæ. *Lib*. 3. *Tit*. 16. *Decimæ Turbarum in locis, quibus fabricantur & effodiuntur*.

Deus fecit omnes nationes habitabiles quæ tamen non forent, niſi hoc concretum conflagrabile Deus ordinaſſet; aptè igitur Torffifodinas appellas Aurifodinas, quæ revera in regionibus Friſiæ, Hollandiæ, Selandiæ, Flandriæ, Gedriæ & in Weſtphalia quoque ubi ligna deſunt auro ſunt pretioſiores. Pretioſorum Metallorum matrices, ad imperantes Turffarum pertinet ſubditos. An igitur æquum ſit, quod natura dedit gratis, tanto gravare vectigali nolo in diſputationem vocare, Politicis ad decidendum id relinquens. Quod ſi tamen vectigal aliquod Weſtphalorum Torff Vennis imponendum aliquando foret, quanquam id maximis difficultatibus crederem obnoxium, nihilominus certum habeo illud feliciori exitu ſucceſſum, quam cum Concharum (*Moſſelen*) electioni Anno 1441. vectigalis quoddam genus impoſuiſſent Amorſortienſes, quæ ab Inſula mox omnes receſſerunt, aut rurſus comparentes præſto fuerunt, poſtquam ſublatam

latam eſſet tributum. De qao Chronicon Amorfortium incerti Auctoris apud Ant. Matth. *Rer. Amorf. p.* 172.

Pergo igitur nunc ad griphum mihi à te propoſitum, quem per deductionem ad ſingula membra reſolvam.

Inſcriptio Mineræ Weſtphalicæ
Materia Mineræ dic ſodes
An lignum reſolutum & putrefactum?

Sunt qui ſtatuant ligna ceu corpora materia ſulphurea ſeu oleoſa plena Tractu Temporis conſumi, in putrilaginem reſolvi & cum terra pingui, mixta faceſſere in Materiam combuſtibilem Turffarum, aliis è contra ſentientibus motu putrefactionis omnem ligni inflammabilitatem & ignis fomitem tolli & caput mortuum igni parando penitus ineptum relinqui. Andreas Libavius tamen eam definit: Torvena eſt Terra ampletis nigra aſpectu ligni liquefacti & Terra miſtinaſcens ſub Terra communi unde effoditur, reſiccataque ad aërem ignibus ſovendis potiſſimum accommodatur lignorum vice

An Terra aut lutum, an bitumen?

Terra quidem paſſim appellatur, unde Batavi dicuntur propriam ſuam matrem comburere & per caminum diſſipare.

Simon Stevinus perſuadere *conatur*, Turffas non eſſe niſi nigram & pingem Terram per aquam pluvialem extractam & in terræ cavitatibus collectam & ſic Turffis fundamentum poni ſcribit, ſi Terræ nigræ aqua affundatur & omnis pinguedo

eluatur ſic continuando, donec omne nigrum pingue ab arena ſit ſeparatum, ſic hanc materiam ſequeſtratam & exſiccatam reperiri naturæ bituminoſæ inflammabilis & pro ipſa Turffa eſſe reputandam utpotè quæ per flumina abducatur in loca ſæpe remota in quibus Turffæ effodiuntur, relicta in via arena vid. ejus *Oeuvres Mathematiques L. 2. de la Geographie propoſ. IV.*

Quod *Plinius* Turffas lutum appellavit & per hoc ceſpites bituminoſos intelligat jam ſuperius diximus, ut & quod Terra ampelitis nigra ab Andrea Libavio appelletur. Audiamus ejus verba ad terras referri poſſe oſtendit locus natalis inter terras vulgares, & quod Levinus glebam ex terra effoſſam *Guicciardinus* ſuperiorem partem limoſæ pinguisque Terræ nuncupent, qui procul dubio ex natura ipſa pronunciarunt, deinde Cinis terreus ſaltusque & maltha limoſa in ejus corio & quæ quædam macra reperitur pene vulgari terræ & argillæ ſimilis idem abunde docent. Ad bitumina vero Turffas pertinere probat *L.8. c.4.* ubi ait: Nunc idem probandum eſt bitumen eſſe & ad Terram ampelitin pertinere; Quod bitumen ſit deflagratio usque ad Cineres terreos, & nigredo & odor effectusque bitumineus convincunt Terra tamen admixta eſt, itaque & copioſior Cinis remanet & levinus bituminis naturam ei tribuit bituminoſasque vocat glebas &c.

An radicum, corticum, foliorum ex piceis pineisque arboribus congeries & compages?

Torvena (ita appellat *Libavius* & hoc nomen præ *Turffa* arridet) ſeptentrionalis Hollandiæ ſeu Friſiæ occidentalis ignes exhibet luculentiores, multis

multis enim tardarum putrefactarum & lignorum ſubrarum corticum ſimiliumque marcidonum fragmentis plena eſt.

Et hanc ſententiam tuetur *Siccardus* L. *oubeiden van Drent C. 6. p.* 36. putatque ex variis arborum & vegetabilium foliis ex proximis ſylvis annorum decurſu mediantibus aquis ex rivalis, mediante quaſi elatriatione aut eluitione in loca demiſſa ac profunda deduci, ibique Temporis Longitudine in ſubſtantiam inflammabilem ac combuſtibilem mutari

CREDO, QUOD OMNIA.

Hæc enim pro ratione variarum ſpecierum Torvennicarum in ſenſu modificato locum habere poſſunt. Torvenæ enim leviores & colore gryſeo aut falvo manifeſte ex variis lignorum ramentis, ſtipulis, corticibus, ſtramine, paleis, ulvis, arundinibus compactæ conſpiciuntur aliis quæ ex profundioribus lacunis eruuntur, nigricantibus, & terram ſaltem bituminoſam præ ſe ferentibus

NON COLORE NIGRO, NON LEUCOPHÆO, NON FLAVO, SED VIDERI; UT OMNIBUS.

Pro ratione differentiæ trium paſſim foliorum bituminoſi ceſpites tales colores præ ſe ferant ex ſuperiori aliis iisque leviſſimis vulgo loßen Torff, weißen Torff eruitur: ex altera ſubnigricanis luti non nihil gravioris, vulgo Schwarenfloch, ſivè Waßertorff, ex tertio eoque profundiore atque arenoſo folio tota nigra ac bitumine ſulphureque, proin inſtruendo foco præ cœteris magis idonea Turffa vulgo ſchwartzen rogren Torff, ſivè

Cluen effoditur. Vid. *Abrahamus Muntigius* Tr. de Herba Britannica *p.* 106. *&* *ſeqq.* ubi has ſignanter Turffarum ſpecies enumerando deſcribit *Harde Turff*, *grawe Turff*, *lichte Torff*, *Witte Torff*, *Baggelaar Torff* *&* *Bagger Turff*, *Modder Turff*, *Sponde Turff*, *Vaale Turff*.

NON PONDERE LEVIS ET RARA,
NON GRAVIS ET DENSA,
NON SUBSTANTIA PINGUI NON MACRA;
SED ADVERTE, UT UTRAQUE.

Turffæ flaveſcentes pondere leves & raræ ſunt, nigricantes ex paludibus graves & denſæ, illæ macilentiores & minus diu ignes foventes; hæ etiam uſtæ carbones præbent ad eum diutius ſervandum ſervientes

NON TERRÆ NON AQUÆ PRODUCTUM,
SED CERTE UTRIUSQUE.

NON A CATACLYSMO UNIVERSALI,
NON CIMBRICO RELICTA;
SED FORTE AB UTROQUE.

Hæc nonnullorum eſt opinio, nempe illas eſſe Oceani in univerſali aut particulari diluvio rejectamenta & hoc quidem probabile indicant, quod etiam in montibus, in quibus ſtagna reperiuntur, Turffodinæ ſunt, quam materiam fusè propoſitam & refutatam vide apud laudatum Degnerum *C. IX*. accedit, quod aliquando in materia Torvenarum appareant dudes, algae, cannae, junci, quod putant eſſe ſylvarum, marisque inundatis argumenta.

LIGNORUM QUIBUS LOCIS DEFICIUNT SUCCEDANEA
SINGULARE PROVIDENTIÆ DIVINÆ MUNUS

PRO

PRO HUMANA INDIGENTIA AD INEVITABILEM IGNIS NECESSITATEM.

Illa ubique ſatis elucet, quando hic ligna, alibi licanthraces, alibi Ceſpites bituminoſos ad ignis neceſſitatem terræ gremio indidit, hos non modo Friſiis, Batavis aliisque ligni penuriâ laborantibus, ſed etiam ipſis Weſtphalis variis in locis maxime Tubantiæ & Hollandiæ vicinis conceſſit provide ſummus rerum opifex.

Immo ſylvarum & nemorum penuriam lignum foſſile medios inter Ceſpites & Vennas Cataclyſmo alicubi locorum alte ſepultum (vulgo *Keenbolt*) ſat largiter compenſat. Quid, quod lapides & glacies idem Beneficium præſtent Britannis & Islandis? audi de hoc Scaligerum: *Il y a des lieux, ou onne brule, que de gazon, ou d'autre terre de Carriere, comme en Islande, en Angleterre & ailleurs d'autres ou de pierres ſervent a cet uſage. Même en Islande il y a des glaces, ſi anciennes, qu'elles ſont converties en matierre ſeche & combuſtible, en ſorte, qu'étant jettées dans de feu, elles font le même effetque le Charbon, qu'on appelle Hoville, en Flandre le Suif, la Ciriſe & li huile ſervent & l'ordinaire pour lumiere dans, l'Ukraine on ſe ſert des Chandelles faites d'eclats de bois & l'onena pour un double ſuffiſament pour la plus longue nuit.*

Bituminoſos ceſpites non tantum uſum afferre apud Belgas ceterasque regiones prædictas ac lignorum præbere vicem, ſed & ærarii quoque eſſe materiam *Ctetica* ſuæ obſervat *And. Rudcovius Lib.* 1. *p.* 44. Atque horum uſum ipſos Indos penetraſſe

Digitized by Google

traſſe monet idem ibidem, modum eosdem parandi ſubnectens, quem ob libelli raritatem curioſitatis tuæ gratia adſcribo: In *Collao* Peruana Indorum Provincia terram in ceſpites ſcindunt, ac loco aprico ſuper perticas aut arundines craſſiores diſponunt, vaſis ad excipiendum liquorem medicamentoſum ſubjectis, tum demum liquore emiſſo exiccatas ſolis ardore ceſpites adſtruendum focum aptos reddunt.

QUÆ TANTA EST:
UT DEFICIENTIBUS LIGNIS ET CESPITIBUS BITUMINOSIS ALIBI PRO EJUS PABULO SERVIAT BOUM ET VACCARUM MERDA:

Quid non excogitat neceſſitatis durum telum? Etiam non nullæ Nationes Turf ſas ex Stercore Vaccino herbarum foliis, Arborumque Corticibus depſiticas adeoque concrementa artificialia igni excitando fovendoque accommoda conficiunt, inſolens quidem, nec ſpernendum tamen ex his vaccarum excrementis ignis pabulum? Audiamus de eo loquentem Celeberr. *Müntingium* Tract. de Vera Antiquor. Heroe Britannica. C. XI. p. 108. Horum quamvis excrementorum ignis ſit Languidus, fumus multus, mordax & tetri odoris, nec non omnia domi funeſto, fœtidoque odore inficiens & in aſſuetis aliquando noxius: aſſeti tamen adeo hoc odore, ut aromatum ſuffitu delectantur, alii contra odore læduntur, nam alii dolores Capitis intenſiſſimos ſentiunt, alii proximi ſunt animi deliquio & deficiunt, nec niſi illato igne fumo, aut odoriferorum Trochiſcorum ſuffitu curari poſſunt &c. Facile igitur colliges quanta ſit ſupremi Condi-

Conditoris Munificentia, quod non tantum tenuioris, ſed etiam lautioris fortunæ Hominibus ad Neceſſitatem ignis Ceſpites bituminoſos conceſſerit.

Aliud ignis genus Turffis proximè cognatum Ceſpes eſt, terra Morina, ac leviori nigricante vireſcens, patria lingua Südden ſivè Schadden, de quo Spelmannus; differt turba, inquit à Bleſtia, (Gallis Bleché) quod turba è terræ corpore effodiatur Bleſtia vero abrodatur ab ejus ſuperficiè, utraque in ignis alimentum tam à Ruſticis plurimis quam ab ipſis paluſticum Regionum proceribus adhibita. Hujus quoque ignei pabuli mentionem injicit *Eggericus Beninga* Hiſtor. Ooſtfr. apud *Ant. Matth.* Qual. Vet. Æv. Tom. VII. p.22. vel ideo hic in verba patria repetendam, quod Turbam ſimul adducat ex Boum ſtercore paratam: *Ock bouweu ſe an itlichen Orten Plaggen, dar ſe den Acker mede meſſen, unnd oer vuir mede under holden: Uth de Moerte graven ſe Torff, an itlichen Orten dorch Mangel des Torffs brüken ſe Oſſen- unnd Kuydreck, dat ſe in der Sonnen drogen unnd branen.*

Verum minime conſulerem Italo, ſpe corradendi Theſauri ad Weſtphaliam noſtram excurreret, quem Anno 1666. Pariſios miſſum refert Quido Patinus *Epiſt.* 153. in finem, ut ex gleba arte compoſita & elaborata turbam pararet calefaciendis furnis & cubiculis, apprime in ſervientem, de quo ſic Auctor: *Il y a ici un Italien, qui dit avoir & emandé expres pour un certain ſecret, qui eſt d'une terre compoſée, qui echauffe incontinent une chambre, ſans odeur & ſans fumée,*

pluſieurs

Digitized by Google

pluſieurs ont été nommés pour en voir l'epreuve, dont il y a en deux Medecins, ſavoir Monſieur Matthien & moi Monſ. Blondel guenant, Brayer & Moriſſet s'y ſont auſſi Trouvés; Nous avons ſigné, que ces boules de terre, faiſoient un feu beau & clair ſans fumée & ſans aucune mauvaiſe odeur. Il nous dit, qu'il en donnera un cent pour 10. *Sous. Chaque boule eſt plus groſſe qu'une bale detripot. On à ordonné qu'on en Chaufferoit le jour & que l'on nous donnera à chacun un des petits pains, qui s'y cuira pour en tater.*

ANTIQUISSIMA FRISIÆ INSIGNIA
SEPTEM IN FORMAM QUADRATAM
SCISSÆ HUJUS MINERÆ TABULÆ
IN MEDIO GEMINORUM FULVORUM LEONUM
EX DONO CAROLI M. EXORNANT.

Inſignia hæc ex ſeptem Ceſpitibus in medio duorum fulvorum Leonum Friſiæ Anno Salvatoris noſtri octingenteſimo ſecundo à CAROLO M. collata ſunt, loco aliorum priorum, quæ Friſia vetus per mille & ſexaginta ultra annos à *Friſonis* primi Friſiæ conditoris atque *Bervaldi* Friſiorum Regis quarti temporibus ad annum uſque ſecundum CAROLI M. prætulerat, quæ erant ſeptem rubra Nympheæ folia in quatuor argenteis trabibus per ſcutum cœruleum oblique ducta, quæ adhuc retinet Omlandia.

AD TESTIMONIUM BELLICOSÆ VIRTUTIS
QUA ADMIRANDAM HANC TERRÆ MINERAM
CONTRA HOSTILES OMNIUM GENTIUM INSIDIAS
MAGNANIMA FORTITUDINE DEFENDIT.

Cum

Cum prædictis inſignibus etiam perpetua libertas, tum ob indolem candidam, tum Bellicoſam Virtutem Friſiis ab Imperatore conceſſa eſt, quod uti ſymbolum & duo ipſi flavi Leones, nec non ſeptem Ceſpites teſtatum faciunt, eò quod pervigili cura admirandam hanc telluris maſſam contra quoscunque hoſtes ſtrenue defenderint.

COETERUM
AURI ET ARGENTI FODINÆ AC MINERÆ
SUBDITIS PARUM, HÆ PLURIMUM PROSUNT.
ILLA ENIM EX HIS FACILE COMPARANTUR.

Fodinæ ſubterraneæ, quæ Auri, Argentique Mineras ubertim progenerant ad Reges & Territorii Dominos pertinent, ex quibus multi fructus ad illorum ærarium conferuntur felices Principes, quibus terra tales parit & promit Theſauros! felices quoque Subditi quibus humus bituminoſus Ceſpites, auro magis argentoque neceſſarios producit! Sinè pretioſorum horum Metallorum generatione plurimæ ditiones poſſunt ſubſiſtere, & hodie quoque ſubſiſtunt, ſine Turffis autem Hollandia, Friſia, Zelandia, in quibus lignorum eſt defectus, ſubſiſtere haudquaquam poſſent, Turffifodinæ veræ igitur ſunt illarum gentium Matrices, ex quibus illis fructus, Aurei, Argenteique naſcuntur.

ET HAC FELICITATE GLORIARI POTEST
DIOECESIS MONASTERIENSIS.

Nempe ad confines iſtis tractibus habitantium plagas, quibus hac in Patria liberum eſt, cum iis exercere Mercimonia & ex divenditis opes acquirere.

rere. Ubi adhuc memorandum occurrit, quod multis per hanc Diœceſin locis invaluerit conſuetudo, quod vennæ ceu ceſpitoſæ terræ ab accolis accenſæ ad longa ſpatia exar[illegible]tur, exuſtis deinde calendibusque cineribus ſagopyrum inſerinetur, quod tanta fertilitate & abundantia è cineribus progerminat, ut ſimilis fœcunditatis effectus ex nulla alia ſtercorandi ratione expectari poſſit, fœcunditas illius, præcipua cauſa cineribus ſulphure ac ſale nitro, à quo omnium frugum plantarumque incrementum dependet, adhuc turgidis debetur ex Catonis *Columellæ*, *Palladii*, *Theophraſti* ſententia. De locorum Monti Veſuvio apud Campanos Vicinorum fertilitate, quæ cineribus ab eo ejectis adſcribitur *Strabo* & *Caſſidiorus* egerunt de quo amplius conſulatur Caſparis Paragalli, Advocati Neapolitani *Hiſtoria Naturalis Montis Veſuvii* Anno 1705. Neapolis edita.

Cum igitur in tali terra ceſpitoſa multa modiorum ſagopyri millia annuatim ſuccreſcant, non injuria eam Aurifodinam Patriæ appellaſti: Exegeſi hac hujus mineræ ortum, naturam & differentias, quod penſum mihi injunxeras me ſufficienter explicaſſe judico, ſcripſerunt quidem de Torvennis diverſim, ſed dubito, an omnes forte has ipſas viderint. Nos, quibus illorum uſus, & domeſticus, qui illos ſœpè effodi, in acervos pyramidales erigi, ad ſolem & ventum exſiccari vidimus accuratius, de illis diſſerere poterimus. Ita Schoockius, Profeſſor Groningenſis &c. Muntigius autoptæ exactiſſime de illis pertractarunt ille Tractatu de Turvis 1658. *N.* 12. hic libro de Herba Britannica dicitur. Carolus Patinus Academiæ Pata-

Patavinæ Profeſſor Tractatum Gallico, idiomate de Ceſpitibus combuſtibilibus (*de Tourbes Combuſtibiles*) Pariſiis Anno 1663. in 4to in lucem emiſiſſe, neſcio tamen, an ex proprii experientia, quia eum hactenus videre non licuit. Præcipue arridet *Andreæ Libavii* de Torvenſis Diſſertatio *Parte* 3. *ſingularum C. IV.* ex quo nonnulla hac exegeſi me excerpſiſſe non diffiteor, utpote quæ principiis *L. Lemnii* & *Guicciardini* potiſſimum nituntur; Cæterum tibi plane aſſentior Patriam Monaſterienſem non quidem ob Aurifodinas, ſed Turffiarum & Matrices merito felicem à te prædicari. Vale. Dabam *Wieckinghovii* MDCCXXIX. Nonis Januarii, quo hoc ignis pabulum ac fomentum inſtruendæ fornaci maximè exiſtit neceſſarium.

Epiſtola Amœbæa XII.

Pyladi in caſu infortunato ſolamen & conſilium præbet *Oreſtes.*

Wieckinghovium.

ETſi ea te ſapientia valere judicem, ut meo conſilio non indigeas, amicitiæ tamen noſtræ vetuſtas, & Tua ſumma erga me benevolentia à tot annis cognita me hortatur ea perſcribere, quæ & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena ducerem à Dignitate Tua.

Quanquam igitur adverſi plurimum homini accidere in vita poſſit, quod aut improviſum aut inexſpectatum videatur, viri tamen prudentis eſt, mala

Digitized by Google

mala quæ nec vitari, nec averti humanis viribus poſſunt, toleranter quidem perferre, quibuſcunque autem calamitatibus ſi qua ratione poſſit, prævenire. Stolidum namque foret, eas non fugere miſerias, quæ mature adhibito remedio poſſunt depelli, cum melius ſit ſine cura vivere, quam curis & angoribus oppreſſam ac circumventam conditionem humanam ſatis per ſe miſeram, aliis etiam incommodorum periculis, eorumque inſtantium continuo metu efficere miſeriorem. Quid enim prodeſſe poterit curare, ut quis corpore à morbis libero bene valeat, animo tamen perpetuo ægrotet, & mortem ſibi indies impendentem extimeſcat? Quod Epiſtolæ hujus pono fundamentum in caſu gravi atque acerbo, qui tibi nuper à nocturnis prædonibus domum tuam irrumpentibus & ſuppellectilem omnem argenteam & vetuſtarum numiſmatum tum ex auro & argenteo, tum etiam ex aliis metallis conſtantem præter paratam pecuniam eripientibus illatus eſt. Qui te quidem ita perculit atque afflixit, mihique ipſi eam doloris partem contulit, ut mihi præ omnibus amicis tuis maxime inveterato incumbere viſum ſit, aliquam ſolaminis opem ad leniendum ac mitigandum mœrorem ex tam luculento damno contractum, & quod præcipuum eſt, ſimili in futurum caſui remedium prophylacticum afferre.

Fateri quidem neceſſe eſt te magnos colligendis iſtis *Peſcenniorum Nigrorum*, *Pertinatium*, *Vitelliorum*, aliorumque antiquis Numiſmatibus ex alma urbe, Venetiis ac Pariſiis ſumptus feciſſe & labores impendiſſe, quorum una nocte feciſti jacturam, quos ſi comparare rurſus liceret, valde tamen dubito,

bito, num illa, quæ ex virorum in Arte numiſmatica per Italiam Principum, quorum in *Commercii noſtri Litterarii Tom. I. pag.* 114. & 118. facta eſt mentio, nempe *Franciſci* de *Ficoroni*, & *Franciſci Palazzi* Numotheciis in ſingulare muſei tui ornamentum magno numero, pretioque ceſſerunt, aliquando recuperare valores, horum enim tibi ſerviendi deſiderium mors ipſa extinxit.

Quam jacturam ſi accuratius perpendam, etſi ſatis quidem ingentem judicare liceat, attamen multis te curis liberavit. Neſciebas & ſollicitus eras magnopere, cui illud Muſeum numiſmaticum aliquando poſt obitum tuum, utiliter uſurpandum teſtamento ceu legatum transſcriberes; Et hæ nunc curæ plurimam partem remotæ ſunt. Potiora enim ex auro & argento ablata ſunt, cœtera relicta aliquot centenorum farrago te minus hoc in paſſu ſollicitum faciet.

Carere equidem nunc cogeris iſto voluptatis fructu, quem crebrior iſtorum conſpectus tibi procurare potuiſſet, ſed hic longe minor eſt, quam laboris magnitudo, quam iſtis veterum numorum theſauris amplius corrogandis, augendis & præcipuè explicandis in iſto tuo ſcrinio in poſterorum uſum impenſurus fuiſſes. Supellectilis verò argenteæ ſpolium non adeo affligere te poteſt, cum major ejus copia Vredenæ apud D. Fratrem Canonicum tibi ſuperſit, & levi negotio, ſi ejus tanta foret neceſſitas, à te comparari poſſit. Ipſa vita, quam facile tibi nocturni prædones adimere potuiſſent, hiſce omnibus ablatis longe ſpecioſior eſt, cujus tibi major impoſterum cura habenda eſt.

Digitized by Google

Cogita tibi erepta eſſe, ſine quibus, ſi linteamina excipias, vita commode tranſigitur, pecuniæ impenſa ſumma tibi ablata non eſt: Sine argentea ſuppellectile bene vivitur. Rarithecium numiſmaticum ad vitæ neceſſitates non ſervit, & Eruditorum pauciſſimi de eo proviſi ſunt. Magnatum Theſaurus eſt: Salvata tua vita omnibus iis eſt potior. Memento & mihi ante biennium furto ablata & filiis veſtimenta, & uxori omnia linteamina & ſexus ornamenta, variaque alia, quibus vita & ſtatus carere nequeunt, vix tamen quiſquam mihi, ut ego nunc tibi, de hoc damno condoluit.

Novi equidem opulentiam tuam, ut ejusmodi jacturam facile tolerare poſſis, & animi generoſitatem, ut velis, ſed reliqua eſt prophylaxis, ne ſimile tibi infortunium, aut etiam quid deterius contingat, unde ſuaſor tibi ſæpius fui & adhuc ſum, ut Tuſculano tuo ſeu Vici-Curti valedicas, & in Civitatem vel Borkenam vel Vredenam ſecuritatis cauſa te recipias, id quod variis argumentis hac Epiſtolâ tibi perſuadere conabor.

Domus Tua campeſtris tam firma ac munita non eſt, ut facilis non ſit vel priorum deprædantium in illam regreſſus, vel aliorum nebulonum paſſim graſſantium aditus. Repagulis quidem undique obduxiſti Domûs januam, & feneſtras, ſedax hæc ſufficientia ſint arcendis ejusmodi invaſoribus ipſe agnoſces, cum ex ſimplici latere ejus muri conſtent. Suſpendiſti in domûs tecto campanulam, ut caſu pari contingente ſigno dato plebs vicina ruſtica in ſubſidium accurrat. Sed an ſalutem & vitam tuam ejus gentis talibus in caſibus timidiſſimæ imo infidiſſimæ ſuccurſui committes? ſunt hodie plurimi milites

Digitized by Google

milites profugi caſtra deſerentes, ſunt mendicabula, homines ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, linguâ, manu, vita omni flagitioſi, qui vias inſecuras reddunt, qui ubi quid prædandum, in unum coëunt; contra hos domus tua vix quicquam habet firmamenti. Si illam de novo irrueret tam malè feriata turba, quod Deus avertat, quid te miſerius excogitari poſſet. Repetita talis irruptio nunquid non tantum exſpoliationi, ſed novo tuo, tuique Fratris Germani luctui, non dicam contemptui conjuncta foret? Nemo namque non te prudentem judicaret, & proclamaret, iſtum locum non deſerendo, in quo ejusmodi tibi contigit infortunium in quo ipſius vitæ facile facere potuiſſes jacturam.

Nulla dicis mihi amplius pecunia eſt: quod paſſim notum. Hæc enim, ſi quæ obvenit, ſtatim *Borkenam* à me mittitur. Scio jam id olim te dixiſſe, an idcirco tutior, an à ſpolio ſecurior fuiſti? Etſi autem dicas, imò ſpargas te nullius pecuniæ eſſe poſſeſſorem, non tamen id prædonum turba credit, imò ſi nullam apud te inveniat, infelicior es, & majus adeſt vitæ periculum, quod nummos aliò miſeris, ne ipſis pateant. Recogita, quæ mens tibi fuerit, quis mortis inſtantis metus, an non potius malis privari aut carere multis millibus, quam ejusmodi anxietati de novo exponi: & licet forte pecuniam apud te non inveniant, invenient tamen res alias pretio dignas, utenſilia ſtannea, cuprea, linea, laneaque, quod ex eo cognoviſti, quod omnia linteamina, & præcipue menſæ inſervientia, eaque pretioſiſſima una abſtulerint, nec mappula nec induſio relicto.

Non dubito quidem, te Deo amicum eſſe, ideoque præſertim ſub ejus tutela & te tuaque omnia juxta ſymbolum tuum DOMINUS PROVIDEBIT Divinæ providentiæ committere, ſed memineris eum, qui ipſi Diabolo permiſit *Jobum* affligere, ſubque ejus domo diruta filias enecare, etiam ejusmodi fures ac latrones extraordinaria tui cuſtodia non impediturum, ne tibi domuique tuæ vim inferant. Scis permittente Deo multa homini adverſa à malignis hominibus ſubeunda perferendaque ad meritum relinqui, unde viro prudenti, quantum humana permittit conditio & rerum ſtatus, ſui commiſſa eſt cuſtodia. *Qui enim amat periculum, peribit in illo.*

Laudabilis quidem eſt conceptus, quo *Vici Curtim* tuam religioſam reddere, & puellarum ſodalitio, quale & *Bucholdium* habet, deſtinare intendis, verùm cum illius inſtitutioni in loco ejusmodi ab urbe remoto tot obſtacula refragentur, non eſt illius energiæ, ut te in illo propterea detineat, quia & in ſecuriori loco commoratus illum vel quemcunque alium piæ fundationis effectum poſt fata inactum redigere poteris.

Fateor, loci aſſuetudo multum facit & magnæ eſt deliberationis ædes tot annis habitatas deſerere, inprimis propriâ induſtriâ ad commoditatem ſtructas (nam & quælibet volucris amat ſuum nidum) interim ſi ex iis poſſit evenire habitanti periculum, illæ merito deſeruntur: ſic domus ruinam minitans non facile à quopiam incolitur, atque etiam, undecunque illud inſtet, prudentes judicant, ſatius eſſe ex eadem excedere, imo protinus aufugere. Non capio igitur rationem, cur curiam tuam campeſtrem

peſtrem ita depereas, ut malis te vitæ periculo exponere, quam illam deſerere. Amabo quæ eſt in ſolitario iſto loco dulcedo? Caput illud eſt, ſi vita ibidem commodior, eique prolongandæ, aut lucubrationibus locus aptior eſſe videatur, cogitandum tamen ſit, an ſatis tuta à prædonum graſſantium ſit licentia. Videtur locus ille quidem delicioſus, ſed non ita ex natura quam ex accidente, ſicut Inſcriptio Vici- Villæ à me facta, & Decuriæ monumentorum tuorum Monaſterienſium primæ in additamentis Borkenæ inſerta teſtatur. Laudavi in illa Rarithecium tuum Numiſmaticum, ſed illud jam expilatum eſt. Laudavi Bibliothecam, ſed illa transferri poteſt, & tecum, quo ſecudis, commigrare, ut non minus alibi ac in Vici-Villa tua illius uſu ac voluptate frui valeas. Quod habes reconditorium Rerum naturalium, facile comitari poterit. Urnæ ſanè Gentilium funebres, Deaſtrorum icunculæ legionum tegulæ aliaque plura vel ex Mari & Rheno refluo collectanea non ſunt tanti, quanti tua vita, ut cum illius periculo te in Tuſculano tuo remorari poſſint, imo & hæc te comitari poterunt. Commercia litteraria cum externarum regionum Eruditus æque facilis, imo major Vredenæ aut Borkenæ quam Wickinghovii eſt fovendi commoditas. Nil ergo ſupereſt, quod te poſſit in Vici-Curte remorari.

Verùm forte dices, domus iſta, iſtud ſacellum & quidquid in prædio meo eſt ædificii, mea opera fundatum & erectum eſt. Fons ille à me erutus, Hortus iſte conſtructus, pomaria à me condita, piſcinæ à me adornatæ, ut poſſim dicere cum *Cyro* Perſarum rege prudentiſſimo, qui *Lyſandro Lacedæmonio*

dæmonio ad te venienti & ſociorum nomine dona afferenti hortum quendam conſeptum & diligenter conſitum in eoque proceritatem arborum & directos in quincuncem ordines monſtravit, admiranti autem diligentiam & ſolertiam ejus, à quo illa eſſent dimenſa & deſcripta, reſpondit: *Atqui ego ſum iſta dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio, multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ,* Cui *Lyſander recte vero Cyre te beatum faciunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt.* Hic igitur dicis vitam ago beatam, etiamſi ruralem ſive agreſtem, œconomicæ tamen diligentiæ & virtutis magiſtram. Hic ab omni urbium ſtrepitu remotus ſtudiis invigilo & à nemine interturbatus Mimigardiæ ſacræ, cœteriſque monumentis Monaſterienſibus perficiendis incumba. Hic ſanctæ ſimplicitatis cultor cum pluribus olim Heroibus, qui enſes & haſtas in aratra conflantes ab armis ad arva ſe contulere, utilem & jucundam vitam duco. Hic extremam quoque ætatem transigere meditor, ætatem transigere meditor. Hic frugalem patrem familias, diligentem agricolam & pecuarium, nec minus bonus Eccleſiaſticum & fidelem advocatum viduarum & miſerorum agere licet, tum & Decreto Sereniſſimi Electoris rerum hoſpitalis ſedulum Commiſſarium, quam Commiſſionem interrumpere tibi durum atque difficile futurum judico. Et nunquid pleriique Nobiles paternorum bonorum hæredes vitam ejusmodi campeſtrem induſtriè colunt, nec ipſum nobilem dederet agros ſuos coluiſſe, ſicut nec Clericus hac ex cauſa perdit privilegium Clericale. *Can. Clericus in V. agricult. Diſt.* 91. *Faber in Cod. l.* 9. *c.* 19. *D.* 3. Quid igitur

igitur à vita hac ſuburbana, ab hac domo mea rurali, quæ ad bene beateque vivendum & ſtudiis invigilandum plurimum momenti mihi adfert, me abſtrahere & avocare conaris? ſic puto mihi te reſponſurum.

Verum conceſſerim hæc omnia, modo ſatis ſecure liceat hanc vitæ rationem colere, Res longa alia eſt cum Nobili, qui arces foſſis ac muris munitas inhabitat, qui plures alit domeſticos, ejusmodi prædonum inſolentiæ facile reſiſtentes, quamvis & experientia doceat, & talem quoque non raro belli præſertim tempore, à multitudine Deſertorum fuiſſe infelicem.

Sed fortaſſis adhuc quid aliud in illa ſolitudine te detinet? Concluſiſti namque ut aliquando poſt extremum ſpiritum corporis tui exuviæ in Sacello apud Capucinos Borkenſes prope Avi tui *Ravii* cineres deponantur.

Verum an tanta eſt ſepulturæ ibidem neceſſitas, ut etiam in vivis tibi tollat quietem, & mortis accelerandæ metum incutiat? an non corpus reddere terræ in Eccleſia veſtra Collegiata æque vino magis honorificum ac in Fratrum Capucinorum Sacello; maxime ſi ibidem fundata, ut vocant, memoria anniverſariæ pro anima tua ſolvuntur preces? Habes jus ſepulcri in templo S. Felicitatis, vel in ipſa Baſilicæ crypta inter quatuor columnas. Quomodo ergo te forte infelicem reddat. Sepulturæ exſpectatio in aliena Eccleſia? an ergo, ut determinato loco inhumeris, anxiè ſupremum diem exſpectabis? Cuſtodiatur igitur vita tua quo ad natura patitur, corpusque ſervetur humo Eccleſiæ collegiatæ. Mors autem habeat neceſſitatem fati,

& ſi aliquando oppetenda, oppetatur cum gloria. Et quis foret Epitaphii tumulo inſcripti honos, Scholaſticum Vredenſem & Conſiliarium Electoralem fuiſſe à Nocturnis prædonibus ſuffocatum, ſtrangulatum aut qualicunque modo enectum? imò ſi domicilium tuum Borkenam transferres, nunquid tunc ſepulcro tuo deſtinato longe fores proximior? imò ſi Vredenam, nunquid illuc funus tuum deportari poſſet, caſu quo abſolute delectus foret apud Avi cineres ſepulturæ locus? incidit mihi hic motivum aliud, quod Te fortaſſis in Vicecurte tua retinere poſſet, nempe Hoſpitalis in Civitate Borkenſi Cura Tibi a Sereniſſimo Electore ab Anno 1730. demandata, quam ea quidem ſollicitudine atque prudentia moderatus es, ut apud Poſteros, utut hodie invidentium obſtet livor, æternam Tibi conciliatum ſit memoriam. Non enim proletariæ fuit induſtriæ, exciſas olim ſub Proviſoribus ſylvas novis quercubus conſerere, contracta à Magiſtratu debita expungere, cenſum Hoſpitalis annuum auctis bonis altero tanto majorem reddere, quæ omnia in effectum rara felicitate redegiſti. Non dicam nunc de oratorio ſeu odæo S. Spiritus magno à Te labore reſtaurato, de novo pavimento illi inſtrato, Campanula Divini officii indice proviſo, imò vel ipſo Sacerdote ad aram pro certis in hebdomade Sacrificiis peragendis, quod penitus oblivione deletum, revocato. Non memorabo perenne Sereniſſimi & Munificentiſſimi patriæ Patris CLEMENTIS AUGUSTI honori in eodem Sacello à Te erectum Monumentum, ut cœtera prætercam prudentiæ & induſtriæ tuæ ſpecimina.

Hoc

Hoc equidem præ cœteris omnibus Motivum, utpote magni apud Deum meriti, diſceſſum à *Vicivilla* tuum fateor, remorari poſſet, verùm cum prædicta omnia a Te in actum feliciter redacta ſint. Alii nunc Commiſſario in Civitate ſecurius habitanti, viro pariter prudenti, ac conſcientioſo, Hoſpitalis cura committi & commendari poteſt, ut non neceſſe ſit ejusmodi periculo, nec ipſo Deo id volente aut exigente, Te improvidè exponere.

Cogita igitur quid ſit forti & ſapienti homine dignum, quid gravitas, quid altitudo animi, quid ſtatus, quid vita Eccleſiaſtico-Scholaſtica, quid Conſiliarii Electoralis dignitas à te flagitent. Noli, amiciſſime *Pylades*, jam te natura ipſa. Occidentem maturius extingui vulnere graſſatoris Sicarii, quàm tuo fato. Tuum eſt conſulere temporibus, & incolumitati & vitæ & fortunis tuis. Extremum illud eſt, ut te horter & obſecrem, ut Tuſculano tuo valedicas, & illius horæ memineris, qua ſub prædonum poteſtate te vitæ fini jam deſtinatum metuiſti: hujus enim memoria ſat gravi erit incitamento, ut *Vicicurtim* ſecuritatis ergo deſeras, & *Vredenam* redeas, id quo Ego, D. Frater tuus unicus, Cognati tui, omnesque ſyncerè faventes Amici unanimi conſenſu ſuadent & deſiderant. Vale, Dabam *Vredenæ* Idibus Maji MDCCXLVIII.

Epiſtola Reſponſoria XII.

Oreſtis Amici Senis & benevolentis Conſilium❁ etſi ratum habeat, difficultatibus tamen eximiis obnoxium oſtendit *Pylades.*

Vredenam.

PRofecto Viri boni conſilium neutiquam aſpernendum eſſe ipſa, dictitat ratio, præſertim ſi candido & benevolo Amico; ſi ab experto & rerum humanarum viciſſitudinis erudito, qualis præcipue in ſenioribus ex experientia, profectum; Si magni ſit momenti & ſalutem ac vitam ipſam concernat, quas ſane circumſtantias omnes conſilium habet in ſuperiori Epiſtola tua mihi datum. Eſt namque mihi ab *Oreſte* amiciſſimo, eſt à ſene probatiſſimæ mihi, fidei, in fortunæ mutabilitate expertiſſimo, nec minus graviſſimi ponderis remipſam nempe mei conſervationem concernens, mihi ſerio datum atque inculcatum.

Utinam duntaxat ea promptitudine & facilitate ſequi poſſem, quo amore, qua affectus benevolentia mihi illud ſuggeſſiſti. Noſti equidem, quanta ſit difficultas in tranſplantandis vetuſtis annoſisque arboribus, quæ plerumque alium in fundum translatæ emarceſcunt. Jam annis fere triginta *Vici-Curtem* hanc meam colui, inhabitavi, tot ædificiis ſumptuoſæ inſtruxi; tot Novalibus Pomariis Piſcinis adauxi; tot quercuum juſto ordine inſertarum Xiſtis exornavi, adeoque reddidi familiarem, ut nova quaſi inchoandæ vitæ capeſſenda videantur rudimenta, ſi tot annis cultæ ſtationi

ex

Digitized by Google

ex arena quaſi renunciandum. Ex rure in civitatem, ex amica ſolitudine in populi frequentiam, ex ſtudio in otium ſecedere longe mihi eſt difficillimum. Nunquid novæ diætæ, non dicam novæ vitæ, mihi ineunda eſt ratio, cui aſſueſcere niſi adhibita ſenectæ meæ violentia vix poſſim? Illud etenim à primis fere unguiculis mihi, fateor, inſitum, ut oppidum carcerem, reputaverim, ſolitudinem Paradiſum. Loco huic campeſtri in multis ſum debitor. Nunquam in urbe fuiſſet illud condendis *Weſtphaliæ Monumentis* otium, nunquam de tot argumentis tecum per Epiſtolas Amœbæas elaboratis diſceptandi occaſio. Taceo alia bona & exactioris diætæ ſervandæ commoda, aëris purioris & ab effluviis civicis liberi inſpirationem, quam tamen vos Medici ad ſanitatis vitæque productionem magnopere æſtimatis ſalutarem.

Fateor anxietate plenus eſt ſomnus, ubi neſcitur, an quis reviſurus ſit auroram, hoc quidem nemini certum eſt ob fati neceſſitatem; ſed continuis ex hominum peſſimorum inſidiis torqueri & anxiari curis, id vitam reddit ſumme moleſtam, variis imo doloribus & angoribus circum ſeptam.

Conceſſerim tibi facile, non eam domui meæ eſſe firmitudinem, ut graſſatorum violentis incurſibus diu poſſit reſiſtere, nec illam ruſticæ vicinitati, etiamſi agros meos inhabitant, fidem, aut animos, ut tuto eidem poſſim confidere, ſed noviſti quodque, niſi Dominus domum cuſtodierit, vanos eſſe omnium conatus, qui eam cuſtodiunt, ut adeo divinæ præ ceteris tutelæ unice confidam. Præterea ex eo tempore clatris ferreis firmavi januas atque feneſtras, bombardis inſtruxi cubicula, famu-

ſamulatum quoque fortiorem aſſumpſi, ita ut humano ratiocinandi modo ea curaverim, quæ metum temperent.

Quanto animi mœrore intra horulam unicam à meditullio noctis ad primam privatus ſum antiquis moderniſque Numiſmatibus, quinquaginta annorum collectaneis, incredibili ſtudio ſumptuque ex omnibus terræ angulis conquiſitis, ac nullo unquam tempore, qualicunque etiam expenſa, imo nullo hominum conſilio, præſertim *ſi Metallothecam Weſtphaliæ Numiſmaticam* ſpecto, recuperandis, probe judicas. Eſt etenim erga hoc ſtudii genus mihi amor quaſi innatus, cui nunc penitus contra ipſam fere naturam valedicere cogerer. Sed ut hæc inter deperdita defleant Pancirolli nepotes; mihi certe quo conſilio impoſterum ejus commatis infortunium caveam, mature erit deliberandum. Interea Schediaſmati, quod de Fatis Muſeorum concinnavi, meum præ cæteris ipſemet inſcripturus ſum nomen. Longe minus me affligit ſuppellectilis argenteæ tam ſacello Domeſtico, quam menſæ totiusque domus uſui deſtinatæ aliquot centenis imperialibus non difficulter rurſum acquirenda jactura.

Potuiſſet, fateor, mihi contingere infortunium longe majus, ſi Bibliothecam ex caſu incendii fortuito conſumpſiſſet Vulcanus, ſic enim omni ſolatio, quod mortuorum mihi tribuit contubernium, privatus fuiſſem, præſertim vero, ſi tali eventu pluribus Manuſcriptis non reparabilibus orbari me contigiſſet, me maxime infelicem æſtimâſſem, hæc enim habeo pro meis Theſauris, quo caſu mihi ingemiſcendum fuiſſet cum Th.

Bartho-

Digitized by Google

Bartholino, ubi de libris ſuis manu exaratis totaque Bibliotheca combuſtis *p.m.* 46. loquitur: *Una* (eaque mihi futura maxima) *doloris cauſa in manu exaratis libris ſupereſt, quæ non tam me quam publicum tangit.* Publica ea jactura eſt, pro qua nemo paciſci queat, quia irreparabilis. Deſtinaveram equidem illa una cum tota Bibliotheca, totoque Muſeo aliisque Raritheciis non tam mihi aut hæredibus, quam publico & poſteris, adeoque Patriæ eruditorumque Reip. uſui atque bono, ut vel inde quoad ſpoliata Numismata levior me ipſum, gravior poſteros dolor maneat atque afflictio. Unicum nunc ex Bibliotheca, ſi deſerenda foret Vicivilla mea, Comite mihi reſiduum foret ſolamen, at quantis impenſis, quanto ex aurigarum incuria & loci intercapedine Vredenam transvehenda faſtidio atque detrimento! Et miror ſane, quare Petrarcha *Lib. de Remediis Utriusque Fortunæ* nullum literatis attulerit ſolamen, ſi Biblotheca priventur, cum illa nihil in vita potius habeant. Interea doloris & damne pondus ex *Bartholini* threnis ſatius eſt colligere, quibus Bibliothecæ ſuæ duriſſimo fato in curia ſua Tuſculana *Hageſled* An. MDCLXX. in cineres actæ integro libello eodem adhuc anno parentavit. Sed prædonibus & latronibus iſtis nullum eſt cum libris & chartis negotium.

Optime noviſti, quantum delecter vita ſuburbana & ab omni urbium ſtrepitu remota ſolitudine, in qua pariter tot Romani Heroes conſenuerunt; tum ſtudiorum ac librorum conſarcinandorum, tum vitæ ruſticæ amatores, permittes proin mihi, amiciſſime, ut villam hanc meam, ſi

ſi parva licet componere magnis, ad exemplum Ciceronis appellitem *Academiam*, in qua librorum volutatio *triſtitiæ leniendæ*, ut D. *Hieronymus* ad infelicitatis ſuæ hiſtoriam, Epiſt. ad Euſtoch. Oper. *Tom. I. fol.* 66. loquitur, aliquod adferat remedium; hanc igitur relinquere omnium mihi accidet duriſſimum, quamvis eam ad tempus deſerere & ſanitatis confirmandæ vitæque quietius agendæ quaſi quædam invitet, imo cogat neceſſitas, tuumque & fratris unici, amicorum quoque & cognatorum ad unum omnium ſuadeat conſilium, cui ut auſcultem ipſa videtur monere prudentia. Etſi enim plane incertum ſit vitæ periclitantis diſcrimen, tutiora, tamen amplecti ipſa conſentit ratio. Quare ad aliquod tempus, præſertim ad longiores brumæ tenebras apprehendere juverit durum hoc neceſſitatis telum. Comperio verum eſſe, quod ille apud Comicum in Adelphis Act. V. Scen. IV. ait: *Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, uſus, ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat.*

Ipſe igitur judicio, illud, quod nuper ſuſtinui, præſens vitæ periculum, me monere, ut ejus occaſionem & locum declinem; ſaltem perturbatis hiſce vicini Martis late omnia depopulantis temporibus, ceu vitæ & prædæ periculis undiquaque circumvallatum, & me ad certiorem ſalutis ac tranquillæ ſenectæ portum hac rerum tempeſtate, quanquam nec paratas pecunias, nec ſupellectilem argenteam, nec magni pretii, alia huic campeſtri curiæ denuò concredenda facile ipſemet intelligas.

Interea

Interea dicam de amiſſo Numiſmatum Muſeo, quod præcitato Lib. *Bartholinus p. m.* 46. *ſq.* de ſuis Bibliothecæ Cineribus, *major jam ſum, quam ut mancipium ſim Bibliothecæ* (Muſei Numiſmatici) *quæ non aliter ab aliis poſſidetur quam ut vinculum ingenii. Poſthac ſi quid per ætatis oblivionem perdidi, in quo ſe animus & penna explicare ſolebat, utilioribus, quæ ad mortis meditationem ducunt, ut melior beatiorque ex vita exeam, commutabo.* Totus mihi, poſthac victurus, ut perfruar ſolitudine, mea intereſt, intereſt & ſalutis. *Senecam* ſequor non oppidis tantum, ſed aulis Principum præferentem Eremum:

Stet, quicunque volet, potens
Aulæ culmine lubrico.
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco
Levi perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebejus moriar ſenex.
Amen.

Quod de aviſo Sepulturæ loco apud P. P. Capucinos Borckenſes delecto injicis, inter minima eſt, quæ vicino ruri commorari perſuadeant. *Undique ad ſuperos tantundem eſt viæ.* Neque commiſſio curandis rebus pauperum annis ab hinc pluribus mihi clementiſſime demandata a reſolutione ex hac curia demigrandi revocare poterit, ex motivis à te longa ſerie in Epiſtola tua adductis. Perlu-

Perlubens patior, nihilque opto ardentius, quam ut onere hoc propediem liberatus tranquillioris vitæ genus amplectar, neque vero negotiorum moli undequaque ferendæ vires amplius ſufficere cur diſſimulem. Quid interea pauperibus præſtitum, in Libro vitæ annotatum confidimus. Hoc cumprimis mihi ſolatio eſt, cum omnia gratis præſtiterim Sereniſſimum noſtrum mercedem pro labore & faſtidiis ſingulari patientia per annos plures amore pauperum exantlatis a Deo copioſe reſarciendam clementiſſime aliquando reſcripſiſſe.

Revertor ad Muſei mei jacturam. Hoc unum præcipuum dolet, nummos Carolingorum Medii Ævi & præcipue *Metallothecam* meam *Weſtphalicam*, i.e. ſeriem atque Hiſtoriam Metropolitanorum, Epiſcoporum, Ducum, Comitum, Oppidorumque Weſtphaliæ, qua augentes, qua illuſtrantes, non omnes calamo hiſtoriographico, atque pictorio, quo ad typos ſaltem mihi ſupereſſe deſcriptos, quorum minimi moduli dodecadem, eorum vero octo buxo inciſos ſubnecto, ut ex his de tot numero ceteris metallo, pondere, modulo, proin raritate longe præſtantioribus judices, ceu ex fimbria de veſte.

I. † SANCTVS PAVLVS. Effigies S. Pauli av. † MONASTERIVM. Veſtibulum Cathedralis Eccleſiæ.

II. EVERHARDVS EPISCOPVS MON. Figura Epiſcopi av. † SANCTVS PAVLVS APOSTOL. *Everhardus* de *Deeſt* Epiſc. Monaſt. XXXII.

III. † LO-

III. † LODOWICVS Epiſcopus MON. imago Epiſcopi dextra erecta, ſiniſtrá librum Evangeliorum apertum tenet. Av. Caput *Pauli* barbatum. Ludovici I. h. n. IIdi ſit nummulus, dubites. Ille Teclaburgi Comes, Epiſcopus ordine XXIII. *Monetæ Reſtaurator*; Hic Haſſiæ Landgravius, Epiſcopus XXXV. ejusdem *Promotor* dictus.

IV. FLORENT. EPISCOPVS MON. imago Epiſcopi, Gente Wevelinghovii ordine XXXVII. av. SANCTVS PAVLVS dextra gladium, ſiniſtra librum Evangeliorum cum trabe ad pectus, Diœceſis inſigni.

V. † ERIC. EPISCOPVS MONAST. DUX. SAS. cum armis gentilitiis & Diœceſanis av. &c. S. PAVLVS APOSTL. Paulus in Cathedra dextra gladium, ſiniſtra Evangeliorum librum: Infra inſignia Saxonica. Hujus ut et ſequentium unciales extare teſtatur Dav. Köhlerus Amœnitat. Numismatic. *Tom. V. Præf. pag. III. Nro. II.*

VI. † FRIDER. ELE. Z. CON. E. Mo. i. e. FRIDER*icus* ELE*ctus* Z. & CON*firmatus Epiſcopus* MO*naſterienſis.*

AV. MONE. NO. MONAST. i. e. MONE*ta* NO*va* MONAST*erienſis* Fridericus h. n. III. natus Comes de *Weda* Epiſcopus Monaſt. XLVIII.

VII. MONE. NOVA. ARGE. MONAS. 1574. i. e. MONE*ta* NOVA ARGE*ntea* MONAS*terienſis.* av. MAXIMI. I. D. G. IMPERAT.

P Num-

Nummus *Joannis* Comitis de *Hoja* Epiſcopi Mon. LIII.

Hic & nummi ſequentes Comitum Lippiæ ſunt.

VIII. † BERNARD. Caput crinitum dextra crucem. av. † LEMEGO. CIVI. crux in medio.


IX. ·⁝· ERLVT DE LIPPIA av. † MONETA. IN LIPPIA. in medio crux, ad cujusvis angulum inſcriptæ litteræ, quæ vocem LIPE. efferunt.

X. BERNARD. D. E. L. P. caput nudum. Av. † MONETA. IN LIPPIA. In medio Crux cum quatuor litteris in totidem angulis LIPE exprimentibus.

XI. † ADVLPVS COMES. Caput nudum. Av. &c. HAMONA. CIVITAS. Crux in medio. Non Lippiæ ſed Marcæ Comitis eſſe hunc nummulum, certum habeo.


XII. † BERNARDVS. Lilium in medio & LIPE. Av. &c. † IN. LIPI. Veſtibulum templi ex utroque latere Cruce ſtipatum. Sed en ipſos nummulorum typos.

I.




II.

II.




III.




IV.



V.




VI.



VII.



VIII.



Atque hæc reſponſi loco tibi referre volui, cum voto, ut ad exemplum *Bartholini*, qui Bibliothecam ſuam in cineres actam, ultimam illam fore ſperabat, quæ incendii infortunio utique prima non fuerat, ita & ultimum quoque ſit Muſeum meum, quod funeſtiſſimo furti fato primum certe minime fuit; Tum ut altiſſimus nobis concedat ſtatutum ab eo vitæ terminum ſine ulteriori fatali accidente attingere, & ad multos adhuc annos Deo & proximo extendere ſenectam. Vale. Ex *Wieckinghovio* ipſis Nonis Julii MDCCXLVIII.

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtola XIII.

In qua nonnulla epicriticè de Pulte & Cereviſiâ Weſtphalorum, & dein de Taliſmate Treverico pertractantur, ac ad Pyladem & Oreſtem perſcribuntur.

Wickinghovium & Vredenam.

PYLADI & ORESTI,
Sincerrimorum Amicorum Pari,
Scilicet
Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino,
D. JODOCO HERMANNO NUNNINGIHO,
J. U. D.
Sereniſſimi Principis Monaſterienſis Conſiliario Eccleſiaſtico, Proto-Notario Apoſtolico, Illuſtriſſimi Capituli Vredenſis Canonicó & Scholaſtico &c. &c.
Nec non
Clariſſimo & Experientiſſimo Viro ac Domino,
JOANNI HENRICO COHAUSEN,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctori,
Archiatro Hoſtmario-Ahuſano, Phyſico & Practico Vredenſi longè celeberrimo,
Patruo ſuo Amantiſſimo,
&c. &c.
Doctiſſimis Amœbæarum Litterarum Authoribus
Salutem, Vegetamque Senectam
SALENTINUS ERNESTUS EUGENIUS COHAUSEN,
Proto-Phyſicus Confluentinus.

EX Itinere XIX. Calend. Septemb. MDCCXLIX. redux Litterarum Amœbæarum convolutum per me ad prælum promovendum lætus accepi, & utcunque ſudore madens totusque laſſus, avida

tamen ſciendi curioſitas me eo deduxit, ut in ſeram usque noctem ejusdem gratiſſima lectione me occupaverim, nec ſomni nec quietis neceſſariæ amore avelli potuerim, inveni enim in iis quæ me delectabant, & quæ erudiebant, quæque tantum abeſt ut ſatiaverint conſtans ſciendi & diſcendi deſiderium, ut potius orexin adauxerint tomi futuri tertii contenta ſimiliter legendi & perſcrutandi; expertus enim jamdudum fui, & omnes verè litteratos aſſentientes habeo, quod quidquid ex calamis veſtris profluit, oleum redoleat, & doctrinam exaſciatam ſpiret; placuit porrò mutua eaque cordialis ſæpius facta ad prandium & cœnam invitatio, fateor prurientes inter legendum ſenſi dentes, & ſi unquam certè tum temporis apud vos paraſitari potuiſſe peroptabam, & utcunque inter copioſiſſimos etiam labores clinicos jam à multis annis jentaculum ſumere non ſoleam (licet dubitari poſſit num bene vel malè fiat, quæ quæſtio eruditè excuſſa legi poterit apud Schaarſchmidt, **in den** *Mediciniſchen*, *Chyrurgiſchen Beroliniſchen* **Nachrichten zweyten Jahrgang**, *Cap.* 11. *p.* 82.) pultem tamen Weſtphalicam vobiſcum jentare non detrectaſſem; noſtris quidem in oris hujus pultis genus prorſus ignotum eſt, & tanquam Eſui hominis indignum reſpuitur, memini enim me in illuſtriſſima quadam aula medicè tractaſſe Virum Nobiliſſimum ex primaria Weſtphaliæ proſapia oriundum phthyſi laborantem conclamata, qui totus emaciatus & exhauſtus ob continuam fætidi puris ex pulmonibus exulceratis rejectionem omnia nauſeabat eſculenta, huic caſualiter proponebam, num non patrium cibum guſtare allubeſceret, ſcilicet

pultem

Digitized by Google

pultem ex groſſiore farina ſecalina factam cum butyro recenti aut lacte mixtam, audito hoc propoſito ridens reponebat æger? anne hanc commedere licet, ſin ſeriò appetitum & vires recuperabo; hinc velox ad molendinas mittebatur curſor, ex allata farina me cooperante & inſtruente per longam coctionem ferculum hocce Weſtphalicum præparabatur, quod ſingulari appetitu avidè edit (qui appetitus noſtratibus pica credebatur, non enim ſalivam, ſed vomitum delicatioribus vel aſpectus movere velle videbatur) perque aliquot tempus fere nihil aliud ſumpſit, quam hanc pultem, viresque egregiè ſuſtentavit, quin me multis aliis Hecticis & Phthyſicis hocce ferculum cum Euphoria recommendaſſe recordor, nec fallit eventus modo ſtomachi is adhuc fuerit vigor, ut digerere & ſubigere potuerit, imò in tuſſi ferina, in diatheſi Hectica & Phthyſica à particulari humorum acrimonia oriunda egregium ſolamen attuliſſe frequenter obſervavi; & me judice præ omni lactis cura ipſi debetur prærogativa, hinc ne debiliorem ſtomachum gravet, non ita graſſam ſed tenuiorem coqui ac ſorbillare jubeo, immiſcendo ſubinde lac, vel butyrum recens non ſolitum; imo Phthyſicis, Hecticis, diuturna raucedine Phthyſin minente affectis nil magis & ſecurius profuiſſe frequenter notavi, quam decoctum furfurum ſecalinorum melle vel ſaccharo edulcoratum; teſtari poſſum hocce decoctum vel pultem illam Weſtphalicam in Phthyſi ac Hectica plus præſtitiſſe, quam tot ſpecioſi pulveres, pompoſa Electuaria, atque famoſa Balſama, quo pluribus enim medicamentis iſtiusmodi ægri utuntur Naturam cogere volentes, eo citius moriuntur,

riuntur, hinc magnatum & divitum ſortem ſæpius miſertus, ac quaſi pœnam agnovi, quod hi inter purpuratos Medicos, inter pretioſa & aurata medicamenta ex talibus morbis citius pereunt, quam Ruſtici & Pauperes, qui vix ultra vile aliquod Herbaceum decoctum, ſumunt, vel Naturæ autocraciæ relinquunt; alias pultem hanc Weſtphalicam in Hectica ſeu tabida corporis conſumptione à ſchirroſitate viſcerum *caſ*.20. *p*.56. in Hæmophthyſin cum læſione pulmoniali *caſ*. 5. *p*. 16. in phthyſi abdominali *caſ*. 13. *p*. 37. in ſuis Conſiliis Medicis ſtrenuè recommendat Clacius.

Verum non ſoli Weſtphali pultivori ſunt, tale prædicatum & ſibi præ aliis vendicant Eiffliaci patriotæ quondam mei, ſed alio pultis genere ſcilicet ex farina avenæ præparato veſcuntur, nec hæc è ditiorum menſis exulat, utcunque rarius compareat, ſicque addit ad palatum quidem gratior utpote luxurioſius parata, ſed ſanitati non ita proficua adfertur; Ruſtica gens farinam avenæ in aqua ſolita decoquit, & ita coctam modico butyro admixto omni mane avidiſſimè devorat; Civici verò & ditiores farinam in butyro frixant, & torrent, aromata addunt, vino condiunt, ſicque palatum gratius titillat, aſt per iſtam fortiorem toſtionem vel frixationem particulæ ſaporaceæ nutrientes mucilaginoſæ invertuntur, comburunturque & id quod Natura farinæ avenaceæ dedit utiliſſimum ſcilicet ad nutriendum aptiſſimas particulas deſtruunt, & conſequenter ad finem tam demulcendi tam nutriendi ineptas ſumptuoſè reddunt; alias nec huic pulti denegari poteſt inſignior vis Medica; novi mulierem nobilem pharmacophobam lientina laborantem

ex

ex meo conſilio per ſolum pultis hujus patientem uſum feliciter fuiſſe perſanatam; quin quoque ad aliorum imo multorum morborum curationes pultis uſus medicus extendi poſſit nullum eſt dubium, & fuſiore inquiſitione medica dignum foret argumentum, ſed ac Eiffliacis quondam meis Concivibus conſueto jentaculo (puls enim avenacea iſtis pro refectione matutina, offa pro prandio, & olus pro cœna ſervit, ita quidem ut Ruſtica gens poſt factam ſalutationem aut fauſti temporis apprecationem ſequentibus diſcurſum inchoare ſoleat: **Gutten Morgen, iſt der Brey gegeſſen**; poſt prandium: **Gutten Tag, iſt die Suppe gegeſſen**; & ſub veſperam: **Gutten Abend, iſt Mus verzehret**) ad prandium transeo! in quo mutua eaque officioſa ad eſum Petaſonis Weſtphalici fit invitatio, quos Galli Moguntinos lingua iis vernacula *jambon de Mayence* nuncupare ſolent, ex eo quoniam olim ibidem Petaſonum atque aliarum mercium ex Weſtphalia aut aliis regionibus miſſarum erat depoſitorium, collectio & æquè per Romanum Imperium quam vicinam Galliam ingens ac florens lucriferum commercium, & fortaſſis magnæ nundinæ, prout nunc apud Francofurtenſes Moguntiæ celebrabantur (quas ad priorem formam & celebritatem in ſummum urbis & ſubditorum ſuorum commodum Eminentiſſimus Elector *Carolus Philippus* nunc glorioſè Regnas evehere ſummo ſtudio & cura adnititur, in quibus Pernas Weſtphalicas Mercatores Gallici emere & in Patriam ſuam transportare & iiſdem mercari ſolebant, quas de genuinis natalibus parum ſolliciti ab ultimo emptionis loco Moguntinas appellabant, & in hunc usque diem ita nominare

 pergunt;

pergunt; fateor, niſi quis anorexia vel pica laboret, ad hujus memoriam dentes prurire debent, præprimis ſi vel leviter eſurienti oleris Weſtphalici) quod ſingulare ſcrutinium phyſico medicum requirit, in illo enim ſpecificam energiam antiſcorbuticam ſi quis quæſiverit, meo judicio non aberrabit (bene cocti & primo gelu vel frigore leniter emolliti vel etiam braſſicæ muriâ conditæ) quæ ſimiliter jure optimo antiſcorbutica dici poteſt, imprimis in ea ſcorbuti ſpecie, quam Cl. Charleton Anglorum Machaon Rancidam vocat, hinc ſpecialiter hanc recommendat in Grönlandiam vel Indiam orientalem navigantibus J. F. Bachſtrom in *Obſervat. circa Scorbutum p.* 33.) opponatur patina coronata ſeu potius circumcincta bene cocti non nimis veteris, nec nimis ſaliti aut fumo indurati Petaſonis rubicundulis fruſtulis albidulo nec craſſo nec rancido lardo tectis, quæ mixtura etiam cum groſſiore Weſtphalico pane non duntaxat ſummè eſurientem ſtômachum, nam fames omnium ciborum optimum condimentum eſt) ſatiabit refocillabitque, ſed delicatiſſimo etiam palatui ſuaviſſima erit; imò non duntaxat tenerrimas linguæ papillas & nervos guſtatorios gratè titillat, ſed quoque uſum Medicum egregium habuiſſe narrant de Teutone in Noſocomio Italico ex Febre rebelli periculosè decumbente, qui variis remediis pharmaceuticis fruſtra fatigatus à Medico pro incurabili habebatur, hic ſingulari appetitu ad eſum Braſſicæ muria & perna conditæ ferebatur, hancque ſatisfactionem & commedendi licentiam pro extremo ſolamine anxiè erogabat, cui petito tanto lubentius connivendo annuebat Medicus, cum de ægri reconvaleſcentia deſperatum

eſſe

eſſe crederet; æger petitum & allatum ferculum avidè devorat, quo non ſolum egregiè refocillabatur, ſed ſimul nulli medicationi cedere volens paroxiſmus febrilis profligabatur, & æger præter omnium opinionem reconvaleſcebat, hæc demirans Medicus experimentum ulterioribus actibus confirmandum ad tabulas refert; accidit ut ſimili modo alius decumberet, cui idem ferculum opponi jubet, aſt vix ſumpto exſpirat æger, hinc ſubnectebat cautelam: *Pro Weſtphalo, non pro Italo*; expertum & ſalutare eſt remedium; ſive hæc vera hiſtoria, ſeu ingenioſa fabula ſit, optandum foret, ut omnes Medici tantopere ſuas experientias crepantes ſimul obſervarent ac ſtudioſè notarent, quibus, quando, & qualiter nocuerit vel profuerit, utinam imitatores practici ſedulo animadverterent, cui & ubi author ſcripſerit, aliter enim Febris e. g. curatur in Italia, aliter in Hollandia, aliter in Oriente, aliter in Occidente, quod cum ſpeciali Emphaſi: *Romanis Scribo* in ſua praxi repetit & inculcat Baylivus meus; non inficior me jam à multis annis nec aëre nec victus genere Weſtphalo aſſueviſſe; Petaſonem tamen & Modicè & Medicè id eſt prudenter commeſtum probo & laudo, verum, quo ad potum veſtrum cereviſialem retractis humeris eum recuſare jubet dispathia, hujus enim licet optimæ potus mihi ſtranguriam, iſchuriam, colicam vel utrumque malum ſimul cauſat, niſi ſuperaddito vini potu diureſin promoveam, ſpiſſumque potum eluam, quod me doloroſa aliquoties docuit experientia, particularis quidem idioſyncraſiæ hic effectus eſſe videtur, unde univerſaliter notam non meretur; interim certum eſſe opinor, quod cereviſia

viſia neceſſitatis & quidem extremæ inventum ſit, quo præ aliis ſummopere eguit Weſtphalia utpote vino & aqua limpida carens, cum enim declivior terrarum ibidem obſervetur ſitus, plurimæ ne dicam omnes aquæ paludoſæ, graves, ſtagnantes & ſemiputridæ eſſe deprehenduntur, & hinc id jam præmonente Hippocrate ad potum inutiles; hac itaque urgente neceſſitate ductus Ruſticus veſtras aquas cum frumento pro potu ordinario decoxit, potumque paravit, quem *Scharffbier* vocitat, ac in quantum recordor albidiuſculus & acidiuſculus eſt inſtar lactis, qui Ruſticorum & vilis plebeculæ potus ſeri quod non caſu quodam fortuito ſed inſtinctu quaſi naturali & prudenti artis adminiculo inventus ſed quoque ſummè ſalubris & neceſſarius ſit mihi admodum veriſimile eſſe apparet, cum enim in locis uliginoſis, ubi aqua ſtagnans, paludoſa, gravis, turbida & corrupta prædominatur, ex illa ſemper exhalationes putidæ & corruptæ exſurgunt, quibus ſi victus craſſior & ſalſus accedat, aliter vix fieri poteſt, quin inde diſcraſia gravis ſanguinis & humorum (quam ſcorbuticam vocant) progeneretur, atque ea potius alcaleſcens (cum omne putidum alcaleſcere ſoleat) quam acida dicenda, à qua corruptione putredinoſa peſſima illa ſcorbuti ſymptomata ut Scelotyrbe, Gingipedium &c. progerminant, quæ certe nunquam juxta opinionem Franc. de le Bœ Sylvii (vid. *prax. med. in appendice tract.* 10. §. 863. *p.* 869.) ſale volatili alcalico curantur, ſed potius exaſperantur, & ut ipſius verba invertam: Quod ſi affectus in Medicina ullus reperiatur, qui acidorum efficaciam & neceſſitatem clamet, atque omnes iſta temerè ac imperitè ridentes confundat & ridicu-

ridiculos teſtetur, ſcorbutus eſt ex corruptione putredinoſa oriundus, nullis remediis æque cedens, quam blandis acidillis &c. Teſtis Joan. Hummelius in Commentatione de *Arthrid. & Scorbut. part. 2. p. 65. §. XV.* vit. Simon Pauli *in quadripart. Botan. claſ. 3. p. 383.* ſic obſervant navigantium Hiſtoriographi, omnes diutius in mari navigantes moleſtiſſimo, putido & plerumque fatali ſcorbuto infici, qui ad inſualas fortunatas appellentes, malos citrios, limonas, cæteorsque fructus acidiuſculos avide devorant, & ſi non plenariam ab infectione ſcorbutica ſanationem ſaltem certum ſolamen ſtatim perſentiſcunt; puto itaque cereviſiam illam tenuem acidiuſculam Ruſtico *Scharffbier* dictam, bonum imò neceſſarium pro plebecula eſſe præſervativum ab Endemico malo; imò ſubitare licet, num non hæc cereviſia præ craſſa pingui, fæculenta ſalubrior dicenda ſit ut hinc Ruſticus felicior quam cives opulentinum enim fortiorem, craſſiorem, & ſtupidam temulentiam potatori ſtrenuo accerſentem ad cenſum ſalubrium potum referre audeam, valde dubius hæreo, pauci enim potum illum (quo nil ſpiſſius dum bibitur, nil clarius eſt dum mingitur. vid. *J. Z. Furſt* in *dialog. Hygiaſtico c. 4. p. 92.*) ex omni parte citra incommodum ferunt, ſic videmus & aſſuetos zythopatas poſt ingurgitatam cereviſiam ſuperaddere crematum ſpiritum, tum ut feliciori diureſi craſſior & fæculentior potus propellatur, tum ut ventriculi tonus confortetur, tum ut occulta acrimonia corpori inimica ſæpius intolerabiles ſtrangurias & ischurias cauſans corrigatur, cum itaque licet Medicus ægrotare non amem, malemque præſervari quam curari, vobis-

vobiſcum quidem jentare, prandere & cœnare cupio, ſed alio potus genere refici peropto; fortunatior mihi præ Weſtphalia Eifflia eſſe videtur, quæ utcunque nullo niſi peregrè non tamen adeò remotè adoceto vino gaudeat, rariusque cereviſiam Braxare ſoleat, attamen clarâ, tenui, levi, ſapidâ & limpidâ aquâ imò innumeris fontibus (quod in *Crenographia* mea *Trevirenſi* deduxi) ſuperabundat ſoteriis quæ aqua omni decocto cereviſiali ſalubrior eſt præferenda, hac ſolâ popellus ibidem ſitim ſedat, ac proſperè non ſolum valet, ſed grande ſenium plerumque acquirit, cumque non adeo pingues alat aquiliculos, rarius epidemico vix nunquam endemico morbo laborare obſervatur, adeo ad conſequendam vegetam ſenectam juvat impigrum eſſe ad labores, frugaliter ediſſe, & priſco more aquam bibiſſe: Verum rejecto Apollinis filiis indigno imo inſalubri utpote craſſo & fæculento, ac duris meſſorum iliis appropriato potu ad alium vos invito, & talem quidem, qui ſecundum magnum illum Naturæ ſcrutatorem Plinium lib. 23. *Vires alit, ſanguinem caloremque hominum* (quod in ætate illa grandæva, qua digitis non modo utile ſed neceſſarium eſſe perſuadet ratio) *& mentem auget cum nobilioribus partibus*, ac ſecundum Gellium lib. 15. C. 2. ex ſententia Platonis *Ingenii fames eſt, virtutisque incitamentum, ſi mens & corpus hominis eo flagret.* Vinum ſcilicet; Bibemus ſolutis cæcuba clavibus; Tale depromi affluenter faciam, quod *Cos* dici poſſit, & qualitates illas habeat quas requirit Sennertus *Inſtitut. lib. IV. part. I. c. IV.* nempe quod *ſaporem habet medium inter dulcem & auſterum, ſit adoratum & fragrans, clarum &*

fulvum

fulvum non nihil, neque craſſum, neque tenue nimis, ad tenuitatem tamen non nihil excedens, neque nimis potens, neque nimis debile, ætatis mediæ, in loco natum ubi Paulus ipſe viridi cinxiſſe tempora Pampino credi poſſit, quod ſi fervente Syrio illo mactarer honore, & coram infundere liceret; Vinum album vel Rubellum ad placitum aquæ ſoteriæ Birresbornianæ cum pauxillo ſaccharo mixtum gratiſſimo effervеſcentiæ ſtrepitu, amæna ſpuma, titillante ſapore ſitim ſedabit, vires æſtu fractas reſuſcitabit, animumque recreabit, ut dubitem, an ipſe ganymedes Epulanti Jovi delicatius Nectar depromere poſſit, & luit ſecundum martialem Lib. XIV.

Non ſatis eſt ars ſola coquo, ſervire palato,
Namque coquus Domini debet habere gulam.

Apponam fercula, quæ nec vos reſpicere litteræ docent Amœbææ; o ſi mihi cum Horatio Ode 37. exclamare & vos hortari liceret:

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus &c.

Verum hæc pia tantum ſunt deſideria, & inania vota, Jupiter quæ jubet æollos irrita ferre Notos, de fortuna enim tali & gratiſſimo honore cum ob grandævam ad iter Longius ob conſuetas ſenii moleſtias minus commotam ætatem prorſus deſperem, Epulis litterariis omni Nectare dulcioribus ſi non ſtomachum ſaltem animum ſatiare juvabit; nihil enim me magis delectabit, quam ſi deinceps quo frequentius eo gratius doctiſſimis & exaſciatis veſtris ſcriptis recreer, quem in finem vos his per

per cerebrum minervæ obteſtari, hortari & reciproca mea obſequia & tenuia officii totis viribus offerre volui; hæc itaque tranſiens occaſione talismatis Benthemici in Epiſtolis veſtris examinati & erudite diſcuſſi ob materiæ affinitatem de Talismate Treverico non nulla vobiscum conferre & communicare audeo, ſuper quo futuris temporibus doctam veſtram Epicriſin exſpectabo: ſed ecce brevem hujus Hiſtoriam, quam ex autographo illuſtriſſimi Domini Joannis Philippi, L. B. de Reiffenberg exſcripſi, qui *C.4. & 5.* Broweri & Maſenii *Antiquitat. & Annal. Trevirenſ. proporaſev.* hanc tanquam commentariam adjecit:

UTi eam Hiſtoriæ Trevirenſis partem, quæ Metropolim, antequam Roma conderetur jam tum floruiſſe aſſerit, egregie confirmavit lamina illa plombea reperta tum, cum juſſu Galliarum Regis veneranda antiquitatis pons Moſellæ impoſitus Ao. 1689. deſtrueretur, in quadrata ſex pedum ſuperficie ſaxi ſex pedes cum dimidio alti atque pondus octies mille librarum æquantis, quod tertiæ ab agris numerum incipientibus, columnæ pontis architectus commiſerat; Illa enim exhibebat dimidiata Eminentiæ ſtatuam repræſentantem virum haſtatum in ſimpliciſſimo illo & antiquiſſimo veſtitu, quo fere Hungararum Huſſari ſive equites adhuc hodie utuntur, cujus caput tegebat pileus Armenico ſive Perſico, quo Orientales utuntur, non abſimilis, uti ex appoſita figura, quæ laminæ menſuram oſtendit, patebit; Licet enim Romanorum amictus militaris ſcilicet ab illo non omnino differat, ut docent nummi & ſtatuæ, capite

pite tamen illi plerumque intecto erant ex more à Græcis ad ipſos derivato, & ſi in ſacris ludis, peregrinationibus & militia caput tegerent; erant illa tegmina aut corona, diadema, galea lacinia togæ vel pallii, pilei pannonici ex pellibus aut petaſi ad umbram faciendam marginati, ut hodie pilei noſtri vel etiam pilei ſic proprie dicti, quales dormitorii aut nautici, quorum aliquo cernitur tectus Propheta Daniel in effigie, quam ex pervetuſto quodam Codice Baſilii porphyrogeniti Imp., qui in Bibliothecâ Vaticanâ aſſervatur, ſe pictam exhibet Corn. à Lapide, nunquam vero Pileus Armenicus, qualem dicta lamina exhibet, ita necdum mihi perſuadet conditorem urbis & pontis fuiſſe Trebetam quendam Semiramidem illam Babilonicam per tantum maris & terræ ſpacium fugientem, credibilius magisque rationi conſentaneum videtur fuiſſe illum Tuiſconis ex filio Manno, qui tempore Semiramidis circa Rhenum regnavit, nepotem, cui aut altera quædam Semiramis, aut viſus Moſella fluvius aliæque cauſæ ſeparandi ſeſe à ſuis occaſionem præbuerint, dictum poſtea ab illis, qui cis Rhenum in primis ſedibus remanſerant **der Trever**, id eſt ille trans flumen, ſcilicet Rhenum, quemadmodum ipſe & qui ſecum trans Rhenum ad Moſellam urbem noſtram condidere, neceſſaria quadam diſtinctione eos, qui ab hac parte vocarunt **die Ubije** intelligendo **Seithen**, ortaque inde & formata à Romanis Trevirorum & ubiorum nomini, hoc firmant Tacitus de moribus Germ. Lib. ubi ſcribit Treveros & Nervios circa affectationem Germanica originis ultro ambitioſos fuiſſe, & Authores à quibus inter Manni

 filios

Digitized by Google

filios Trevis numeratur, Regem fuiſſe hunc, quem lamina repræſentat, haſta, quam manu gerit, oſtendit, ſic enim Juſtinus ex Trojo Pompejo Lib. 43. cap. 3. ubi de Humitore & Stemulio Latinorum Regibus agit, notavit, *per ea adhuc tempora Regis haſtas pro diademate habebant, quas Græci Sceptra dixere*, ſic Homer. Illiad. Lib. 2. de Agam. hoc tunc innitens ſceptro hæc eſt verba locutus: *Ob cujus Religionis* memoriam adhuc *Deorum ſimulacris haſtæ adduntur &c.* hunc morem adhuc viguiſſe circa annum Chriſti 508. teſtantur geſta Francor. Epil. c. 17. & alibi Stimonius Lib. 3. c. 68. ubi de Clodoveo Imo Alaricum Gothorum Regem aggreſſuro & ex conſilio Rothildis Reginæ, S. Petro Apoſtolorum Principi templum vovente ſic habent, tunc Rex projecit in directum à ſe Bipennem ſuam, quod eſt Franciſca dixitque fiat Eccleſia Beatorum Apoſtolorum, dum auxiliante Domino revertimur &c. & Hopnick de Jure Inſt. Cap. I. p. 13. n. 46. ſerius adhuc inter inſignia Imperatoria ex Caroli M. inſtituto haſtam enumerat, cui poſtea ſucceſſiſſe videtur lancea, quæ tempore Conradi & Henrici primi Imperatorum inter inſignia ab Hiſtoricis recenſentur, cujus originem videtur nos docere Nauclerus Gen. 37. p. 739. ubi de Chriſtianis Antiochiæ obſeſſis his verbis, dum autem affligeretur Dei populus, reſpexit eum Dominus conſolationemque mittebat, apparuit enim cuidam Clerico P. Andreas, cui plurimum erat devotus, commonens, quatenus Principibus nunciaret, ut lanceam, qua Domini noſtri latus fuerit perforatum, in Eccleſia B. Petri repoſitam perquirerent, eumque locum certis oſtendebat indiciis, quod

cum

eum feciſſet & ipſi ad ejus ſuggeſtionem in loco effoſſa aliquantulum terra lanceam, ſicut Clerico illo oſtenſum fuerat, invenerunt; quam Ao. 1236. à Ludovico III. Galliarum Rege redemptam & in civitatem Pariſienſem delatam teſtantur Francorum Hiſtoriæ, ſceptrorum etiam, quæ adhuc hodie in uſu ſunt, apicem liliatum ab hac haſta ſive Bippenni originem ſumpſiſſe, uti & lilia in ſcuto Regum franciæ non adeo abſonum videbitur illi, qui conſiderat, quomodo pictorum ornatum & elegantiam quærentium æmulatio variare ſubinde firmas rerum ſoleat, exemplum etiam habemus in notis ad Tomi Annal. Trevir. pag. 609. in ſigillis Dagoberti & Philippi pulchri, Regum Francorum; Illa tamen forma lilii (quod communiter ita vocamus, quia Hiſtorici ſcribunt Clodovæum, poſtquam in Chriſtum credidiſſet, accepta ab Eremita quodam lilia pro inſigniis elegiſſe) quæ ibidem in paludamento Philippi Regis cernitur, jam à multis ſæculis uniformis ſervata eſt. Habeo enim numum aureum, quem opinor Philippi primi Francorum Regis eſſe, qui drachmam & quartam ejus partem pendit, atque ejusdem plane formæ lilia exhibet, cur autem hunc nummum (in cujus parte una Rex coronatus in ſolio conſpicitur, dextrâ enſem, ſiniſtra ſcutum tenens addito in margine titulo, Philippus Dei G. Francorum Rex, in altera vero parte hæc leguntur, Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat) monetam eſſe credam regnante ipſo Philippo primo ſignatam, facit amictus plane antiquus & per omnia ſimilis illi, in quo conſpicitur in alio ejusdem ponderis & formæ nummo aureo. Ludovicus Romanorum Im-

Digitized by Google

perator, hoc enim docet ejus hæc inſcriptio: Ludovicus D. G. Romanorum Imperator, & in averſa parte circa circum eadem verba, quæ in memorato Philippi nummo ſitne autem hic nummus Ludovici 1. 2. vel illius quem tertium & quartum vocant, non tam facile dixerim, thoracem certe vel potius collare ſive caputium ex filis ferreis, quo ſub ſagulo vel alio indumento Imperator indutus eſſe videtur, in uſu fuiſſe tempore Ludovici Pii Imper. oſtendit coætanei Principis Allemanniæ Ethiconis effigies exhibita à Bucellino in hiſtoria Agilolfingica. Prædictus nummus Philippicus repræſentat in ſcuto, quod Rex manu tenet, quatuor lilia integra & quatuor aliorum particulas, hicque idoneus teſtis eſt illis, qui ſcripſerunt ante Carolum ſextum, liliorum in Regio inſigni non ternarium ſed incertum numerum fuiſſe; Lamina illa, quam modo deſcripſi, miſſa eſt ab urbis Gubernatore Confeſſario Regis Patri la Chaiſe, inventa tamen & alia & ſubducta Gallorum oculis, ut poſt hæc jam ſcripta innotuit, etiam plumbea, ejusdemque cum priore menſuræ, egregii artificis manu formata, quæ Saxo cæſo incluſa & ad ſex pedes intra tertiam pontis columnam abdita repræſentabat Virum, cujus tegmen capitis & facies ictu vel attritu depreſſa impediebat, ne dignoſci poſſet barbatus imberbisne is fuerit, barbam tamen ſi habuit ea ſaltem promiſſa non fuit, ad decora per humeros ſparſa Cæſaris, tegmen capitis videbatur ſimile fuiſſe pileis antiquis, quibus adhuc utuntur, Senatores Colonienſes, Turcarum etiam aliqui, ſine pileis tamen & neſcio, qui Orientales, ut in pictura vidimus, ſcutum gerebat non adeo magnum

incisu-

inciſuris variis ad ornatum magis quam ad tutelam accommodatum, in cujus umbone emblemata non niſi ductus & flexus lineares, gladio non ut nos ad latus ſed velut pugione accinctus erat, dextera manu arcum tenebat, clamis videbatur ſquammata, per ſcutum fimbria penulæ dependebat nodulata, uti in exemplari videre eſt, diverſus eſt utriusque imaginis habitus, quia nimirum unus hominis togati & Regis, alter militis in hoc tamen conveniunt novi fuiſſe, quos repræſentant Romanos, de prima jam dictum eſt, alterum quod concernit, & hoc ſatis conſtat non fuiſſe arcus inter arma militis Romani:

Non illis ſolitum criſpare haſticia campo
Nec mos pennigeris pharetram impleviſſe ſagitis.

Inquit Silius contra Schytarum (qui ab arte ſagittaria ſic dicti creduntur, & quorum nomen teſte Plinio Hiſt. Lib. 4. c. 12. p. 59. in Sarmatos atque Germanos tranſiit) arcus & ſagittæ propria & prima arma; Altioris indaginis eſt, cui duorum & quorum Principum memoria conſervari per has laminas ſoluerit? Et mea quidem opinio eſt repræſentari in una illarum patrem Mannum, in altera filium ejus Treverem, probabile enim Patrem juviſſe filium in exſtructione pontis ſubmiſſis operis, parte etiam ſumptuum, & idcirco hunc teſtificandæ gratitudinis cauſa effigiem Patris ſui addidiſſe, dolendum quod lapis ille, cui inſerta fuit hæc altera lamina inventori è manibus in aquam deciderit, dixit enim Latinis in eo litteris ſcriptum fuiſſe TREVERIS, ſi non fevellit, ſed bene legit, confirmatur per hoc ſententia illorum, qui Tuiſconem ſive Aſcenam Authorem gentium Europæorum

pæorum avum Treveri jam tum inveniſſe litteras volunt, ſcribendæ ſcilicet ſuæ linguæ accommodatas, nec obſtat Taciti ex relatione aliorum narratio in libro de moribus Germanorum, monumenter nimirum &c. tumulos quoſdam Græcis litteris inſcriptos in confinio Germaniæ Rhetiæque extitiſſe, & quod allibi etiam ſtatuæ & immagines Græcis litteris inſcriptæ repertæ ſint, Hiſtoricique Francorum ſacrificulos Græco ſermone in ſacris uſos fuiſſe ſcribant & præſumptionem faciant litteras illas quas invenis, Græcas utpote linguæ noſtræ aptiores fuiſſe, nam ex Plin. Hiſt, Lib. 7. c. 58. p. 127. patet veteres Græcas fuiſſe easdem fere, quæ nunc ſunt Latinæ.

Reſtat ut inquiratur cur Treveris & non Trever in ſaxo quod in Moſellam decidit, ſcriptum fuerit, & in hoc credo omnes facile convenient non accipiendum hic Vocabulum Treveris pro Latino, cum ut ex prædictis patet, non Romanus ſed Celta ſtructor pontis fuerit, ratio autem cur is peregrina potius quam ſua Celtica ſcilicet lingua lapidem, quem pro lapſa laminæ eligit, inſcribi voluerit, non appareat, etſi Latina lingua uti voluiſſet Trever non Treveris ſcribi juſſiſſet, barbaries enim non ab initio ſed tractu temporis in linguas irrepſit, ex reliquis autem linguæ antiquæ, (quæ ad moderna in ſcribendo & pronuntiando non parum diſcrepavit) colligimus ut alibi dixi, majores noſtros plures vocales diphthongis vocabulorum immiſcuiſſe, in fine etiam eorundem frequenter vocalem addidiſſe, caſus quoque non ſemper per articulos, ſed mutatione ultimarum ſyllabarum diſtinxiſſe Sci v. g. Reff in nominativo

Digitized by Google

nativo erat venter in genitivo Revis. Wighe prælium in nominativo Wighis vero in genitivo, TREVERIS igitur videtur fuiſſe genitivus nominis TREVERI cumque effigies in lamina per ſe quaſi loqueretur adſcriptum tantum TREVERIS id **es des Treuers**, ita ut ſenſus Hyerogliphicus eſſet effigies TREVERI, meam autem ut depromam conjecturam, ego binas has laminas *Taliſmata* fuiſſe conjicio, quibus pro ſuperſtitioſæ antiquitatis more pontis operoſum & magnificum opificium Deo aliquo ſcilicet Marti dicarunt, ejusque tutelæ recommendarunt, tanquam Tutori & Ultori, Martis enim effigiem utraque figura aptiſſimè exprimere mihi videtur, ferocem namque mortem Galea & Thorace nitido, haſtaque & ſcuto armatum pingere ſolebat antiquitas; pro ut ſimilem fere figuram depingit Joannes Pierius *Hieroglyphicorum Lib. 42. p. 308.* ubi inquit: *Videre autem eſt plerisque locis atque etiam in nummis ſigna martis vltoris cum ſcuto & haſta, quæ nimirum belli indicia ſunt, cum omnis ejus ornatus in eo verſetur, ut arceat à ſe cladem, & hoſtibus inferat calamitatem &c.* Narrat quidem illuſtris commentator (ut opinior ex auditu) lapidem iſtum, in quo lamina inventa fuit inſcriptionem geſtaſſe τὸ TREVIRIS. Sed in Moſellam aut decidiſſe, aut incuria projectum fuiſſe, ac conſequenter accuratius examen aufugiſſe; de veritate autem facti valde ambigo, cum nulla fiat mentio, quis ille cujus characteris vel eruditionis exſtiterit, quem legiſſe perhibet, notum cæteroquin eſt, quod ad deſtructionem tam ſolidi ædificii viri fortiſſimi, laborioſis & magis ad manuarias operas quam doctri-

doctrinam exercitati applicentur; ſit, quod inſpector fuerit, procul dubio vir militaris, an autem talis ut characterem tam annoſum adeo diſtinctè & quidem raptim legere ſciverit, alterum illudque magnum mihi eſt dubium, ut proin mihi potius fabula promptè inventa, aut imaginationis luſus eſſe videatur, virum porrò iſtum inſpectorem & inventorem laminorum non æquè curioſum, circumſpectum vel eruditum fuiſſe ex eo apparet, quoniam una lamina Gallorum oculis ſubducta ab illuſtri Hujate familia, altera ad Regium Gazophylacium Pariſios transmiſſa in mirothecio Regio inter cimelia antiquitatis conſervatur; narrata hiſtoria ſi fidem haberet, dolendum ſummopere, quod ad dilucidationem & firmandam hiſtoriæ veritatem curatius examen & diligentior inquiſitio vel perſcrutatio non inſtituta fuerit eo tempore, cum magno labore nec vulgari artificio neo-inventis machinis ex fundo Moſellæ ingentis molis lapides ab Architecto Confluentino *Judas* dicto fuere extracti, ponsque noviter priſtino imo majori ſplendori illuſtri architecturâ reſtitutus & antiquis fundamentis (quæ inacceſſa Gallorum rabiem & furorem non fuere experta) impoſitus & erectus fuit

A gratIoſo CapItVLo æDIs MetropoLItanæ TreVIrensIs

hinc portæ verſus urbem ſpectanti cum præmemorato Chronico pulcherrimum inſcriptum legitur ſequens Memnoſynon:

Pons Ego Vi Belli priſca de Sede Revulſus
Reſtituor ſedi, ſede vacante Novus.

quod

quod Illuſtr. Dn. de Reiffenberg ſequenti Epigrammate expreſſit:

Ne foret in terris quidquam durabile ſemper
Quando hoc non poterat frangere tempus opus
Gallia deſtruxit, reparatur *ſede vacante*
Fiunt *Canonici*, ſic modo *Pontifices*.

Ex allatis itaque rationibus potius concludi poſſe auguror, *Laminas* iſtas *Taliſmanicas* fuiſſe, cum admodum veriſimile ſit, in qualibet pontis columna ſimilem per negligentiam & incuriam non viſam delituiſſe, noſtræ quidem conjecturæ obſtare videtur, quod in *Archidoxis Magicis lib.* 7. *p. m.* 155. notat Paracelſus: *Planetas ſeptem in nullo vires majores habere quam in ſuis metallis propriis, Solem ſcilicet in auro, Martem in ferro*, quale Martis *Sigillum* (vid. *p.* 157.) *geſtatori ſuo confert robur & victoriam in pugnis & certaminibus, ut in omnibus præliis triumphet, & minimè lædatur, ſi ſigillum idem in caſtellum vel arcem aliquam defodiatur in expugnando eo hoſtes univerſi confundentur, tantum virium Planeta iſte huic ſigillo confert; ſi autem ſigillum paretur, Marte retrogradiente, contrarium accidit, hoc ubicunque deponatur, mera ibi bella, diſſidia, odia & invidiæ, denique infauſta omnia gliſcunt.* Quod quidem quo confidentius aſſeritur, eo minus probatur; neque puto ſolam authoritatem vaniloqui Bombaſti ab Hoenheim ſufficere ad probandum antiquitus Taliſmata in proprio metallo ſemper facta vel fieri debuiſſe; Avicenna (ita allegante Chriſt. Conſtant. Sincero janitore in *Magia Naturali*) credidit, quod animo bene diſpoſito & forti omnes res Naturales obediant, iisque ab ar-

Digitized by Google

fice character imprimatur. Petr. Frid. Arpe de *Taliſmanes c. 5. p.* 142. materiam Taliſmatum ex omnibus Naturæ Regnis peti ſuſtinet, nam fabri in illorum *ſtructura ſufficienter indicarunt, quam parum certi de materia conſtet, dum hominum curioſitas quodlibet in his ſibi fingens, quælibet aptat quadrata rotundis* &c. Itaque Laminis his prærogativa Taliſmanica etiam adſcribi jure poterit; num verò ejusmodi artificiatis virtus talis (qualem illis affinxerunt aſtrologi & veteres magi) attribui cum ratione queat, de eo vobiſcum dubius imò totus incredulus hæreo; Patrocinari quidem veteri opioni legitur divus Thomaſ. *tom.* 17. *opuſc.* 28. *de fato. artic. IV. p.* 206. ubi aſſerit: *Sicut enim radiatio periodi diſpoſitionem ordinis eſſe, & durationis imprimit rebus Naturalibus, ita etiam imprimit* NB. *artificiatis, propter quod figuræ* NB. *imaginum magicarum ad aſpectum ſtellarum imprimuntur & fieri percipiuntur.*

Cui ſententiæ quoque ſubſcribit Cornelius Agrippa ab Nettesheim, hancque pro aris & focis ſuſtinet, operosè explicat, docet & defendit *lib.* 2. *de occulta Philoſophia c.* 35. *p.m.* 207. *Tanta eſt,* inquit, *cæleſtium magnitudo, virtus & poteſtas, quod non ſolum res naturales, verum etiam* NB. *artificiales, quando ſuperis ritè ſunt expoſitæ ſubito patiuntur ab agente potentiſſimo, vitaque mirabili, quæ ipſis virtutem cæleſtem ſæpe mirificam largitur* &c. nec huic operi ſuam fidem negat J. S. Becherus tractat. **die weiſe Narrheit** §. 45. p. 173. ſcribens: *Nolo tamen rejicere occultam vim aliquorum characterum, verborum & Taliſmatum.* Quibus fuſius inhæret author Trini Magici, qua propter

propter non protinus ad orcum damnanda ſunt, inſulſeque deridenda, quæ à ſenſibus ſunt remotiora, & cauſas habent abſtruſas, *gemmarum miracula quis non obſtupeſcit? plurimas certè iis ineſſe facultates negari non poteſt, nec debet præſertim ſi ſub certis* NB. *conſtellationibus ſculptæ, imaginibusque & ſignaturis impreſſæ fuerint & ſignatæ, nam in certis experimentis non fallacibus eſt operationem aliquam eſſe & virtutem annulorum confectorum ex auro, argento, aurichalco, aut quovis metallo, ſtellæ, cujus quis ſibi virtutem conciliare cupit dedicato, defixo in annuli cavitatem, cum ſubjecta Herba ſtellæ huic ſympathica, his animum exhilarari, morbos profligari graves authores tradunt, Trallianus, Gordonius, Meſuk & alii* &c. Ita docente Profeſſore Marpurgenſi Rod. Goclenio *de magnetica curat. vulner. p.* 59. 61. & 64. Cæterum quoque legi meretur Joan. Chriſt. Frommann *tract. de faſcinat. lib.* 1. *part.* 2. *ſect.* 2. *c.* 20. *p.* 280. fusè ſimiliter circa hanc materiam occupatur Marſilius Ficinus *lib.* 3. *de vita cælitus comparandâ* de quo acre eſt judicium Martini Delrii in *diſquiſit. mag. lib.*6. *c.*2. *ſ.* 1. *q.* 1. *p.* 115. imaginum illam fabricationem planetariam, quam ex Plotino & Arabibus periculoſe tradidit Marſil. Ficinus *de vit. cælit. comp.* quo libro non videtur veneni exhibiti ſatis idoneam antidotum addere, facit enim perinde ac inſcius & ineptus convivator, qui convivis apponeret cibos multos ſalutares, multas autem veneno imbutos & duntaxat diceres veſcimini ſalutaribus, relinquite noxias, nec indicaret, qui in tam multis tam variè conditis ut dignoſci vix queant, ſint illi noxii, a quibus abſtinendum cenſeat, ludere hoc convivas

eſſet

eſſet & lædere. Sapientes convivæ tunc foret incænatum abire potius, quam tam apertum vitæ diſcrimen ſubire, idem ego cenſeo de libro illo, præſtare nihil ejus, quo ad imagines illas credere, quam cum periculo aliquid in animum admittere. Hæc *Delrius* idem judicium ad alios ineptos iſtiusmodi ſcriptores amuletorumque defenſores, Doctoresque transferre licet, plus enim damni & ſuperſtitionis quam eruditionis & pietatis ex ſectione talium authorum in rempublicam Litterariam redundat; damnavit eos jam dudum Epiſcopus Hipponenſis *ſerm.* 215. *de tempore de catechizant. rud. c.* 25. *lib.* 10. *de civit. Dei c.* 11. Imò in Eccleſia non ſolum damnata amuletorum ars eſt, verum etiam Cæſarum Legibus interdicta &c. Confer. *Julii Reichelti exercitat. de amuletis p.* 28. vanitatem hujus artis, effectuumque nullitatem plerique ſapientiores Medici & Phyſici agnoſcunt & deteſtantur; inter alios Osw. Grembs in *arbor. integr. & ruinoſ. homin. lib.* 1. *c.* 7. §. 3. *n.* 48. *p.* 40. ita eruditè diſſerit: *In Lapidibus pretioſis figuræ & ſigilla inſculpi ſolent certis horis & temporibus, quæ ſi fiant à mago à phantaſia ſua exaltato vim aliquam cauſæ habere dicuntur, ars iſta Taliſmanica vocabatur, modo improbata, eo quod figuræ vim cauſæ habere non poſſint, nec radicalem cauſam, antiqui putabant per hujusmodi ſigilla mærorem & triſtitiam repelli, & animoſitatem induci, ſed poſſunt ex erroneo phantaſiæ conceptu confidentiam inducere, cauſam autem ordinariam non continent.* His ſubſcribit P. J. Sachs à Löwenheimb in *Gammarolog. lib.* 2. *c.* 9. *p.* 886. & ſi accuratius penſitemus cum Hochſtettero *tom.* 1. *decad.* 3. *c.* 2. *p.* 218. multa

certè

Digitized by Google

certè anilia videbimus, ad quæ, qui non ridet, ſplene careat oportet. Confer. Jacob. Wolffii *Curioſus amuletor. ſcrutator.* Hieronimus Cardanus Maximus ſui temporis Phyſicus, Medicus & Aſtrologus Mediolanenſis *lib.* 16. *C.*89. *de Sigillis p.* 1047. diſcurſum ſuum ſequentibus inchoat: *Utrum ſigilla vim aliquam habeant, jure merito dubitatum eſt. Nam figura ad primas qualitates non attinet, nec inter agentia numerari meretur, cumque in re mortua fiat, non videtur aliquid poſſe .... qui igitur ſigillis ob figuram fidem adhibent, ſuperſtitione utantur, Cum enim ſub ſiderum conſtitutionibus fabricatus eſt annulus, quidquid inſculpſeris æqualem retinebit facultatem; ſimiliter ſi aliud exiſtimaveris poſſe, quam quod naturali virtute evenit, deciperis.* Attamen ut Aſtrologus ſibi temperare nequivit, quin ſyderum influxui ingentem adſcripſerit potentiam, hinc *lib. cit. p.* 1058. ita concludit: *At verò ſi rite omnia peragantur, non vilis eſt utilitas aut vana ſigillorum. Adeo magnam vim habent in nobis, ut maximos cruciatus nos ſentire non ſinant; quibusdam divitias, aliis honores magnos pariunt, etiam in ipſorum conſtructione, velut aliis omnibus non parum variante fortuna* &c. Verum ut verbis utar Antonii le Grand *inſtitut. philoſ. part.* 5. §. 25. *p.* 406. hujus jactatæ ſcientiæ vanitas facile detegitur, ſi attendatur Aſtrologos gratis & absque fundamento de ſuæ cogitationis certitudine gloriari, cum nulla habeant principia, quibus edoceantur, ſidera tali virtute, quam illis aſſignant, pollere, & eorum prædictiones non tam præmiſſorum eſſe deductiones, quam delirantium errores & otioſorum hominum ſomnia; hinc quoque notas magicas

à cu-

Digitized by Google

à curioſæ artis fautoribus propagatas & fictas conſultius ignoramus, quam damno ſalutis diſcimus, quia occultis notis plerumque pactum cum malo ſpiritu initum produnt, ſcientiam doloſo cinere occultantes, nolumus tanto periculo artes abſconditas mercari, videntur quidem innoxiæ notæ, ſed ſecum tacito conſenſu dæmones vehunt; prô quanta ſcandala & damna Reipublicæ Chriſtianæ cauſant abſurda & abominabilia ſcripta, librique magici lucem à flammis merentes à maribus *incaute juventutis* aut ignorantis plebeculæ paſſim vagantes, in quibus iſtiusmodi aut fallaces, aut doloſæ aut diabolicæ & ſuperſtitioſæ artes cum certis pollicitationibus edocentur ut quis per talia periapta ſub certis conſtellationibus cum certis crebro ridiculis aliquoties terrificis ceremoniis, certis figuris vel characteribus inſignita, fuſa vel cuſa ſe corpus ſuum felix, tutum & impenetrabile reddi poſſe perſuadeatur, elegantem non minus quam eruditam diſſertationem de hujus vanitate ſanioris philoſophiæ principiis innixam non ita pridem ſcripſit & edidit Perilluſtris & Excell. Dominus Franciſcus Comes Roncalli Parolinus Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Prior, & Academiæ Bononienſis Socius &c. Fautor noſter Æſtumatiſſimus, cujus verba *Diſſertat. de homini invulnerabili p.* 41. (cum Italorum labores & ſcripta rarius aut ſaltim ſerius ad nos transferri ſoleant) ſi fuſius inſeram & exſcribam, veniam me mereri opinor; ſunt verò ſequentis tenoris: Præcipua ars onomantia dicta, tutandi corpora à projectis plumbatis conſiſtere, aliquibus videtur in poſſidendis arcanis, & occultè geſtandis characteribus, in quorum apparatu licet

nervoſè

nervoſè inſudaverint Arnoldus de villa nova, Paracelſus & lupparis farinæ viri; nihilo tamen minus paucos ſequaces habuere. Arduum enim eſt intelligere, quomodo vis illa ipſis indita aut ſuperaddita ſit. Quandoquidem certum eſt, in ſolo metallo non reperiri, quod nec ipſi ſectarii aſſerunt: ergo à verbis, inſculptis ſignis, & hieroglyphicis deſumenda. Verum enim vero ecquis illa fecit? quis fuit inventor? anne dubitor in orbe demens, & fatuus, qui credat, draconem Jaſpidi inſculptum ventriculum roborare, Smaragdum collo appenſum ab Epilepſia præſervare ſecundum Ariſtotelem *in libro de lapidibus*, & auream lamellam, in qua impreſſus ſit Homeri verſus (vid. Dan. Sennert. *Prax. Lib.* 5. *Part.* 4. *p.* 136.) luna in libra, vel leone conſiſtente podagram curare? Hæc omnia corrupti olim ſæculi philoſophandi deliria, à verſutis & ſanioris doctrinæ cultoribus jam in exilium miſſa ſunt, quale enim quæſo habet commercium in cælo *Mars cum homine armato?* quid *Saturnus cum ſene Ligonem gerente?* omnia hæc ad libitum & ex arbitrio hominum, olim falſas religionem ſectas inſtituentium, efficta ſunt. Ut enim inquit ipſe Paracelſus: *Libros omnes complerunt commentis ex ſuo cerebro natis, veritate ac fundamento omni carentibus.* Et fortaſſe in illis excogitandis novatorum ars, ut ſigillorum vires increbeſcerent, ſtuduerunt, ut licitam à ſtellis, & aſtrali ſpiritu influentiam, & ſymbolum ad excitandum odium, ad conciliandum amorem, ad tutandum corpus, ſuaderent, atque ex ſomniata & ideali illa ſimilitudine & potentia mirabiles hos effectus promittebant. Adſit, ut ſuadent,

dent, peculiaris metalli natura, & proportio, *terraque cælo* per divinorum interpretem, & cultorem *maritata ſit*; præmittantur contemplationes, ſacrificia (*quorum ſexcenta ſex ſolos apud Ægyptios numerabantur*) devotiones, vota, litamina, immolationes, jusjurandum, hoſtiæ, cæteræque omnes ſeductæ gentilitatis ſuperſtitiones executioni mandentur; concurrant ſigna, nomina, verba, aut ex Hebræorum characteribus, aut ſecundum Arabes, ex litterarum colligantia, aut denique ex revelatione, quæ, per omne latus & directiones lecta admirabile exprimant effatum: nec deſint cingula, annuli Platonis, Homeri catena, fumigia, ſpecula, ipſaque Salomonis ſigilla: conſentiant annorum, dierum, & horarum tempora: ſolis radii, lunæ obſcurationes, aut tonitrua obſtrepant; quid quæſo, omnia in duriſſimo inanimi ſignaculo producere poterunt? ſicque producerent, quis illa ſcire poſſet, adeo, ut loco invulnerabile reddendo objectum, potius activitatem & energiam penetrandi in globulo protinus vivificarent? Quis, admiſſis quibuscumque mediis, & cognitionibus, nempe proprietatis ſtellarum, figuræ cæli, aut per excultam matheſim (quæ jam reperit figuras euntes, volantes, loquentes, adeo ut ipſa metalla mugire, & ænei angues inſibilare coacti ſint) chiromantiam phyſionomiam, auſtromantiam, cæterosque aſtronomicæ & phyſicæ doctrinæ partes, poterit tollere pondus, & duritiem plumbo, impetum projectis, aut mollitiem carnibus? Quis adhuc his majora perpetrabit, pro ſciendi ſcilicet modum pro deſtruenda mechanices lege, ſed in illa tantum hora, illo momento, in illo objecto,

Digitized by Google

objecto; in illo loco (diverſus quippe locus, diverſam indicares ſtellarum vim, ſi veræ eſt Orphei & reliquorum Aſtrologorum fabulæ, Saturnum ſcilicet præeſſe locis fætidis, Jovem locis nitidis; mundisque, ſolem palatiis, plateis &c.) ſi vis characterum in ſigillis à ſtellis pendet, ſique ipſæ peculiaribus motibus & viciſſitudinibus obnoxiæ ſunt (admiſſa influentia, & etiam vi) negari tamen non poſſet, poſſe contingere, ut magno illo exploſionis momento, reſpondens ſydus, mutato aſpectu humanum corium non poſſet obdurare; ideoque hac hypotheſi potius & fata, & ſydera nominanda ſint, quando per accidens aliquem illæſum ab ictibus videmus, quam quando ipſum tueri ſigillis volumus. Addamus inſuper, & aggreſſori ſclopo armato non deeſſe irradiationem ſuorum ſyderum, & majorum, & prope luminare majus fortaſſe conſitorum, quæ ſi illo momento dominabuntur, optata forſan tutatio corruet. Sed majora adhuc à nobis dicenda, aut ſomnianda ſunt. Non enim quid ſydera valeant, aut poſſint diſſerendum; ſed quomodo ſigilla, & characteres poſſint ſyderibus imperare: minimè ab illis influxum recipere, ſed illis vim facere, & quocunque charactere inſignitus vadat, illum ſydus ſuum ſequatur, defendat ancilletur, & contra potentiam omnium reliquorum Planetarum amicum objectum tueatur, eique patrocinetur. Quid, quæſo, reſponderet impenetrabilis ille cum metallico ſignaculo, & annuente ſtellula ſua, ſi non ſuper leonem, ſed ſuper equum adveniens aggreſſor, cum ſuo ſclopeto, coopertum, & collo appenſum geſtaret ſigillum Martis ex tenaciſſimo Carinthio ferro,

ut ,ajunt, cuſum, aut in adamantino lapide impreſſum, cum quadrangulo, & multiplicatis numeris, additaque ipſius Planetæ coronata imagine, *ſiniſtra manu caput hominis geſtante*, factumque eſſet, quando luna [multa ab ea manant (vid. *Cicero lib. 2. de Natura Deorum*) & majora illius beneficia ob ſuam propinquitatem perfici credunt Aſtrologi] ſenſibiliores motus communicans; gradum aut punctum, vel ſecundam faucin arietis vel ſagittarii intrat, & Planeta probum modum, & ſtatum habens in aſpectu eſt denominanti. Quis hæc omnia ſibi contingere ſuadens, vaticinaretur quid eſſet futurum? nutu ne circumforanei, & ſignaculi venditoris, in altam ibitur Regionem; & cœlo coævæ, ſyderum leges inverti potuerunt? prô ſomnia, prô cæcas mentes? interim nullum commentum reperitur, quod ut Iſocrates ait, non inveniat aliquod Patrocinium; ſic ipſi vidimus & audivimus ante aliquot annos faſtuosè in publico foro ad lavim usque exclamantem multo ſplendidè veſtito ſatellite ſtipatum hiſtrionem; ex ſeptem ut ajebat metallis conflatum, ſub certa conſtellatione fuſum ſeptem quoque Planetarum ſignis aliquibusque characteribus inſignitum numiſma tanquam ſummam adverſus omnes ferè morbos prophylacticum ſi de collo geſtetur, recommendaſſe, deprædicaſſe, imò majoribus encomiis & certiore effectu, quam ineptiſſimus Crollius Zeneſton Paracelſi in ſua *Baſilica chymica p. 237.* extollit, beaſſe; effecit quoque impudentiſſimus & mendaciſſimus circulator effronte & temerariâ ſuâ loquacitate (nihil enim teſte Cicerone tam incredibile eſt, quod non dicendo probabile fiat) ut non duntaxat inſipientem

aut

aut ignorantem infimam plebem ſibi devicerit, ſed inſuper vidimus plurimos, qui emunctioris naſi ſupra alios ſapere velle videbantur ſe ad emptionem hujus prodigioſi Thaleri largiter profuſo ære truſiſſe opemque extraordinarii hujus Machaonis ſive potius peſſimi deceptoris imploraſſe, ac cum magna confidentia hoc amuletum de collo ſuſpenſum diu noctuque geſtaſſe, crebrius neſcio an riſu an commiſeratione dignos geſtatores hos demiratus fui, ſemperque incidit Hiſtoria, quam narrat Camerarius *horar. ſubciſivar. Centur.* 3. *c.* 84. *p.* 320. de Sylla, qui cum in periculoſiſſima pugna cum Archelao in Bœotia periculum præſens ob oculos videret, Apollinis imagunculam de collo dependentem cum tali exclamatione exoſculatus eſt: *O Apollo ne me deſeras, quia ſi me deſerueris abjiciam te, & nullo honore poſt hac te afficiam* &c. Reminiſcor non ſine riſu, me plures noviſſe & vidiſſe de collo ſuſpenſa & in loculis ſecretis abſcondita hæcce amuleta numiſmatica cum magna quidem confidentia ſed nullo prorſus effectu circumtuliſſe, tandem exſpectationis longioris & fruſtraneæ pertæſoſos indignabundè abjeciſſe, & pro ultimo honore & uſu damnaſſe ad talorum luſum. Ita leviter & inconſideratè citra rationis fundamentum multo quidem promptiſſimè ſuſcipiuntur, ac ſub ſpe ingentis effectus præprimis ſi inaudita & prodigioſa facile ab ineruditis adhibentur, aſt ſi tales ſe doloſos & nummis imo frequenter ſanitate emunctos & privatos eſſe ſerius & dolenter experiuntur, ea facilitate qua aſſumpſerunt, cum dedecore, pudore ac indignatione iterum abjiciunt.

Quod Proceres, vanique tulit, quod opinio vulgi.

 Sed

Sed, quid Noctuas Athenos ? cum jam dudum Diſſertationis Epiſtolicæ limites transgreſſus ſim, abrumpo

- - Ne vos Longis ambagibus ultra
Quam ſatis eſt morer.

Veſtrum tamen judicium de Laminis his mihi Taliſmanicis dictis videre & legere anhelo, cæterum valete Viri Clariſſimi & maximè venerandi, Deus Vos Spiritu gubernet, virtute fulciat, præſidio ſuo tueatur, & Reipublicæ ſervet incolumes; ego ero totus Veſter

Dum tarda mihi per membra ſenectus
Serpet & in nobis mors vitæ Clauſtra reſolvet.

Dabam Confluentiæ Prid. Cal. Dec. MDCCXLIX.

Epiſtola

Digitized by Google

Epiſtola XIV.

Per quam adducitur Diſſertatio de Urnis Sepulchralibus Coberinis & nonnulla curioſa adducuntur & inſeruntur.

Wickinghovium & Vredenam.

PYLADI & ORESTI,
Magnis Rei Litterariæ Statoribus,
Reverendiſſimo & Ampliſſimo Viro ac Domino,
D. JODOCO HERMANNO NUNNINGHIO,
J. U. D.
Sereniſſimi Principis Monaſterienſis Conſiliario Eccleſiaſtico, Canonico & Scholaſtico Vredenſis &c. &c.
Amico & Fautori Æſtumatiſſimo,
Ut &
Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro ac Domino,
D. JOANNI HENRICO COHAUSEN,
Phil. & Med. Doctori, Archiatro Vredenſi,
Patruo ſuo ætatem Venerando
S. P. D.
SALENTINUS ERNESTUS EUGENIUS COHAUSEN,
Proto-Phyſicus Treverico-Confluentinus.

TAmetſi ad nuperas meas, in quibus de Taliſmate Treverico paulò fuſius diſſerui, ejuſdemque curatius examen exaſciato veſtro judicio & ſcrutinio ſubjeci, nullum adhuc reſponſum ob aliorum procul dubio eorumque non levium negotiorum remoram receperim, continuata tamen litterarum veſtrarum Amœbæarum & doctiſſimarum lectio, examen, ruminatio & frequens relectio me tacitè impulit & quaſi coëgit, ut ulteriorem cor-

Digitized by Google

reſpondentiæ ac examinis hiſtorico-litterarii materiam ſubminiſtrarem; anxius quidem & dubius per multum tempus hæſi, num Diſſertatiunculam *de urnis Sepulchralibus in Cobren ad Ripam Moſellæ Repertis* publici juris, facere, an inter alia Blattis tineisque erodenda relinquere debeam, conſideravi ſæpius & prævidi, ſcriptum hoc ſi ex oblivione in lucem producturus ſim, me à plurimis Naſutulis forte doctis forte indoctis increpatum iri; exclamabunt enim: quod Medico cum Antiquorum urnis Sepulchralibus? cum enim corpus humanum (ad quod vivum & ſanum conſervandum, aut ægrotans reſtituendum tota, Medici intentio & artis potentia dirigi debet) tum per ignem, tum per temporis antiquitatem in meros cineres reſolutum eſt, deſinat eſſe objectum Medici operoſa vel ulteriore inquiſitione dignum, quid enim Medico cum cineribus? quid illi cum ſuperſtitioſæ antiquitatis ceræmoniis? quid ad hunc? num urnæ illæ ſepulchrales ſint Romanorum, num Hunnorum, num alterius populi reliquiæ; ex iis prorſus nihil eruet, quod illum in praxi Clinica erudiet vel felicem faciet; adeo præterea vaſtum, adeo longum & diffuſum ipſo id jam notante Hippocrate *lib.* I. *ſ.* I. eſt Studium Medicum, *Ars longa, Vita brevis experimentum periculoſum* &c. tanta ſacræ artis difficultas, ut non duntaxat integrum hominem, ſed ſimul aſſiduum ſtudium, continuam lectionem, & indefeſſum exercitium cum judicio multosque annos exigat, antequam exhauriri aut potius illud addiſci poteſt quod requiritur ad eſſe *verum Medicum*; atque hinc ſi Medicus Clinicus ad excuſſionem vel ſcrutinium rerum alienarum

narum ad forum Medicum præciſè non ſpectantium deferatur, verendum ne tali ſæpius aggeri queat illud Philoſophi: *Neceſſaria ignoramus, quia non neceſſaria diſcimus*, illud quidem certo modo veriſſimum eſſe nemo prudens facile inficiabitur, tanta enim artis Medicæ eſt vaſtitas, tanta difficultas, tanta obſcuritas (ut etiam ob hanc multi eam ſolum conjecturalem eſſe frivolè prætendant) tanta ſcientiarum ad eam excolendam multitudo, diverſitas ac neceſſitas, ut multoties mirari ſubeat, quomodo tot difficultates ſuperando unus homo par ſit, aut quod magis mirandum ut Viri ex Academiis adhuc calentes ſtatim ad arduam praxin ſe accingant, & non niſi audita Theoria experimenta periculoſa inſtituere audeant; cum crebrius à limine duntaxat attigerunt, quod non niſi multo uſu & exercitio (quoniam plurima nec ſcribi, nec dici poſſunt) addiſcere oportet; fateri cogor, quod his ſolum & ſedulò inſudans vel etiam ſenex habeas, reperiatque quod continuo, agat, excutiat, meditetur, expoliat, applicet, quin adhuc indies utcunque annis gravis addiſcat, & ad ſuam ſæpius tacitè erubeſcat ſibi cognitam ignorantiam; Hæc præcognita me quidem abſterrere debuiſſent, quo minus *Diſſertatiunculam de urnis Sepulchralibus Coberinis* vobis Viri Clariſſimi offerrem, tanto magis cum ea ſit officii mei conditio, eaque concatenati laboris Medico-practici ſeries, ut vix tempus ſuperſit pro excutiendis, examinandis, trutinandis & dirigendis iis, quæ caſus offert quotidianus; verum cum arcus ſemper intenſus frangi aut ſaltim labefactori, varietaſque delectare ſoleat, *eſt enim ut corporis ita & animi quædam in epulis quaſi*

 luxuria,

luxuria, eadem cantilena, idemque melos ſemper recantatum auribus moleſtum, idem cibus vel ipſo fortiſſimo ſtomacho nauſeam, horrorem, quin vomitum excitat, quemadmodum autem cupedia famem emortuam reſuſcitant orexinque novam producunt, ita ſtudiorum lectionesque diverſitas meritò litteratorum dicenda ſunt bellaria, quibus animus ſcientiæ cupidus à ſeriis laſſus & exhauſtus refocillatur, recreatur, & per dulce otium quaſi reviviſcit; Exemplo mihi ſunt plurimi viri doctiſſimi, qui iſtiusmodi curioſa parerga ſedulo pertractàrunt, inſatiabilis enim ſciendi & addiſcendi orexis curioſum animum in limitatis cancellis non permittit conſtringi & detineri, ut non ſubinde ad alia divagetur, quibus ſe exhilaret & refocillet; veſtrum exemplum vidiſſe mihi ſufficit, ac hujus Tentaminis ſtimulum addit, quis enim inter eruditos Philologos non legit, vel demiratus eſt, ſpecialem ſcientiam, magnam antiquitatis notitiam, ſingularem dexteritatem, & laborioſum ſcrutinium, quo uſi eſtis, cum Reverendiſſima Dignitas Tua conſcripſit & Anno 1714. edidit *Sepulcretum Weſtphalico-Mimigardico-Gentile* &c. cui Oreſtes veſter adjunxit: *Oſſilegium Hiſtorico-Phyſicum* &c. utrumque opus ut doctiſſimum ita rariſſimum, cum curioſi Lectores taliter exemplaria coëmerint, ut nulla amplius in Bibliopolorum proſtent Tabernis, opus inquam hoc (quod ſera ſemper deprædicabit poſteritas, & vos inter eruditos immortales reddet) calcar dedit, ut cum vos in urnorum antiquorum & cinerum ſcrutinio adeo ſolertes ac oculatos eſſe animadverterem, ſimiliter Vobis & Hujates offerrem cineres, oſſa, urnas & ornamenta, ut ex iis cognoſca-

cognoſcatis, aut conjecturetis easdem olim forte fuiſſe hujus patriæ mores, ſimilesque inquilinos, quales olim fortaſſis nutrivit Weſtphalia, Diſſertatio autem, quam vobis his accludo, veſtræque eruditæ cenſuræ ſubmitto, ex alieno horreo congeſta & prolata eſt; ſcripſit eam Cl. D. Joannes Craffto Hiegel M. D. Reverendiſſimi & Eminentiſſimi Archi-Epiſcopi ac Electoris Trevirenſis &c. Joannis Hugonis per plures annos Archiater, & poſt ejus mortem Hujas Auliater &c. Vir hic curioſiſſimus antiquitatis Lipſana multo pretio, magno labore, & longo tempore conquiſivit, unde quoque non vulgare mirothecium & numophylacium ſenſim collegit, ætatem nactus decrepitam ex ſenili maraſmo improles obiit, & omnia ſua bona múlto ſudore & ſollicitudine acquiſita pauperibus Confluentinis per teſtamentum legavit, uude evenit ut tanto ſtudio, tanto labore, tanta diligentia, tot ſumptibus & curis operosè collecta ob publicam fruſtratim ſactam distractionem per urbem & orbem diſperſa ſint, quæ triſtis rerum mundanarum viciſſitudo eſt, & lugubris ſequela, ut quod unus ſtudiosè & anxiè congregat ſæpius indignus vel ignorans hæres (niſi egregiè præcaveatur; ſed vanæ plerumque ſunt omnes clauſulæ, ſteriles cautelæ?) prodigè diſſipiat & deſtruit; hac occaſione derelicta mille Voluminum Bibliotheca non disjunctive ſed ſimul distracta ad me utpote plus licitantem feliciter pervenit (ô utinam curioſiſſima & rara ejusdem collectanea Manuſcripta aliquot corbes implentia, litteras, Conſilia Medica, cæteraque in chartam furtivè notata eodem jure obtinere licuiſſet, quæ improvidus commiſſarius ex mihi ignota cauſa

citra rationem; vah probrum? prô dolor? frivolè Vulcano tradidit) in qua præmemoratum Manuſcriptum lætus inveni, has itaque Antiquitatis patriæ reliquias, quæ per plura ſæcula intra terræ viſcera delituerunt, ſed ab umbrarum tandem & oblivionis injuria poſtliminio quaſi vindicatas magis in diem ac ſolem exponere volui, in quibus quædam fortè non ingrata nec inutilia ad patriæ noſtræ monumenta ſpectantia reperientur, Hiſtoriæ hujus ingreſſum à Leſſo incipi & fere continuari obſervabitis, cum obitum Clementiſſimi Domini ſui toti Europæ fere lacrymabilem calidiſſimis lacrymis deplorat, ac lugubri ſtilo inter anxios ſingultus dedeſcribere amoremque ſuum nunquam intermortuum (vix enim eum quiſpiam de glorioſè defuncto Domino ſuo abſque concomitantibus lacrymis loquentem vidit) affectumque non fucatum ſed ſinceriimum publicè conteſtari, ac æternitati transſcribere adnititur, ſi quis unquam in Dominum ſuum devotus & poſt fata usque ad cineres fidelis fuit ſervus, certè erat Hiegelius, quidquid enim ex ore illius profluebat Hiſtoricum, præferebat Joannis Hugonis, æternitate dignam memoriam, quæ quoque ſemper erit in benedictione; nam nunquam magis delectabatur, quam ſi de Glorioſo Principe juſtum & debitum fieret præconium, quale Epicedium in forma Epithaphii à me utcunque ruditer & vix digno ſtilo conceptum ipſique oblatum ſæpius relegit, ac inter cimelia conſervandum depoſuit, quod pro curioſitate veſtra his ſubjunctum ita ſonat:

Sta

Sta Viator
Lacrymans contemplare lugubri cupreſſo cinctum marmor
Sub quo
Requieſcunt Cineres & Oſſa
Reverendiſſimi & Eminentiſſimi Domini
D. JOANNIS HUGONIS,
Archiepiſcopi, Principis, & Electoris Trevirenſis,
Epiſcopi Spirenſis, Adminiſtratoris Promienſis perpetui &c. &c.
Qui
Ex antiquiſſima, generoſiſſima Togâ Sagoque Clariſſima ORSBECKIANA Familia
Anno Milleſimo Sexcenteſimo Triceſimo quarto Id. Januarii Natus
Poſt emenſos omnes Virtutum & varios Dignitatum gradus
Unanimi Capituli Metropolitani Treverici
Et Cathedralis Spirenſis Suffragio & Voto
In Coadjutorem Trevericum 7. Jan. 1672.
In Epiſcopum Spirenſem 16. Julii 1675.
Electus & renuntiatus extitit
Verus Patriæ Pater
Subditorum amor
Exterorum gaudium
Principum decus
Regnantium prototypon
Fidei ac integritatis exemplum
Semper pius, juſtus, fidelis & pacificus
In Subditos, Cæſarem, Imperium & erga extraneos
In quo conſtanter præeminuit
Miſericordia & benignitas
Qua levavit miſeros, & qua beavit quam plurimos.
Mitras

Mitras duplices pluribus dignus
Semper fulcivit virtute, pietate & religione
Laboribus, ſenio & viribus fractus
Deceſſit in Ehrenbreitſteiniano Pallatio
VIII. Id. Jan. MDCCXI.
Et qui vivos cunctos lætari fecit
Omnibus moriens lacrymas expreſſit uberrimas
Funus adverſo Moſella Treviros translatam
Cunctis ſubditis fuit dolori
Et lacrymabilem expreſſit Comitatum
In Templo Metroppolitano ad SS. trium Regum altare
Quod ipſe fabricari juſſerat
Magnificè ut decuit curatum fuit.
Singulis, qui aderant ob tanti Archiepiſcopi
Præmaturam mortem collachrymantibus;
Abiens Viator
Bene precare piiſſimis manibus
Et meditare.
Quod totum genus hominum lacrymabile, triſte, caducum
Et vivens miſerum poſt obitum cinis ſit
Omnisque in Cineres ſplendor abeat &c.

Sed ut revertor unde digreſſus ſum, tantus erat viri hujus erga Manes Principis ſui affectus, tantusque Reſpectus, ut omnem ædium ſuarum angulum aut picta effigies, aut æri inciſa imago aut aliud ejusdem Memnoſynon ornaret, ſibi mortuo nullum aliud Epithaphium poni, aut Elogium marmori incidi volebat, quam: *Hic requieſcit J. C. H. M. Dr. Maximi Principis & Electoris Trevirenſis Joannis Hugonis Archiater*; ſatis enim honoris, ſatis gloriæ, ſatis laudis eſſe ajebat, poſteritati innoteſcere,

noteſcere, quod tanto Principi fuerit à ſervitiis Medicis, quod huic ſoli placuerit &c. hunc igitur cordi ſuo impreſſum ſincerrimum affectum in aulæ Proceribus cæteroquin rariſſium, & profundam venerationem etiam publicam facere volens, leſſum hunc triſtem compoſuiſſe videtur, conjunctimque veneranda veteris ævi monumenta cæteroquin pulvere obſita, ſitu exeſa, injuria & longævitate temporum ferè deſtructa ac oblivioni tradita, ignoratione & neglecta deſerta ex imo eruere, & ne prorſus ad ignobilem devolverentur oblivionem ſcripto hoc laconicè exornare & palam facere tentavit, cum jam tum philyram unam typis Mulzianis Francofurti ad Mœnum 1722. impreſſam ſub Rubrica ſequenti viderim: URNÆ Sepulchrales *ex Vinetis Coberinis Pagi ad Moſellam inferioris Archidiæceſis Trevirenſis, aliaque priſcæ ætatis, majorumque gentium ibidem eruta* mortualitatis exempla *triſti calamo deſcripta* per Joannem Craffto Hiegel, Medicinæ Doctorem, Auliatrum Trevirenſem; annectitur Hiſtoria memorabilis *de* 588. *Nummis aureis Romanæ antiquitatis, prope Weſaliam ſuperiorem, fortuitò ſimul detectis* &c. quodnam autem intervenit impedimentum, aut quæ mutati conſilii ratio acciderit, ut non integrè tum temporis imprimi curaverit, non conſtat, cujus brevem Hiſtoriæ ſeriem non opportunius & aptius tranſcribere poſſe autumavi, quam ſi vobis viri Clariſſimi offerrem, & quæ de urnis iſtis aliisque dicenda & addenda forte reſtant, ea veſtris curis & inquiſitione præripere nolo, gratumque mihi & omnibus antiquitatis amatoribus ſemper erit, ſi critirio veſtro & ulteriore excuſſione dignum judice-

judicetis, ſunt mihi adhuc nonnullæ urnæ cum oſſibus & cineribus aliisque antiquitatis reliquiis intra muros Confluentinos ante paucos annos, cum fundamenta ad exſtruendas novas ædes bey der alten Löhr-Pforten in platea quam inhabito effoderentur, repertæ, affabrè factæ, ſed à cupidis prædæque inhiantibus foſſoribus (nam Theſauros abſconditos eſſe ſperabant & opinabantur) ex parte diffractæ, quarum deſcriptionem & Ectypon (ſi gratum reſcivero) alia occaſione communicabo; interim animum meum debiti reſpectus teſtem, referendæ gratiæ & mutuæ amicitiæ excolendæ percupidum non æſtimatione levis hujus muneris, ſed propenſa tribuentis voluntate metiri dignemini, atque affectus ſincerrimi, & infucati amoris ac profundæ venerationis pignus ſuſcipite ab eo, quem nulla unquam vis avellet, nulla ætas immutabit, *dum memor ipſe mei, dum Spiritus hos reget artus*; Valete, favete, vos venerantem & amantem redamare pergite. Ex muſæo Confluentino ipſis Calendis Jan. MDCCL.

Benevole Lector,

Lachrymas peto!

REverendiſſimus & Sereniſſimus Domins, Dominus CAROLUS JOSEPHUS, Archi-Epiſcopus Trevirenſis, S. R. I. per Galliam & Regnum Arelatenſe Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Epiſcopus Osnabrugenſis, Adminiſtrator Prumienſis, Dux Lotharingiæ & Baar, Magnus Caſtellæ & Legionis Ordinis Melitenſis Prior &c. &c. Dominus noſter Clementiſſimus, Anteceſſori ſuo, JOAN-

JOANNI HUGONI, Domino noſtro quondam Benigniſſimo, ſub univerſali Complanctu Sereniſſimæ Aulæ, Reverendiſſimi Capituli, Agnatorum, Nobilium, Subditorumque in urbe ſuâ Confluentina Anno M. D. CC. XI. Juſta (luctuoſum officium) perſolvebat, quando & Ego, in hoc Indictivo Funere, de obitu Domini mei lugens, juxta Tumulum Honorarium & Pyram atris ignibus collucentem, piam Exequiatorum turbam, qui Principem Patriæ Patrem, ac vetere jure Parentem Filii elugebant, & affectum erga Beatiſſimos Archi-Epiſcopi manes, lachrymis, juſtis, fidelibus, debitis teſtabantur:

Ploratus mortis comites & funeris atri.

attentè contemplabar, & in maximâ animi perturbatione, eosdem beatiſſimos manes, nunc præfabar, nunc affabar, JOANNES HUGO! o dulciſſima quondam Principis Compellatio! JOANNES HUGO. Da veniam, æternam quam dormis pacem interpellanti! quam acerbo nos affligis vulnere! Eminentiſſime Cygnee Princeps! quantam ineluctabili dolori noſtro commiſiſti luctaturam! ô ſortes tuæ in manibus Domini, quidem candidæ! aſt atra noſtra Patriæ totius fata! Heu! Princeps Benigniſſime! ubi nunc tua in afflictos miſericordia? in miſeros benignitas? in omnes clementia?

Siccine in æternam clauduntur lumina noctem?
Lumina perpetuos digna videre dies!

Qui vivus nulli mœrorem, nulli lachrymas excuſiſti, quantum, Heu! quantum nunc indicis luctum, quantas! Heu! quantas elicis lachrymas!

Omnia tecum, una perierunt gaudia noſtra!

Plorate,

Plorate Egeni, flete Orphani, ingemiſcite Pupilli, lugete Perditi, ſupplicate Aſceteria, orate Templa, triſtia immutate fata,

Invida mors! quare tantis virtutibus obſtas?
Cur bona tot, terris, eripit una dies?

O invidæ mihi parcæ! Nox atra! Phœbi fugaſtis gaudia, ſanitatis deſtruxiſtis temperamenta, veſtra fuit hæc iniquitas curanti Medico, ut relevaretur Æger, Invidæ negaſtis!

Hoc ego, quod voci deerat, plangore replebam. Funeri illachrymando, donec principalium virtutum decora, ſolenni Oratione commendata, juſtæ Sacerdotum preces ſolutæ, Hymni decantati, dicta noviſſima verba. J. LICET. Omniaque exequiarum ſolemnia peracta, qui funus erant comitati ſe ad abitum componebant, luſtrati poſtremum acclamantes, VALE! Heu! Archi-Epiſcopus Ornamentum Eccleſiæ, Elector Præſidium Imperio, Princeps gaudium Patriæ, JOANNES HUGO Vixit! VALE! VALE! VALE! & de Cœlo FAVE. Quo ex immutabili Dei decreto, propriæque pientiſſimæ voluntatis Voto, cœlites invitarunt, ſancti tres Reges deduxerunt, virtutis meritum vocavit, proprius traxit affectus. Hinc domum quisque ſuam repetebat, quos & ſequebar ego, appenſo tamen prius tumuli titulo, ſub Calendarii perpetui naturalis & ſymbolici formâ:

Et bene, diſcedens dixi, placideque quieſcas
Terra tuum violis ornet, lauraque ſepulchrum,
Floreat æternis urna beata roſis.
Nec illi,
Terra gravis fueris: non fuit ille tibi.

Itaque

Digitized by Google

Itaque domum rediens, tanto orbitatis vulnere confectus, confugi ad ſalutares librorum ſuppetias, immenſamque animi triſtitiam in muſæo meo, ſolitæ conſolationis loco, & in quo antiquitatum vel nummorum contemplatione, labores medicos diſtinguere, vel per horas ſubciſivas interpolare ſoleo, paululum mitigare quærebam: aſt funebre argumentum intranti, funeris mihi refricuit vulnus, Icon nempe Principis Domini mei Piiſſimi, Benigniſſimi, Gratioſiſſimi, quam vix non diſciſsâ veſte, attonitus contemplabar.

Ante meos oculos tanquam præſentis imago,
Hæſit, & extinctum vivere finxit amor.

His accedebat Urnarum ſepulchralium, lucernarum, vitrorum lachrymalium, aliarumque priſci funeris Reliquiarum quondam in agro patrio Moguntino, ut & Vinetis Coberinis à me adumbratarum & oblivionis injuriâ vindicatarum, conſpectus lamentabilis, quocunque me vertebam, undique lugibria dolorum ſigna me ſtipabant, ampliſſima, triſtiſſima mortalitatis & fluxûs rerum humanarum viciſſitudinis ſigna, quæ nunc contemplabar, nunc meditabar: Quam fallacibus fortunæ rotis omnia ſubjecta in nihilum redeant, quid honores? quid Triumphi? quid rerum fœliciter geſtarum memoria? quid Divitiæ? quid Orbis Terrarum Imperium? Quarum Vanæ Imagines, tot funera antecedunt, tot ſequuntur! decipimur Heu! decipimur! quodcunque videmus, inane eſt.

Et ſpeciem ſomni prætereuntis habet.

Unicum fuit ſolatii, quod ex contemplatione horum figlinorum vitreorumque monumentorum, in

quibus gentilium cœcitas ſuorum conſervavit memoriam, Principis noſtri metirer ſplendorem, cum ſuam omnium bonorum mentibus incluſam in ſæcula transmiſerit: Memoriam, quam nulla animis noſtris expungent fata; Memoriam domi forisque pleno bonorum ore celebrandam, literis mandandam, publicis commendandam monumentis; Memoriam ardentis in Deum Pietatis, conſtantis in Imperium fidelitatis, temperantis in ſubditos Clementiæ; Quarum principalium virtutum gloriæ poſthumæ monumentum (funebre tributum) ſi non & ipſe ponerem, humanitatis ſenſum exuiſſe meritò viderer; Si vel nullas Beatiſſimis Manibus darem inferias, cum hæc laudanda pietas, tanta fuerit Priſcis Romanis, ut etiam hoſtium manes ſibi propitios reddere exoptarint, nihilque ſuperſtitum Reverentia ſanctius habuit, quam ut amiſſos, etiam annuâ ſolennitate parentando; atque inferias dando venerabiliter recordaretur. Ad quorum laudatiſſimum exemplum, obortam denuò triſtitiam publicè teſtari, & ego volui, debui, antiquorum ferales epulas in monumentum ferendo, brevem mearum Priſci funeris reliquiarum Coberinarum Inferioris Archi-Diœceſis Trevirenſis deſcriptionem.

Parva petunt manes, pietas pro divite, grata eſt. Munere;
Nec majora veto, ſed & his placabilis umbra eſt.
Flebilis ut noſter ſtatus eſt, ita flebile Thema,
Materiâ ſcripto, conveniente ſuo.

Etenim, quantæ ſit refectionis animo vel mœſto, vel ſeverioribus ſtudiis laſſo, inter Muſæi Amœnitates, attrectare elapſi ævi pignora, majorumque gentium

Digitized by Google

gentium ad nos deportatas reliquias, novit venerandæ vetuſtatis amator, novit venerator; optimeque ſententiam ferre poſſunt ii, qui ſciunt, quanta his ſacris myſteria inſint, quæ non una fuit cauſa, cur quondam muſæi mei collectaneorum naturæ, artis, & antiquitatis, ſive Urnæ ſepulchralis Moguntinæ deſcriptionem in orbis literati conſpectum emiſerim, eâ ſiquidem intentione, ut ſubſecuturis ſpeciminibus porro alias patriæ meæ reliquias, quæ per plura ſæcula intra terræ viſcera delituerunt, ſucceſſive in diem exponerem. Mutato autem poſt cœlo & animo propoſueram, omnia Muſæi mei præmemorata plurium annorum decurſu conquiſita collectanea ſimul prælo committere, ut eorum notitia ſacræ poſteritati conſtaret; cum autem & hoc alia graviora negotia hucusque differri jubeant, alterum antiquitatis ſpecimen, vaſorum hanc ſepulchralium veterum Coberinorum deſcriptionem, præmittere volui, gratioſiſſimis quondam Principis Electoris JOANNIS HUGONIS beatiſſimis manibus ſacram. Tu vero quisquis es mortalis Lector, lege, luge, & inter oſſa cineresque mortuorum mecum conſtitutus, tuam quoque urnulam devote meditare, omnium

Verſatur urna: Serius Ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium Impoſitura Cymbæ.

Inventarum interea urnarum, quas deſcribo, Hiſtoriam Accipe.

Archi-Diœceſis Inferior Electoralis Trevirenſis vicum Coverinum aliis Coberinum, Cavernam aliis, vulgò Cobern, habet ad Moſellam, qua is infra

 poſt

poſt Bihorium, maritales cum Rheno amplexus meditatur, ob ſancti Lubentii memoriam notum, cui adjacet ſylva amœniſſima

Hic lenire æſtus licet & quandoque licebit
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ.

In hac ſylvâ, cum Sacello, Eremitorium mihi eſt non inelegans, quò me animi causâ non raro conferre & ſolebam annis retro lapſis, & etiamnum ſoleo, flumine dein ſecundo iter Confluentiam relegans. Accidit forte fortunâ, ut dum mora Nautæ ſitum Loci, arcem in abrupto colle, parietinas & rudera, templariorum, interprete vulgò, reliquias accuratius contemplandi, ſpatium daret, ab inquilinis ſaſcitarer, an veterum nummus, ſub nomine Heyden-Köpff noſtris notos, vel alias antiquitates in eorundem agris, vinetis, ſimilibusvè locis reperire quandoque contingat? Memor illius Ovidiani.

Semper tibi pendeat hamus:
Quo minime reris, gurgite, piſcis erit.

Equidem appoſitè, exoptatiſſimum ſiquidem inaudiebam reſponſum, Coberinum Ludimagiſtrum, ſimilia ſepulchralia, ut crederent, vaſcula, è vineâ trecentis circiter paſſibus à vico diſtante, ad viam vulgò Geiß-Pfadt (mallem hinc vicum dicere caprinum à capris, quas adhuc alunt quam plurimas) eruta aſſervare, quæ & ſtatim jure emptionis mea feci, cumque venditor paucula hæc tantum, infelicem foſſoris ictum evaſiſſe, plurimas è contra foſſorum incuriâ & præcipiti ligone diffractas teſtas hinc inde, in prædicta vinea, cum incultam repararunt, projectas, videndas eſſe affirmaret; Exarſit animus, accepto viæ duce, & locum & the-

& theſauros videre. Erat acclivis vinea duos inter affines ex æquo diviſa: Pars ligonem ſenſerat; Pars nulla arte exculta ſentes ferebat & tribulos. Suſpicatus, quod res erat, latere hoc loco inculto, vetuſtatis monumenta ſepulchralia: Pactis igitur cum fundi Domino poteſtatem, ſcrutari jubeo terræ viſcera: Et ecce poſt emenſum ſemihoræ laborem, à ſuperiore clivi parte deorſum verſus, urna & urnula plenæ oſſibus, velut recenter combuſtis, cum diſtinctis ſignis, cranii, coſtarum & ſimilium, in ſicco & arenoſo vel potius pumiceo ſolo, unum & dimidium cubitum, in profunditate ſuperantes, obtutui noſtro ſe ſiſtebant, adſtabant quoque tres urceoli arenâ pleni, & aliquot adjacebant diſci: Spes amplior foſſores ad novos animabat labores, aſt poſt horam demum detegebatur terra, carbonum inſtar nigricans, ita ut foſſores, domum hic ſitam, & flammis exuſtam, credibile dicerent: Mihi verò uſtrinam hoc in loco fuiſſe non obſcurè conjicere licuit, quam conjecturam certam confirmaverunt adhuc alia duo loca ſubſequentia, & quatuor paſſibus inter ſe diſſita, quæ aliquot prioribus ſimiles urnas cum concrematis oſſibus, urceolos quoque ac diſcos aliquot dederunt; Tandem poſt continuatum laborem deventum eſt ad Vineæ Radicem, vulgò den Rech, ubi præter exſpectationem Sarcophagus Lapide Tectus Longitudine juſtam hominis Staturam æquans, in apricum venit, ſpemque concitabat avidam quidem, aſt evanidam, corpus ſicquidem Humanum in pulverem redactum continebat, quod ab accedente aëre & motu concidit, nihilque Nobis niſi Calvariam, pauculaque oſſa, cum bullulis vitreis, coloris partim viridis; aurei

partim; ſcrutatione diligentiſſimè factâ, & foſſoribus ſimul Laboris finem dedit; adjacentes contiguæ etenim Vineæ optimè cultæ, ulteriorem prohibuerunt inquiſitionem. Itaque contentus his Theſauri mortualis conquiſitis Exemplis, eadem; tanquam ex Infælici Naufragio collectas in Littere Tabulas, Confluentiam Muſæo meo inferri juſſi, erant autem ſeptem urnæ & urnulæ cum concrematis oſſibus duodecim urceoli, aliaque vaſcula, octo Diſci & Patellæ, omnia fictilia ſeu figlina, erant Cinerei, Cœrulei, Fuſci, Nigricantis & Rubicundioris Coloris, erant anſata, erant ſine anſis, erant aſpera, incruſtata, ſigillata, litterata, ad ventrem ſtriata, erant & polita, ac ſi torno elaborata ex furno vel officinâ figlinâ primo depromptâ fuiſſent, affabrè facta, ex terrâ Rubicundâ & probiore, qualem amplius in hac Regione noſtra videre non licet, nec noſtri figuli imitari poſſunt; de quorum omnium genere, unicam ſpeciem in adjunctâ Tabulâ primâ curioſo Pallæophilo manu ſculptoris expreſſam, hic appoſui: Et quidem per Numerum 1. 2. 3. 4. 5. 6. urceos per 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. urnas & urceolas, denique per Numerum 15. & 16. Diſcos vel Patellas per Numerum 17. Scutulam. In ſecundâ autem Tabulâ delineantur ea, quæ ſuperſtites Defunctis quondam grata & uſualia noſtris urnis recondere oſſibusque concrematis addere voluerunt. Ego verò cum memoratos cineres & oſſa domi ad minutias usque perluſtrarem, inveni, & quidem in primâ urnâ majori. 1mo. Nummum æreum ſecundæ magnitudinis familiæ Mæciliæ, in parte anticâ bis contra notatum. 2do. Fibulam. 3tio. Cultrum vi ignis ferè planè conſumptum. Econtra

in

in urnâ ſecundâ æqualis magnitudinis, inveni ibidem 1mo. unicum Nummum Imperatoris Tiberii ſecundæ etiam magnitudinis, in parte anticâ ſemel contra-notatum. 2do. Fibulam. 3tio. Ferrumque utrimque cuſpidatum, vehementiá ignis ſimiliter ferè conſumptum, cum combuſtis oſſiculis quibusdam quaſi conſolidatis. In tertiá & quartá urnâ, præter oſſa, erat in quálibet unica ſaltem fibula, denique alia urnæ vel urnulæ ſola oſſa cineresque continebant, vaſculá verò arenam. Hæc omnia in præmemoratâ Tabulâ ſecundâ per Litteras diſtinguntur, & cum modo eorum tantum Interpretis munus breviter ſuſtinere ſit animus, de iis ita cenſeo.

De variis Funerum ritibus multi prolixè ſatis ſcripſerunt, & ea profeſſo erudito calamo & magnâ curá; loco omnium ſit Lucianus, qui in Dialogo de Luctu, Laconicè inquit: *Græcus urit, Perſa defodit. Indus adipe Suillo oblinit, Scyta devorat, Mumia condit Ægyptus.* Subſequentes verò Romanos, Græcorum ſibi elegiſſe, imò arctè ſatis preſſiſſe veſtigia, notum eſt omnibus, qui prædictorum Romanorum Ritus Sepulchrales modo inſpexerunt, & talem quoque, cadaverum cremationem & Gallis & Germanis & propiùs ſeptentrionem populis, frequentatam fuiſſe, indubitatum eſt auctoribus, Cæſar. lib. 6. Bell. Gall. Alexand. ab Alex. Gen. Dier. Lib. 3. &c. Sufficiant verba Taciti de Germanis: *Funerum Nulla ambitio, id ſolùm obſervatur, ut Corpora Clarorum Virorum certis Lignis crementur.* Quibus ritè perpenſis, attamen, non niſi à Romanis, ſupellectilem meam feralem Coberinam, Terræ concreditam fuiſſe, quod affirmem,

firmem, varia mihi ſunt probabilitatis Argumenta; Romanos ſiquidem rerum Dominos univerſi pene orbis ſubjectis gentibus Imperioſam Legem dixiſſe, eosdemque maturrimè Regionem hanc poſſediſſe, & ita vicina Loca Romanis referta fuiſſe incolis teſtatur Florus Lib. 4. C. 12. *In tutelam Provinciarum* (de Druſo loquitur) *Præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit, per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim: Nam per Rheni ripam quinquaginta amplius Caſtella direxit.* Hi igitur ſæpius memorati Romani, cum more ſuo & admodum ſollicitâ diligentia, extra Urbes & Vicos tam publica, quam privata habuerint loca, in quibus ſuos vitâ functos, & cremarent, & oſſa cineresque terræ mandarent, illa deſtinata inopum funeribus, hæc privatæ & opulentiori familiæ, in proprio cujuslibet Horto vel agro. Quis, conſideratis Inventorum noſtrorum circumſtantiis, conſideratâ uſtrinâ ſeparatâ, & denique pluribus per intervalla diſtinctis urnarum vaſorumque ſepulchralium, conditoriis in tam parvo loci ſpatio, agroque, & extra Vicum quidem, Coberini Sepulchreti locum Romanis concedendum eſſe negabit? Confirmant probantque ulterius 1mo. Nummi Romani aliaque inter oſſa cineresve recondita. Probant 2do. aſſertumque meum confirmant, vaſcula Romanis Litteris ſignata, probant & confirmant denique diſcis & patellis impreſſa Nomina Romana: De quibus omnibus dum in ordine quid ſentiam, breviter mihi dicendum ſit, prætereo magnam Monetarum copiam, quam illi ipſi Romani quandoque in agris & caſtris ſepeliverunt, ob Hoſtium Invaſiones, qui eosdem haud raro ſedes ſuas relinquere, cogebant, qualem Hi-

ſtoriam

Digitized by Google


ſtoriam memorabilem de Theſauro in agro Weſalienſi reperto, in fine adjungam: Prætereo quoque Nummos Romanos, quas urnis ſepulchrisve cum cineribus Numero plures inferre ſolebant, quemadmodum Teſtimonio Collectorum Antiquitatum Romanorum conſtat, meâque experientiâ propriâ certus ſum. Diſceptatio modo tantum ſit de Nummis unicis, Urnis Romanis Sepulchralibus ſaltem illatis, quales duos diſtinctos, è duabus diſtinctis præmemoratis urnis Coberinis, hiſce meis manibus deſumpſi, & adjuncta tabulâ ſecundâ delineatos exhibet, quod ſanctè teſtor iis, qui tales nummos unicos in urnis repetiri dubitant; inter quos & D.Stieſſius, qui in Epiſtolâ ſuâ de urnis Lignicenſibus & Pilgram-Dorffienſibus p. 38. meum nummum Trajani quondam in urnâ ſepulchrali Moguntiæ à me repertum, inque Specimine meo *primo Antiquitatis ſive urnæ ſepulchralis in agro Moguntino erutæ deſcriptione* delineatum, in dubium aliquod vocare, meamque fidem interpellare voluit, quam modo per duos meos Coberinos adeo confirmo, ut pluribus non opus ſit verbis, neque Teſtimonio. Major mihi eſt difficultas, genuinum aſſerere finem, in quem unici tales illati fuerint, ùt ùt duplicem Excellentiores Antiquitatum Scriptores mihi aſſignent: Primum volunt, ut Numiſma hoc eſſet loco illius Nummuli, quem Græci æque ac Romani ori mortuorum imponebant, ut Charonti pro Stygiæ Paludis trajectu, tanquam Naulum ſive Vectigal (amnica ſtips) perſolveretur, ſine quo Naulo inopes erraſſe, & ad inferos tranſire non potuiſſe volebant. Teſte Kipping. in Antiquit. Rom. Lib. 4. Cap. 6. *Nummus æreus inferebatur*

ori ejus, qui efferebatur pro funere, Naulum Charonti perſolvendum pro Stygiæ Paludis transmiſſione, quem deinde peracta uſtione una cum Cineribus indebant Loculo ſive urnulis, atque cum illis ſemper offenditur. J. J. Chiffletius in Deſcript. Veſuntion. part. 1. Cap. 27. de hoc nummo hunc in modum commentatur: *Nummos Veſpaſiani, Domitiani & aliorum habeo, pleroſque ex urnulis in Campo nigro caſu inventis. Nummus erat ille Græcis Δανάκη dictus, qui ex Ariſtophane Charonti perſolvebatur pro Stygiæ Paludis transmiſſione, quem ideo Mortuorum dentibus inſerebant, & urnam cum Cineribus indebant Loculo.* Secundum è contra finem, cur nummi urnis illati fuerint, volunt, ut numiſma hoc, character eſſet Chronologicus Imperii, ſub quo defunctus obiiſſet, teſte Caſſiodoro: *Monetamque facis de noſtris Temporibus futura Sæcula commonere;* Verum enim verò, liceat ergo quærere: Si talis nummus unice illatus loco Nauli fuerit, cur tantum in duabus, & non in omnibus magnitudine, formâ & colore ſimilibus urnis, è diverſis conditoriis erutis repoſiti? cum nuſpiam legem, certæ ætatis vel dignitatis viris, de Naulo tantummodo proviſum, neque fœminas gratis à Charonte transvectas fuiſſe, vulgo zollfrey.

Charontis unda ſcilicet omnibus
Quicunque Terræ munere veſcimur,
Enaviganda, ſive Reges
Sive Inopes erimus Coloni.

De altero aſſignato putatitio fine, nummum nempe talem unicum demonſtrare, ſub quo Imperatore demortuus obierit, Altera quoque Mihi ſimiliter ſubori-

ſuboritur quæſtio, an hac vivis, an Inferis voluerint demonſtrare? ſi vivis? fruſtranea certò ſuiſſet illa Intentio, cum ſepulchra ſemper tam Religioſa voluerint, ut nunquam deinceps recludi aut violari Jus Manium ſtatueret. Si Inferis? ridicula eſſet Credulitas, talem nummum Chronologicum neceſſarium apud Inferos, ut hinc in Campis Elyſiis aut regno Plutonico, tumulatus acceptaretur, aut tractaretur ſplendidius: quibus conſideratis, Genuinum Romanorum finem, Nummorum unicè urnis meis illatorum enixè rogo, à peritioribus, inſimulque cauſam, cur iidem duo Nummi Coberini contra notati fuerint? cur in Nummo meo conſulari Familia Mœcilia bis contra notato in antica parte impreſſum legitur: TIB. IMP, & IMP AVG. cujus nunc Imperio hic Nummus annumerandus? an Auguſti? an Tiberii? in altero Nummo meo, & quidem Tiberii, legitur tantummodo AVG. quod Auguſtum ſignificare nullus dubito. Sed cur Nummi nunc ſimpliciter in unâ parte ſemel vel bis, nunc in utrâque, nunc Litteris & Siglis, nunc vel Litteris, vel Siglis tantum contra notati? Reſpondet quidem mihi melioris notæ antiquarii (ut ut necdum omnes conveniant) ex his ſimilibus notis, vel pretia Nummorum immutata percipi poſſe, vel ut Nummus taliter notatus in alia regione per id, valoris pretium, per mortem Imperatoris ſublatum, & à Succeſſoribus ita reſtitutum, reciperet, aſt, cur quandoque Nummus dupliciter, diverſisque Imperatorum Nominibus vel Siglis contra notatus obſervatur? & quidem tam Imperatorii, quam Auguſtarum, æque ac familiarum Nummi; malui è meis igitur contra notatis Nummis, quales æneos ultra

ultra Triginta, tam primæ quam ſecundæ Magnitudinis poſſideo, peritioribus Nummognoſtis modo ſaltem quosdam recenſere, quam conjecturas, & divinationes proprias, ſine fundamento adducere; & quod benè notandum eſt, omnes mei contranotati Nummi ſunt indubiæ antiquitatis, & omnes Genuini; ſunt duo *Familiæ Salviæ* huic in poſticâ parte impreſſum TIB. illi in anticâ & quidem in ipſo naſo eædem Litteræ. Nummus *Familiæ Plotiæ* in antica parte bis contra notatus exhibet. IMP. AVG. & TIB. AVG. quemadmodum Nummus *Familiæ Luriæ* in anticâ parte IMP. AVG. & parte poſticâ TIB. AVG. Duo Nummi *Imperatoris Augusti*, horum unus in anticâ parte ſolummodo Siglum , alter vero TIB. exhibet: Sex Nummi Agrippæ, Horum quinque TIN. ſextus vero eleganter exprimit TI A/. *Tiberii nummi* ſunt decem diverſimode contra notati nunc AVG. nunc TIB., nunc TIB. AVG. nunc, in anticâ parte ſolo Siglo  in poſticâ autem parte , his duo Imperatoris *Tiberii* Nummi primæ magnitudinis adjacent, quorum unus NcARP. alter in anticâ parte bis habet TIN. Quemadmodum & duo *Tiberii Claudii* itidem primæ magnitudinis & iisdem Litteris bis impreſſis. *Germanicæ* Nummus ſecundæ magnitudinis tantum TIN. notatur. *Neronis Imperatoris* duo Nummi æqualiter ſignantur . *Antoniæ Auguſtæ* denique Nummus, ſecundæ magnitudinis, circa occiput notatur PR^{c}. & circa collum IMP. Accedat nunc Oedipus Nummophylax, & genuinam harum Litterarum ac notarum ſignificationem proferat. De Fibulis, Urnis illatis, res notior eſt, cum

adhuc

Digitized by Google

adhuc paſſim obtineant in veſtium cinctu, in zonis, calceis, cingulis, peris, & pro ſexcentis aliis uſibus, quare eas Urnis Coberinis repertas, ad ſubliganda, aut connectenda demortui indumenta inſerviviſſe mihi credibile eſt: Omnes verò fibulæ meæ ſunt æneæ, earumque formas, ectypi, in Tabulâ ſecundâ, demonſtrant, quæ ùt ùt igne partim, partim ærugine hinc inde exeſæ ſint, deſignata tamen numero quinto, acum cuſpidatam (quod notandum) pulchrè conſervavit: quo ad diverſitatem magnitudinis, illam ætatis diverſitatem deſignare dixerim, quemadmodum quælibet particulari Urnæ illata fuit. De Cultro in Tabellâ ſecundâ delineato, vi ignis ferè conſumpto, quales in diverſis urnis Sepulchralibus Moguntinis repertas vidi, & aliquos ipſe poſſideo, notiſſimum eſt, veteres Romanos cremandis hominum cadaveribus, varias res junxiſſe, quarum Reliquias cum Cinere & Oſſibus humanis, Urnis componebant, quæ indies cum effoſſis Urnis luci exponuntur, ut ſunt Sigilla, annuli, fibulæ, cultri, pugiones, Bullæ, & plurima alia, quibus in vitâ uſi fuerunt defuncti, vel quorum uſus ante, aut in ipsâ crematione fuit; quemadmodum & adhuc in quibusdam Germaniæ Locis Conſuetudo obtinet, ut de mortuis ſuis, Viris ſtemmate Nobilioribus, vel officio clarioribus, publico Conſpectui per aliquot dies exponendis, Novaculâ, barbam abradant, Tumbæ dein exponendâ Terræque committendâ, quatenus ſuperſtitiosè credunt, dictâ Novaculâ, varia mala peragi poſſe, per qualitatem ex Raſione barbæ demortui Contractam; qualem etiam attribuunt quidam noſtrates Acui, quâ Corpus humanum mortuum indumento Sepul-

Sepulchrali inſutum fuit, item Pectini; ut alia taceam, quæ hujus non ſunt loci. Ferrum Numero IX. Tabulæ ſecundæ, utrinque acuminatum, dubio procul, ad Corpus demortui in rogo componendum inſervivit; prædicto ſiquidem ferro ſemi combuſto oſſicula quædam, quaſi ferruminata adhuc adhærent, nec vi divellenda, de qua Crematione in Rogo, unicum producam Tibullum ejusque Verſus Lib. 3. Eleg. 2. qui breviſſimè juxtà ac elegantiſſimè, omnes ferè poſt Cremationem uſitatos ritus depingunt; & ab Ignobilioris oblivionis Injuriâ vindicant. Sic autem ille:

Ergo, cum Tenuem fuero mutatus in umbram,
    Candidaque oſſa ſuper nigra favilla teget;
Ante meum veniat, longos incomta capillos,
    Et fleat ante meum, mœſta Neræa rogum.
Sed veniat Caræ Matris comitata Dolore,
    Mœreat hæc genero, lugeat illa Viro.
Præfatæ ante meos manes, animamque precatæ,
    Perfuſæque pias ante liquore manus.
Pars quæ ſola mei ſuperabit Corporis oſſa
    Incinctæ nigrâ candida veſte legant;
Et primum annoſo ſpergant collecta Lyæo.
    Mox etiam Niveo, fundere Lacte parent
Poſt hæc Carbaſeis Humorem tollere velis,
    Atque in marmoreâ, ponere ſicca domo.
Illic quas mittit Dives Panchaia merces,
    Eoique Arabes, Dives & Aſſyria.
Et noſtri memores Lacrymæ fundantur eodem:
    Sic ego componi verſus in oſſa velim.

Præme-

Digitized by Google

Prætmemorati Poëtæ Verſus & ideo quoque adjungendos duxi, ut & uſum Vaſorum meorum, diſcorum, patellarumque Sepulchralium Coberinorum; Urnis appoſitorum explicent, licet ſimilia quoque Vaſa pro Epulis feralibus vel cœna funebri veteres adhibuiſſe certum ſit; curioſiorem merentur Indaginem tria non ubivis obvia Vaſa literata, in Tabulâ primâ delineata, ex terrâ rubrâ, nigrâ incruſtaturâ, litterisque & ornamentis albis decorata. In primo & quidem maximo Urceo legitur: AMO. TE. CONDITE. Sufficiens certò expreſſio, ad ultimum, concremato, & jam in Urna condito, conteſtandum obſequium, & quidem ſummum, ab amore non à metu promanans, proinde mihi, an ab amore Parentis erga prolem, an prolis erga Parentem, an Conjugis erga Conjugem, an Liberti erga Patronum, vel denique ad funus proſequentium, Condito, Amorem publice ulterius demonſtrandum: Siquidem mihi videtur probabile, Urceum hunc noſtrum, Liquorem continuiſſe, ob uſitatam vini ad Sepulchrum, reſperſionem, quâ vini reſperſione in Inferiis, MANIBUS ſatis fieri putabant; unde etiam Vinum cùm Lacte ad propitiandos manes tumulis infundebatur; præter hoc mihi quoque probabile videtur, Urceum noſtrum; Liquorem continuiſſe potabilem; de quo omnes concomitantes bibiſſe decuit, quam Conjecturam meam ſuggerit Plutarch. in Ariſt. in ipſâ effuſione propinabant iis, qui in Monumento quieſcebant: Προπινω. τοις. ἀνδρασι τοῖς ὑπερ τῆς ἐλευθερίας των ἑλλήνον ἀποθανουσι. Verba ſolemnia, quibus Græci in parentatione Virorum fortium utebantur. Huic opinioni convenit ſecundus Urceolus prædicto ſextu-

lo

tuplo circiter minor, cum Inſcriptione VIVATIS verba renuntiantis, æque ac optandis aliis vitam longiorem, qui diutius vivere non potuit, verba quibus loco defuncti ſubſtitutus, fors ſanguine proximior, mœſtiſſimis Potatoribus bibendo Reſpondere voluit, debuit apprecando illis longiorem vitam, quemadmodum hâc formulâ etiam morientes chariſſimos ſibi amicos aut cognatos alloqui ſolebant, notiſſimum quoque eſt, veteres Romanos demortuos ſuos ad vias publicas non tantum depoſuiſſe, ut eorum memoria prætereuntes non fugeret, ſed etiam, ut ſalutari Conſilio Epigraphis vivos admonerent, de Mortalitatis recordatione, imò quod maximum, ut precationis locum teneret Manium ſalutatio, quam ſalutationem Manibus adeò gratam credebant, ut ſtatim danti ſalutem, illam redderent, demortuique nos bene de longiore vitâ affarentur, quemadmodum plurimæ tales Inſcriptiones ſepulchrales integros adimplent libros. Exempli loco ex Sylloge A. E. Fleetwod, prima p. 303. Romæ:

DIS. MAN.

L. CORNELI. VICTORIS. V. ANN. XXXI. M. II. D. XX. VIXI. SEMPER. BENE. NEMINEM. LÆSI. CVR. MORTVVS. SIM. NESCIO. BENE. VALEAS. QVI. HÆC. LEGIS.

Altera apud Gutherium p. 256. Piſis:

PARTHENI. HAVE.

BENE. VALEAS. QVI. ME. SALVTAS. CVM. SOSIA. FILIA. MEA.

Quo ad tertium Urceum, magnitudinem primi fere adæquantem, nihil ille quidem, præter glebam,

bam, quemadmodum & duo præmemorati, continebat; Inſcriptæ attamen Litteræ MISCE. Liquidum quondam continuiſſe produnt, ſive vinum illud fuerit, mihi in deſcriptione Urnæ ſepulchralis Moguntinæ, ſavillare dictum; teſte Auſonio:

Sparge mero cineres.

Teſte Virgilio:

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit,
Reliquias vino ac bibulam lavêre favillam.

Teſte Tibullo in Carmine ante allegato:
Et primum annoſo ſpargant collecta Lyæo.

Sive collectæ fuerint lacrymæ præficarum aliorumque pretio deflentium mortui cadavere, ſive ad rogum, ſive ad ſepulturam, uberrimo fletu concomitantium, quibus lacrymis itidem favilla ſpargebatur; teſte Horatio Od. 6. Lib. 2.

Ille te mecum locus & beatæ
Poſtulant arces; ibi tu calentem
Debitá ſperges lacrymâ favillam
Vatis Amici.

Teſte Ovidio 3. Faſt.

Miſta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ.

Teſte Statio L. 3.

Semper & Aſſyrios felix bibat Urna liquores
Et lacrymas.

Et hinc quoque eſt, quod paſſim indies adhuc in agro patrio Moguntino Phyalæ & Vaſcula funebria eruderentur, quibus cadentes & rorantes quæſtus,

T tempo-

tempore cremationis colligebantur, ad ſpergendam iisdem, bibulam favillam, uti notat in antiquis lapidibus communiter inſculpta formula: CUM. LACRYMIS. POSUERE. Et quod coincidit: TUMULUM. LACRYMIS. PLENUM. DARE. de quibus Vaſculis Lacrymatoriis, præmemoratus Chiffletius, in Deſcript. Veſontionis Cap. I. p. 99. *Lacrymas his excipiebant, ut defuncti reliquiis in Urnis repoſitis ſuperfunderent.* Talia Vaſcula lacrymalia varia, hinc inde collecta, in Muſæo meo aſſervo, omnia vitrea, diverſæ magnitudinis & formæ; Eminent inter hæc, duo, quæ rogo quondam impoſita, & dein Urnæ indita vel illata fuiſſe, probat, eorum colliquatio, ex agro Moguntino eruta, & his ipſis meis manibus inter cineres & oſſa Urnis extracta. De his verò Vaſculis & Ampullis lacrymalibus, ad exhibendam hanc ipſam lacrymoſam ſcenam, non poſſum, quin addam verba Leibnitzii, ex recenſu memorabilium Bibliothecæ Norimbergenſis: *Mæſtitiæ præcepta Romani cæteris Mortalibus dedere, non enim funus ſubeuntes in eo acquievere, æqualibus ſpatiis ad longiorem pompam dividi: Diſtinguebantur inſuper Neceſſariorum manus, Vaſculo dolori ſacro, aut lacrymis potius, adeò doctè inter cereos, pulloſque ornatus manantibus, ut ipſum dolorem in ſpectaculum prodire crederes.* David magnus Rex & Propheta in Iſraël, hujus moris meminit Pſalm. LVI. §. IX. *Tu vagationes meas innumerato habes, pone quamque lachrymam meam in utre tuo.*

Naſcimur in lacrymis, lacrymis quoque vita madeſcit,
Et vitam rurſus, linquimus in lacrymis.

Diſci

Diſci & pateræ vel patellæ Urnis noſtris feralibus appoſitæ, Litteris in medio impreſſis, Romanæ ætatis veſtigia ſignant & confirmant, quibus mos fuit ſimili ſupellectili, Urnis æque ac Lucernis, aliisque Vaſis, Nomina ut plurium Figulorum, Opificum, Officinarum, vel denique dedicantium, inſcribendi, uti fuſius videri poteſt apud J. Nicolai in Tractatu ſuo, de Siglis: In meis Coberinis legitur: SCOINUS. AVOI. JULI. &c. &c. in uno addita eſt Littera F. FIRMO. F. Firmo fecit; Diſcorum vero patellarumve uſus in funeribus fuit quam maximus, pro inferiis inferendis. Adducam ſaltem celeberrimorum Poëtarum Trigam, Primo Ovidium 2. Faſt.

Eſt honor & tumulis animas placare paternas
Parvaque in extructas munera ferre pyras,
Tegula projectis, ſatis eſt velata Coronis;
Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis
Inque mero milita ceres, violæque ſolutæ
Hæc habeat media, teſta relicta via.

Secundo Virgilium 3. Æneid.

Inferimus tepido ſpumantia Cymbia lacte
- - Sanguinis & ſacri pateras

Tertio Catullum Carm. LX.

Uxorne Menî, ſæpe quam in Sepulchris
Vidiſtis, ipſo rapere de rogo cœnam.
Cum devolutum ex igne proſequens panem
A ſemiraſo tonderetur uſtore.

Imò ſpeciales tenebant coquos, qui mortuis cibos coquerent, teſte Plauto in Pſeudol. *Coquum non*

 potui,

Digitized by Google

potui, quam hunc, quem duco, ducere, multiloquum, glorioſum, inſulſum, inutilem, quin ob eam rem, orcus recipere hunc ad ſe noluit, ut eſſet hic, qui mortuis cœnam coquat, nam hic ſolus illis coquere, quod placeat poteſt. Quæ tandem de ſarcophago in vineæ radice eruto, proferenda forent; Annalium conditorum, ulteriori Disquiſitioni relinquo, apud quos omnes in confeſſo eſt, mortuos cremandi, ritum deſiiſſe, ubi Græci, Romani æque ac Germani ad Chriſtianorum ſacra, divinâ luce illuſtrati, acceſſerunt, quo certam ſuam de reſurrectione ſpem teſtarentur. Bullulæ in ſarcophago repertæ, Armillam quam hic appoſui, conſtituentes ſequiorem ſexum mihi deſignant, inſimulque apparatûs mei ſepulchralis Coberini, deſcriptionis finem, quam ingenuis Antiquitatum Cultoribus eorumque benevolæ Cenſuræ ſubmitto, ſubjungendo coronidis loco Votum à Beatiſſimorum Præmemorati Principis Manium devoto cultore mihi transmiſſum, quando medicatum funus Confluentiâ Treverim, publico Patriæ Luctu translatum, & in Monumento, quod ſibi vivûs in Baſilicâ ibidem, ante Aram Sanctorum Trium Regum F. F. repoſitum fuit, ut illud Typographi operâ, publici Juris facerem, Sacris Electoris defuncti Manibus ipſe. Ego lugubri Næniâ valedicturus:

Sacras Elector, ſacris cape MANIBUS URNAS
   Munera non potui flebiliora dare,
Si Lacrymæ mea Vota forent, ſuſpiria fletus:
   Plena ſuis Lacrymis, quælibet URNA foret.
Dic LACRYMAS CORDIS Vota, & ſuſpiria: guttis
   His dudum plena eſt, pectoris URNA mei.

PRIN-

PRINCEPS MAGNE! FAVE; celſi quem Regia Cœli
Jam tenet; haud poſſum, dicere triſte VALE!

VOTUM
Pro felici Translatione Funeris
Reverendiſſimi & Eminentiſſimi Principis,
JOANNIS HUGONIS,
Archi-Epiſcopi & Electoris Trevirenſis &c. &c.

COnflua depoſitum fragili dum grande carinæ
Credit & infidæ per vada mittit aquæ:
Dii! quibus undarum vis eſt, inhibere furorem
Ventorumque feras compoſuiſſe minas:
Hanc faciles ſervate ratem, terraque potiri
Detur in offenſis, quam petit illa viis,
Ne precor, Æolii diſcerpant vela Tyranni,
Næve procelloſi ſæviat ira vadi.
Mollia, ſed placidas ſubſternant flumina Lymphas;
Præbeat obſequium ventus & unda ſuum.
Ante alios, Neptune parens, ſi fabula non es,
Si mare, ſi fluctus, ſi freta cuncta domas:
I comes, & leni veſtigia cuſpide ſigna
Et tibi commiſſæ dirrige navis iter:
Non onus eſt illi, ſpolium prædividis Indi,
Nec lapides fundis, eruta dona tuis
Plus latet hic aliquid: Si neſcis? pignora ſervat,
Pignora non tanto diſſimulanda viro.

Qui patrium rexit propriis virtutibus orbem
   Qui coluit magnos, proximus ipſe, Deos
Præſule quo pietas viguit, quo Principe certo
   Hic fuit, aut alibi, non fuit ulla Themis.
Ille ſui partem terræ tumuloque daturus
   Trevericum tendit, per tua regna ſolum:
Cauſa valet: favet unda, favet Neptunus & æther,
   Pronaque ſunt votis, numina cuncta piis.
Ipſe (quis hoc credat) jam velle Moſella videtur
   Ire retro flexis, obſequioſus aquis.
Perge ratis, curſu portum ſubitura ſecundo,
   Quæ vehis optato pignora ſiſte loco.
At vos Treveridæ, veſtram ſimul affigit urbem,
   Debita divino, ſolvite juſta viro.
Stet Phrygius ſuper oſſa lapis, Carmenque viator
   Quilibet in Tumuli Marmore tale legat:

HIC. SITUS. EST. PRINCEPS. QUALEM. VIX.
ULLA. TULERE.

SÆCULA. NON. OPUS. EST. PLURIBUS.
HUGO. FUIT.

SPIRITUS. UT. MERUIT. COELESTI. SEDE.
RECEPTUS.

CREDITVR. EXVVIAS. CORPORIS. VRNA.
TEGIT.

AD

Digitized by Google

AD AUTHOREM

Eminentiſſimi Electoris Defuncti,

JOANNIS HUGONIS

Archiatrum

Cum Urnas in Pago Coberen repertas deſcriberet

EPIGRAMMA PROGNOSTICON.

QUem fles extinctum, PRINCEPS, vel clauſus in URNA
Vivit adhuc; vitam poſt ſua vata trahit.
Oraque pervolitans hominum poſt funera, ſævâ
Se nunquam victum morte fuiſſe probat.
Vivit adhuc, vivetque, ſuo dum tecta quieſcet
URNA loco: VIRTUS non ſinet alta mori.
Tu quoque deſcriptis Coberinis ſemper in Urnis
Vives: fama Tibi neſcia mortis erit.
Urna teget Cineres, famam nulla obteget ætas:
Queis fama æterna eſt, vita perennis erit.
Sic æger vivet, Medicus ſic vivet in URNA.
URNAS felices, quis neget eſſe tuas?
Arte Machaoniâ quondam ſervatus ab URNA.
Sic memori cecinit pectore Notus Amans.

B. S. S. J.

AUTHO-

AUTHORI
Antiquario ſimul & Medico.

EPIGRAMMA.

SORS anceps aliis, dubiâ dum vertitur URNA,
Ipſamet arbitrio vertitur URNA Tuo,
Quæ terræ defoſſa ſinu latitabat in umbra
URNA, Tuo juſſu debuit ire foras.
Quando ſic URNAS potuiſti vertere; in URNA
Te dubitem SORTEM, vertere poſſe tuam?
Nil dubito! E Tumulis HYPOGÆAS eruis URNAS;
URNA ſtylo regitur Pharmacopœia Tuo:
Prima tenet Cineres, Medicos tenet altera ſuccos
URNA, ſed ad nutus utraque prompta Tuos.
Arte vales Criticâ, Medicaque Machaonis Arte
URNÆ Te duplices duplice ſorte beent.

Accinebat

B. M. B. S.

HISTO-

HISTORIA MEMORABILIS,

In Agro Weſalienſi Ao. MDCLXXXXIII. fortuito ſimul Inventorum 588. Nummorum Aureorum, veterum Romanorum Imperatorum & Auguſtarum.

ARcis Rheni-Rupenſis, vulgo Rheinfels, obſidionem, à Gallis Anno 1692. fruſtrà tentatam, legent Poſteri in Nummo argenteo, rei geſtæ causâ cuſo: in hoc, dicta Arx Rheinfels, & adjacens ad Rhenum Urbs S. Goar vulgo dicta obſervatur, cum Inſcriptione, 1mo. *Strenæ Galliæ*, 2do. *Rheinfels Fruſtra Obſeſſum*, *Liberatur Die 2. Jan.* 1693. in averſa facie ſimulacrum Rheni fluminis, ſub figurâ ſenis nudi, juncis coronati, hiſpidâ & longâ barbâ venerabilis; in utrâque profluentis ripâ inſcriptum: *Non ultra*; in margine: *arX rheInfeLs haſſorVM VIrtVte, fVgIente taLLarDo ſerVatVr.* Legent hoc inquam Poſteri, dum hodie adhuc nimium vicini & inquilini de Bellonæ tunc ſævientis feracitate ſimul ac voracitate lugent, quæ tanta fuit, ut nequidem pauperculus Bubulcus, nomine Samuël Roſs in pago Perſcheid, ſeſqui hora ab urbe Weſaliâ Superiore, Diœceſeos Trevirenſis, ab ipſa verò Arce Rheinfels, horis circiter duabus, ſubſiſtere potuerit, ſed inopiâ & inediâ coactus, loco cedere debuerit, vendito tamen prius parvo ſuo novali, quod Anno 1692. exciſis dumetis præparatum frumento conſeverat, in Monumento, quod nos Germani ein Gebück

vocamus, apud locum inquilinis die Strutl dictum, ſesqui horâ à Niederburg ſitum, civi cuidam Weſalienſi, nomine Paul Fiſcher, qui tempore meſſis, ſterelitatis à ſuis admonitus, ſexto die Augusti 1693. cum meſſoribus novale aſcendit, ubi, dum circa veſperum, otii causâ, Trunco arboris in dicto novali inſideret, ex improviſo inter egeſtam vel à muribus, vel à talpa terram, rotundi quid: Luto omnino obductum notat, quod cum aureum Nummum eſſe, animadverteret, ulterius ſcrutans baculo, præter alterum aureum Nummum eodem die nihil invenit; heri ſequente die cum ſcholæ Magiſtro in Perſcheid iterum aſcendit, & effodientes prædictum arboris truncum, ſub radicibus adhuc 586. Nummos veterum Romanorum Imperatorum & Auguſtarum, omnes aureos (Nummis illis quos ducatos duplices vocamus, granis aliquot graviores) intra ſpatium quatuor circiter pedum, unâ ſerie detexerunt, quos omnes Paulus Fiſcher in proprium uſum retinuit, ita ut de his plures detraxerit, antequam proprio fundi Domino, Archi-Epiſcopo Electori Trevirenſi, inventum innoteſceret. Qui de hinc reſiduos, nempe 485. redemit, hosque variis vaſis aureis per Aurifabrum Francofurtenſem, nomine Petrum Boy, in arte encauſticâ excellentiſſimum, inſeri fecit. Inter hæc Vaſa, duo eminent ſcyphi operculati Raritate, Arte, & Pretio inæſtimabiles, hos ducenti nonaginta duo ornant Nummi de præmoratis. In medio primi ſcyphi, effigies Imperatoris LEOPOLDI, in Numiſmate aureo efficta, in operculo econtrà, eadem effigies arte encauſticâ, Adamantibus & Smaragdis circumdata, figurata ſplendeſcit; Quemadmodum

admodum in medio ſecundi ſcyphi, pondere, figurâ & magnitudine in omnibus ſimili, effigies JOSEPHI Regis Romanorum, Magni LEOPOLDI Filii, auro item & arte encauſticâ picta, Adamantibus æque ac Smaragdis exornata. Pedibus ſcyphorum inciſum legitur: HÆC. NVMISMATA. VETERVM. IMPERATORVM. ANNO. 1693. IN. AGRO. WESALIENSI. PROPE. PERSHEID. INVENTA. IOANNES. HVGO. D.G. ARCHIEP. TREVIR. PR. ELECTOR. EP. SPIR. IN. HVNC. ORDINEM. ET. VSVM. REDIGI. CVRAVIT. Subtus ſunt inſignia Principis Electoris, arte encauſticâ affabrè picta. Quilibet ſcyphus unà cum operculo & Nummis appendit libras ſex & viginti tres lothones, ita ut ambo conſtituant pondus tredecim librarum & lothonum undecim auri optimi; manent verò perpetuò Trevirenſi Cimeliarchio. Quo ad diverſitatem Imperatorum & Auguſtarum, eorumque Nummorum in his duobus ſcyphis contentorum anticam æque ac averſam partem, ſpecialis adjuncta enumeratio recenſet; de cæteris reſiduis unicus mihi eſt, in cujus anticâ parte legitur: M. AVREL. ANTONINVS. AVG. Caput m. Aurelii laureatum; in parte averſâ: TR. P. XXXII. IMP. VIIII. COS. III. PP. figura ſtans, dextrâ ſpicas, retro pedes, prora navis.

FINIS.

Digitized by Google

COMMERCII LITTERARII CVRIOSI
DISSERTATIONES EPISTOLICÆ
PYLADIS ET ORESTIS,

ID EST:

CLARISSIMORVM WESTPHALIAE DVVMVIRORVM

JODOCI HERMANNI NVNNINGHII

ET

JOANNIS HENRICI COHAVSEN,

LITTERARVM AMOEBÆARVM,

TOMVS TERTIVS,

ISQVE POSTHVMVS;

CVI ANNECTITVR

ORESTIS DISSERTATIO DE SEDE PLANTARVM ANOMALA

ET

CONSPECTVS SCIOGRAPHICVS TESTACEORVM CVM INDICE LOCVPLETISSIMO

ACCVRANTE

SALENT. ERNEST. EVGEN. COHAVSEN

PHIL. ET MEDICINAE DOCTORE,

REVERENDISSIMI ET EMINENTISSIMI ARCHIEPISCOPI ELECTORIS TREVIRENSIS CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO; ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINAE FRANCISCANAE J. N. C. SOCIO &c.

CVM FIGVRIS AENEIS.

FRANCOFVRTI ad MOENVM

APVD JO. BENJAMIN ANDREAE,

MDCC LIV.

Digitized by Google

Quemadmodum Vitis non aſſurgit, niſi per ulmum ſerpat, ita intimæ etiam inter abſentes amicitiæ ſine hoc litterarum ſtatumine collabaſcunt; longo quippè ac pertinaci ſilentio arctiſſimæ neceſſitudines torpent, conjunctiſſimæ mentes tacito frigore feriuntur, & amantium affectus paulatim intepeſcit, at contra litterarum Commercio velut Clavi trabali juncta ſemel amicitiæ fœdera perennant, & vel inter eos, qui aliquo humanitatis ſenſu ducuntur, Styli ferrumine æternum Coaleſcunt j. Crucius in Mercurio Batavo lib. 4. p. m. 296.

REVE-

REVERENDISSIMAE ET AMPLISSIMAE INFVLATORVM ABBATVM TRIADI,

SCILICET

ALTE REVERENDIS ET AMPLISSIMIS DOMINIS

DOMINO

BENEDICTO von der EYDT

CELEBERRIMAE ABBATIAE ORDIN. S. P. BENEDICTI AD LACVM PRAESVLI MERITISSIMO DOMINO IN CRVFFT ET BENDORFF &c.

ET

DOMINO

WERNERO DIEPRAM

CANONICI ET CANDIDI ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS ANTISTITI INFVLATO IN ROMMERSDORFF

FVNDI DOMINO IN HEIMBACH; VVEIS ET GLATBACH &c.

NEC NON

DOMINO

GODEFRIDO OHM

CANONIAE SAYNENSIS ABBATI DIGNISSIMO &c.

HASCE LITTERAS AMOEBAEAS QVOTQVOT SIBI HAEC VENDICAT COLLECTIO PARTIM ALIENAS, PARTIM PROPRIAS ET ADOPTIVAS,

Digitized by Google

TESTIMONIA
INTIMAE VERAEQVE OBSERVANTIAE,
AMICITIAE, DEVOTIONISQVE PERPETVAE
INSCRIBIT ET OFFERT,
SIMVLQVE
VIRES ABBATIALIBVS
MVNIIS SVFFECTVRAS, FELIX ET QVIE-
TVM SVBDITORVM REGIMEN,
VEGETAM SENECTAM
ET QVIDQVID
AD FLOREM ET EMOLVMENTVM SVB-
IECTARVM ABBATIARVM PERTINET
ARDENTISSIME APPRECATVR

SALENTINVS
ERNESTVS EVGENIVS
COHAVSEN.

Digitized by Google

REVERENDISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI

Jam dudum occaſionem opportunam quæſivi, in qua infucatæ meæ devotionis publicum perhiberem tecmirion, quæ hisce optatiſſimè ad manus meas devenit, dum poſt nimis adhuc matura Clariſſimorum Weſtphaliæ duum Virorum, amicorum meorum quondam ſincerrimorum fata amæbæarum Epiſtolarum (ad quas tenuem meam opem ſimiliter contuli) de rebus tum phyſicis, tum Medicis, tum hiſtoricis agentium pulcherrima continua-

tio ad manus noſtras pervenit, quam, ùt priores tomulos ad prælum ex eo promovere tum volui tum debui, cum ex præmiſſis Rempublicam litterariam æque jucundum quam utile recepiſſe haud infrequenter inaudiverim, atque à viris in foro litterario longè celeberrimis ſæpius per repetitum litterarum Calcar incitatus & monitus fuerim, ne longiore protractione & dilatione prurientem impatientiam læderem, cúmque tandem multis feliciter exantlatis impedimentis eo devenerit, ut litterae hæ toties ab Eruditis expetitae per typum prodeant, ratus ſum nulli eas aptius & convenientius inſcribi poſſe quàm Reverendiſſimis & Am-

Digitized by Google

Ampliſſimis dignitatibus veſtris, utpote omnis politioris litteraturæ ſingularibus fautoribus & amatoribus, ut igitur benevolè concolori animi candore ſuſcipere non gravemini, eſt quod in votis habeo, ſimúlque agnoſcatis quanto honore eoque debito, quantoque affectu *Reverendiſſimas dignitates veſtras* ſubditasque Abbatias indeſinenter veneratus fuerim & adamaverim, atque dum ſpiritus hos reget artus, in perpetuum venerer; accipite igitur levidenſe opuſculum, quod ab illuſtribus Nominibus veſtris nunquam intermorituris gloriam fæneratur, qui cæterum *Vobis* Lubens & jure dedico conſecroque *Quidquid in Arte*

mea

Digitized by Google

mea poſſum promittere cura; cum cordiali voto finiens ut Altiſſimus Nomina veſtra à poſterorum oblivione Vindicet, veſtris continuis ſollicitudinibus & vigilantibus Laboribus ubertim benedicat, vosque Abbatiis veſtris & mihi diutiſſimè incolumes conſervet. Confluentiæ XVIII Calendis Octobris MDCCLIV.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO

Siſto Tibi Lector benevole Clariſſimorum Weſtphaliæ duum Virorum ſcilicet R^{mi} Dn. Jodoci Hermanni Nunninchii & CL^{mi} Dn. Joannis Henrici Cohauſen amœbæarum Epiſtolarum tomulum tertium, eumque poſthumum, in quo ut in binis prioribus materiarum tam phyſicarum quàm hiſtoricarum eruditam reperies dilucidationem & analyſin, quamvis diverſum dominorum Authorum fuerit Studium, Nunninchius enim jura, Cohauſenus Medicinam coluit, interim alias ſcientias Studii & Vitæ ornatrices uterque ita amavit, calluitque, ut non parerga ſed primaria occupatio & intentio fuiſſe credi potuerit, uterque polyhiſtor, philologus uterque phyſicus, uterque doctus, uterque lucubrator indefeſſus; Nunninchium non interrumpendorum ſtudiorum, & meditationis amor ad curtim ſuam non procul Borckena diſſitam Wickinghovium dictam jam dudum perduxerat, ubi non tam vacui receſſus & ſilentium delectabant, quàm quæ in ſolitudine habitant otium & libertas; non tamen adeo inhumanus

erat, ut homines oderit, ſed peccata hominum, atque in populis habitantes curas, & ſollicitudines mæſtas, vanáque & ſterilia indoctorum colloquia odio habebat; judicans cum Franc. Petrarcha de vita ſolitar. lib. 1. c. 3. quod *magna & diuina quædam Res ſit animi tranquilla ſerenitas, & quæ non alterius donum ſit quam ſolius Dei, ſed quam ſæpius ille Largiri ſoleat in ſolitudine conſtitutis* in hoc itaque quaſi eremo conſtitutus ab amicis dierum furibus remotior deo, patriæ & ſibi vivebat inter libros & chartas ſepultus, unde in conſcribendis ſuis Meditationibus & diſſertationibus (quorum Elenchus in hoc primo tomo fuſius Legitur: & perficienda patria Hiſtoria ac literato cum Viris in Europa Celeberrimis atque erudititiſſimis alloquio ſemper erat occupatiſſimus, undique ad Hiſtoriam ſuam illuſtrandam non ſine labore nec ſine ſumptibus multáque ſollicitudine genuina colligebat analecta, Verum ut abstruſa, obſcura, diffuſa, multíſque & fere inſuperabilibus difficultatibus involuta erat materia, multíque, quemadmodum in ſcriptis publicis, partim in privatis ad me & alios datis epiſtoliis amare non ſemel conqueſtus fuit; neceſſaria denegabant ſubſidia, evenit, ut *monumentorum*

torum Monaſterienſium tam tardus fuerit progreſſus, his addendum quòd fertile ingenium (ſcepticis, doctisque viris multa Lectione ſe fatigantibus commune) novas ſæpius formaverit ideas & concipiendi modos, nova enim reperta, ſecurius enucleata, vel ab amicis communicata ſuis ſemper locis inſerebat, ſuperaddebat, Limabat, exasciabat, hinc duntaxat factum (nam neque mancam hiſtoriam neque ſubleſtæ fidei eſſe Volebat) ut tam arduè tam Laborioſè tam ſollicitè compilatum ſæpiusque reviſum & correctum opus ad perfectionis àcmen huc usque nondum pervenerit, verendumque ſummopere reſtat, ne tanquam imperfectum permanſurum ſit, potiùsque cum aliis ſuis operibus in piis Literatorum maneat Deſideriis, quam ſpe; in poſtremis quidem ſuis mihi beâtus Author Lætus nunciavit Clariſſimum Strodmannum quædam ejus ſcripta ad prælum promoturum (quem deſuper hic publice compellare, implorare & excitare volui, quatenus iis quibus pollet viribus, eruditione, ſcientia hiſtorica & philologica, erga hæc ſtudia amore, & pias manes reliqua devotione exasciare atque ad prælum promovere non obliviscatur) narravitque Monumentorum ſuorum decuriam ſecundam prope-

)(2 diem

diem excepturum eſſe Regium Berolini prælum; promiſeratque porrò D. Nunninchius Vitam Nicolai Stenonis ad umbilicum modo perductam ex authenticis relationibus magna induſtria & aſſiduitate verè concinnatam, ſed habeo quod timeam ne & hoc ſcriptum cum pluribus fortaſſis aliis Tinæis & blattis in eſcam cedat, aut futura ſit cujusdam plagiarii rapina, quod potius peroptandum, gauderet enim de erudito ingenii fœtu orbis Litteratus, ac in viro tam ſancto patriæ magis fulgebit decus; Hortatus fui haud infrequenter, auresque fricavi ut totus in eo eſſet, ut ſe vivente, auſpicante & accurante (fruſtra enim à poſteris exſpectari & ſperari ſolet, quod quis ipſe negligit vel protrahit) potiora, nobiliora, utiliora & limata ſaltem ejus opuſcula publico appromiſſa in uſum communem producerentur, at grandævior ætas & nunquam incomitata veniens ſenectus, ſed morboſos à meditationibus ſeriis & laboribus gravibus impedientes Conferens ſatellites, juſto longius protracta mora ſcrupuloſiorque Meditatio obicem poſuit nunquam removibilem. Per Litteras quidem me omnium manuſcriptorum ex aſſe hæredem ſcripſit, recommendavitque, ut relictas poſt fatum ſuum diſſer-

diſſertationes meis curis & auſpiciis ad prælum promovere ex veteri neceſſitudine non detractarem, hoc quidem pro poſſe exequi ſollicitus fuiſſem, modò quod pollicitus fuerat ad manus tradidiſſet aut perveniſſet; Verùm ut ambulatoria hominis eſt voluntas, ac mutabilis genius, vix ſe reſoluere & firmiter concludere ac ſolide ſtatuere poſſe viſus eſt, in iis enim quas 16. Febr. 1753. ad me dedit; ſequentibus ſe explicabat: *Noſti quidem Bibliothecul am meam in commodum erigendæ in metropoli Weſtphaliae univerſitatis jam ab annis pluribus atque iterum recenter fuiſſe deſtinatam, attamen ex eo, quo per hos dies mutata mente in uſum ordinis ſancti ſalvatoris ſive divae Brigittae inſpirante Deo in Wickinghovio meo deſtinari contigit, tuum erit de eo inſtruere Lectorem. pro maiori horum Elucidatione non tantum profeſſoris in urbe inſtituti hanc in rem datas Litteras, ſed & fuſum à quodam ordinis alumno poema accludo, cui à muſa domeſtica occaſione inſtantium Jani Calendarum excitata devotiſſimè oblatum.*

Vive novo jano renovato Robore Nunninch
 Aſtra tuos Canos rore fovente beent.
Vt tandem videas (quo Vota piiſſima tendunt)
 Quod *Wickinghovium* Curtis Avita Tibi

Rerum Antiquarum mirabiliúmque Theatrum
Palladis ora, oculos, cordaque docta trahens
Mutatum ſurgat pietatis publica ſedes
Curia ſacra dei, Relligioſa domus.
ô faxint ſuperi? ſanctæ ut ſit villa Mariæ
Et *Brigittiadum* clareat alma domus
Sic quod præſagum tua fert inſcriptio Carmen
Verum poſteritas obſtupefacta Legat.
Has habitat Virtus, quas Nunninch Condidit ædes
Hanc habitant Virtus, queis placet Alma domum.

Verum Clariſſimus Vir, & hic aliquid humani paſſus eſt; diebusque ſuis nimium adjecit fidit & ſperavit; nam piiſſimam ſuam intentionem indies magis magisque excolendam, firmandam, dirigendam cautelisque neceſſariis roborandam ac legaliter muniendam ab omnibus futurarum altercationum & litium ſumptuoſis tædiis præcavendam & aſſecurandam diutius procraſtinavit, extendit atque diſtulit; malignantis enim & doloſæ naturæ catharralis febris omnem animi vigorem, corporisque vires in ſenibus ſemper debiles ſubitaneè dejecit, ſuppreſſit atque effregit, ut in junio ſolemniter condendum Erigendumque fundationis perpetuæ teſtamentum in fine maji ſuperveniens inopina mors præoccupaverit, de quo jam moribundus illachrymans accedenti amiço anxiè conquere-

querebatur paucis dicens *in fine ſinali tota confuſio*. hæc quaſi balbutiens aphonus factus, ac piè in domino obdormivit. Utinam plures infirmi & ſenes non niſi Vitam ſperantes, ſibique frivolè fidentes qui tam labili, fluxili debilique innituntur talo, ambiguo ſtatu degunt ſubdolæ mortis maturius agnoſcerent & prævidèrent periculum, nec ita ad poſteritatis & hæredum quietem, ad præcavendas familiarium deſtructrices pretioſarum litium altercationes, neceſſarias diſpoſitiones providè, ſollicitè, circumſpectè & maturè condere negligerent. Verum hoc Naturæ commune vitium eſt, quod ſenectus omnisque imbecillitas tardos lentóſque imò avaros efficiat, multi ſuas diſpoſitiones ideo protrahunt & ſtolidi differunt, quoniam teſtamento Clauſo dominium transtuliſſe putant vel mortem eo citius inſtare opinantur, verenturque ne unquam ab hæredum futurorum aucupibus blando popiſmate deinceps refocillentur, aut amore tenero foveantur, vel conſuetas audiant blanditias, quod Simonides apud ſtrobæum *Ser*. 10. cogitaſſe videtur: qui interrogatus cur in extremâ ſenectute avarus eſſet? reſpondit malim defunctus opes inimicis relinquere, quàm vivus amicis carere.

 Ore-

Digitized by Google

Oreſtes Hildeſii ſaxonum patre Bernardo Henrico cohauſen j. V. L. & advocato & anna Maria de Bades Natus, ac Educatus à tenera juventute ſtudiis ætati convenientibus innutritus, erga quæ ſemper ſingulari ferebatur affectu & fervebat, qui amor usque in depontanum ſenium non deferbuit, multa tulit, fecitque puer, ſudavit, ſed in labore & ſtudio nunquam alſit, poſt ſumpta dein in variis univerſitatibus ſtudii jatrici Rudimenta, prima praxeos in patria urbe jecit & poſuit fundamenta, dein cosfeldiam ab avunculo ſuo tum temporis ibidem morante allectus, Tam doctè, pie, ſincerè, & feliciter ſua geſſit, cúmque maxima fauſtorum ſucceſſuum fama praxin exercuit, ut multis invidiæ & pluribus admirationi eſſet, quæ & illum in Aula Monaſterienſi in Archiatrum promovit, quo avocatus fuit, verum cum minimè delectaretur aulæ Lubricæ ſtrepitu atque indies magis magisque obſervaret, diſceret & noſceret ſuo genio nequaquam convenire, nihilque aulæ ſplendore eſſe inſidioſius ac fallacius, nusquam tranquillius & honoratius otium eſſe Litteratis, quam in loco minus populoſo ac tumultuoſo ſub ampliſſimæ dignitatis ſpecie magnificum & ſplendidum famulatum

res-

Digitized by Google

reſpuens poſt obitum glorioſiſſimi principis & Epiſcopi Monaſterienſis Franciſci Arnoldi &c. Vredenam diſceſſit, ibidemque non ſine immortali laude praxin Medicam tam per Weſtphaliæ, Hollandiæ, & vicinos tractus exercuit feliciſſimam, à laboribus practicis & Medicis ſibi relictus non luſibus, non obambulationibus, non vanis & inutilibus confabulationibus aut ignaris amicis, non compotationibus nullisque commeſſationibus detinebatur vel delectabatur, ſed continuâ Lectione, ſcriptione, Meditatione aut ſtudio recreabatur, in hoc illi omnes deliciæ, ſolamen, & refocillatio, ita nullum tempus inani otio à ſtudiis præripi ſinebat; inſumpſit tamen non vana alicujus lucelli ſpe (quale nullum voluit nec accepit) ſed ex mero affectu id laboris (quem mirâ facilitate peragebat, cum ingens in ipſo eſſet eruditionis copia, inſignis ſermonis Latini ſuavitas, nitor ac eminens facundia) ut quosdam ſcilicet quinque non ſimultaneè at ſucceſſivè in artis principiis inſtrueret, & vix audita methodo nec non facilitate ad artis doctæ exercitium fideliſſimè quaſi manuduceret; primus ab ore ipſius pependit CL. D. A. Tendam, qui ab ipſo manumiſſus ſupremam doctoratûs Lauream cum

laude ſuſcepit, paucis tantum annis Borckenii phyſicum agens ex phthiſi hæreditaria Eheu præmature obiit; huic ego ex fratre Nepos anno 1720. ſucceſſi, lætus & gratus recordor (nam ut ſeneca Meus lib. 2. de beneficiis. Cap. 1. §. 22. p. m. 23. *nihil magis praeſtandum eſt, quam ut memoria nobis meritorum haereat, quae ſubinde refricanda eſt, quia nec referre poteſt gratiam, niſi qui meminit, jam refert*) quanto gaudio, affectu & amore me alias nunquam viſum Nepotem ſuum in diſcipulum ſucceperit & amplexus fuerit, quanta ſollicitudine, quanta diligentia, patiente aſſiduitate, & ſinceritate me non duntaxat in phyſiologicis, ſed quoque phyſica experimentali, chymicis, pathologicis, aliisque ſcientiis ad artem facientibus eamque exornantibus indefeſſe inſtruxerit, ad ſtudia diurna nocturnaque omneſque difficultates ſuperandas indeſinens Calcar addididerit, animumque erexerit, inque genuinis praxeos veræ non fallentis fundamentis ſolide imbuerit, non variis inutilibus, putidisque doctrinis corrumpebar, non pernicioſiſſimorum compendiorum Cancellis circumſcribebar, vel molli via ad ignaviam, otium & ignorantiam ducebar, non canoras ineptiſſimo-

rum

rum grammatticorum nugas & nudos verborum apices, aut inutiles omologias, Etymologias ſteriles memoriam obruentes quisquilias captare docebar, aſt per latiſſima litterarum latifundia fidiſſimè ſine tædio ducebar, Verbo non detinebar inanibus verbis neque enim id ipſius ferebat Conſuetudo; Vix exantlatis meis ſtudiis & me aliorſum benevolè dimiſſo accrevit, & ad eadem Studia eosque labores ſubintravit natu major ejus filius, Bernardus Engelbetus qui poſt captam doctoratùs Lauream aliquot annis inter Batavos *Zwollæ* praxeos fecit periculum, dein ut Archiater Hoſtmario - Ahuſanus Borekenam diſceſſit, & adhuc dum degit, quem ſecutus Joſephus Henricus paternos lares incolens & tandem tertius Franciscus Antonius Lohræ ad Mænum ex Clementiſſima diſpoſitione Reverendiſſimi & Eminentiſſimi Archiepiscopi & Electoris Moguntini nunc phyſicatui ubis & ſatrapiæ præeſt; Vivens itaque in filiis ſuis & diſcipulis poſt mortem nunquam ſine honoris, venerabundæ ſubmiſſionis debitæ gratæque devotionis titulo mihi nominandus patruus vel hoc ſolo palam facit, quantopere artem jatricam adamaverit, excoluerit, Laboris repetendi tædia vilipenderit cum etiam jam depontanus

nus ſenex ut cunque doloroſiſſimo veſicæ irreſolubili & expugnabili calculo, incarceratæ herniæ ingvinalis vix tolerabili tormento, moleſtiſſimo & profuſo vires depaſcente hæmorrhoidali fluxu, quietem diurnam nocturnamque interrumpentibus emaciatus, exhauſtus, exſuccus & gravi ſenio fractus tum artis ſecreta vlterius rimari, perſcrutari, indagare, tum cum doctisſimis in orbe celeberrimis viris non interruptum litterarum cambium usque in ſeros annos proſequi & fovere non deſtiterit; inter alios autem cum jodoco Hermanno Nunninchio J. V. D. Illuſtriſſimi capituli Vredenſis Scholaſtico & Canonico, prothonotario Apoſtolico ſereniſſimi Principis Monaſterienſis conſiliario Eccleſiaſtico intimo Amabæarum Epiſtolarum Co-Authori ſpecialem nunquam corruptæ amicitiæ nexum nec morte ipſa ſolutum habuit:

Exemploque monet nos tales quærere amicos
Quos neque disjungat fœdere ſumma dies.

Quemadmodum pomponius Atticus tanta benevolentia Ciceroni junctus narratur. vid. *Zwinger. Theatr. vid. human.* ut Ciceronis Atticus diceretur, ita Nunninchius Cohauſeni & vice verſa Credi poterat, uterque ætatis fere ejusdem, Studiorum utrique ſimilis & communis amor & fervor:

ſervor: *Vnus erat pylades, unus qui mallet oreſtes.*

Cumque exſemet natura nihil creaverit pectore amicitiæ magis & rarius unquam, inter hunc pyladem & oreſtem hæc verè interceſſit neceſſitudo, non interruptus usque ad urnam amor & affectio, neque poſt fata unius quieſcens, quam Nunninchius in crebrioribus ad me datis dolore & querelis amariſſimis plenis non ſatis exprimere potens cum non in marmore ſaltem in charta volante calamo ſubſequum erexit, & mihi transcripſit Epitaphium.

Viator?
quid quæris?
Defunctorum exuvias?
en illas
philoſophi acutiſſimi & Clariſſimi
phyſici exercitatiſſimi
philologi Celeberrimi
oratoris diſertiſſimi
Medici experientiſſimi
Hiſtorici facundiſſimi
Chymici indefeſſi & oculatiſſimi
poetæ non quidem Laureati
Aſt Lauro digniſſimi, & Argutiſſimi
Ne verò Statuas te plurium offendiſſe Cineres
unius ſunt

Clariſſi

PRAEFATIO

Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri
D. Joannis Henrici Cohauſen M. D.
Hildeſio - Saxonis.
Eruditorum noſtri ævi Coryphæi
Episcoporum Monaſterienſium Archiatri
poliatri Vredenſis
Anno MDCCL. die XIII. Auguſti
pié defuncti
Hujus animæ bene precare.
R. J. S. P. A.
abi.
Mæſtus poſuit
amoris & amicitiæ ergo
oreſti ſuo Amantiſſimo pylades.

Plura quidem memoratu digna de utriusque Authoris Vita particularique fato ſuperaddi potuiſſent, ſed ob paginarum Circumſcriptos anguſtiores Cancellos, & ne Lectori fuſiore quam par eſt præfamine gravis ſim ſilentii peplo involvere ac præterire volui; ſufficit utrumque Rexit Virtus & pietas, Deo patriæ, orbique Litterato quilibet ſtuduit, & cordatè profuit; præterea Lectorem benevolum monere cogor, ut ſphalmata quæ propter correctoris abſentiam fuſius & copioſius irrepſerunt ipſus corrigere non gra-

Digitized by Google

gravetur, neque ut male interpretetur per opto, quod tomus hic tertius tam tardè & ſerò natus prodeat, quod partim ob præmaturum ac inſperatum utriusque Vita longiore digniſſimi Authoris fatum, partim typographi nimiam occupationem Eveniſſe ipſus Lugeo; cujus ſolamen à Francisco petrarcha in Epiſt. ad Philip. Hieroſolimæ patriarch. p. 6. Recipe: *Vileſcunt properata, ſed dilata dulceſcunt, ſpes, amor, exſpectatio, difficultas condimenta ſunt voluptatum, nil facile pretioſum, & quæ in pretio habentur, ſi quæſitu facilia eſſe incipiant, pretium amiſerunt*: hoc effatum ut de hoc ſcripto quoque verificetur, eſt, quod curioſo non minus quam erudito lectori voveo, ſpero ac opinor; hanc præfationeolam inter multas occupationes ſatis obiter & ruditer conceptam Lugubri nænias Claudens:

En Tibi Weſtphalicæ ſiſto duo lumina terræ
Queis nunc extinctis patria mæſta dolet.
Hos Lugent Muſæ, nigro Themis errat amictu
abjicit & cytharam triſtis Apollo ſuam.
Par amor & Studium quondam conjunxerat ambos
Invida disjunxit nunc Lybithina Viros.

Fallor

Fallor nam veros mors non disjungit amicos
Sed jungit ſuperis pectora fida choris.
His Tua Nunninchi Vredenſis gloria Cleri
Te junxit Virtus, ſicque probata fides
His Labor & meritum te conjunxere Cohauſen
Non vobis, ſoli mors nocet illa mihi;
Luſtra bis octo ambo pulchre vixiſtis amici
Nunc dat promeritis præmia juſta Deus.
Naturæ arcanis ambo ſtuduiſtis, in illis
Naturæ Auctorem ſemper amando Deum
Me ſtudiis Veſtris recreaſtis ſæpe ſed eheu
Hoc mihi ſolamen mors inimica rapit.
Ambos vos merito Pallas decoravit honore
Doctorum & Lauro Cinxit utrumque Caput.
Ambo quæſiſtis Veſtris bona publica ſcriptis
Veſtra quibus Vivet neſcia fama mori.
Vivite felices, quos vexit ad æthera Virtus
promeruit Veſter Regna quieta labor.

ELEN:

Digitized by Google

ELENCHUS
Epiſtolarum.

I. de Cruce Heraldicâ & Monetariâ, quâ originem Signi Crucis tam in Nummis, quam Sigillis, ejusdemque diverſitatem, tum & variam in Heraldicis ſignificationem explanat *Pylades.*

II. de Cruce phyſico-Medicâ & Chymicâ Analyſin ſiſtit *Oreſtes.*

III. de Inſtituendâ per Weſtphaliam Eruditorum ſocietate conceptum proponit *Pylades.*

IV. de propoſito à *Pylade* conceptu ſententiam ſuam reponit *Oreſtes.*

V. *Oreſti* Gordium ex antiquitate nodum offert *Pylades* de Grutâ, ſive Jure Grutandi.

VI. Oblatum de Grutâ, ſive Jure Grutandi nodum reſolvit *Oreſtes.*

VII. Ex Monumento Officinæ ferrariæ Bucholdienſi ſacro Argumentum pertractat *Pylades*, an ferrum poſſit mutari in metallum nobilius, aurum vel Cuprum?

VIII. Suaviſſimo *Oreſti* novum Conceptum pro Supplemento & Ornamento Tomi tertii Commercii Literarii ſuggerit *Pylades.*

IX. Amantiſſimo *Pyladi* gemina Erotemata ſolvenda proponit *Oreſtes.*

X. de Apoſtolatu & Legatione Weſtphalorum per Orbem ex Rolefincii Libello nonnulla recenſet *Pylades.*

XI. Aman-

Digitized by Google

XI. Amantiſſimo *Oreſti* ſuo genuinum Apollinis Granni Etymon detegit *Pylades.*

XII. de Etymo Apollinis Granni Mogouni quid ſentiat, reponit *Oreſtes.*

XIII. *Oreſti* mentem ſuam de conſpicuo Walberti Comitis in Baſilicâ *S. Felicitatis* Vredenſi monumento exponit *Pylades.*

XIV. Bina *Oreſtis* ad amantiſſimum *Pyladem* data Epiſtolia inſtantis obitûs præſaga.

XV. *Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini D. Ferdinandi Theodori S. R. J. Comitis de Merveldt* Epiſtola ad *Nunningium.*

XVI. *Jodoci Hermanni Nunningii Canonici & Scholaſtici Vredenſis* Epiſtola Reſponſoria.

XVII. *Oreſtis & Pyladis* Epiſtolæ Amoebææ de fundandâ publicâ Bibliothecâ

XVIII. *Ignatii Roderici* de eodem Argumento Epiſtola ad D. *Moerkenſium.*

His ſubnectuntur.

I. *Johannis Henrici Cohauſen* M. D. Archiatri Horſtmario-Ahuſani Diſſertatio de ſede Plantarum anomalâ, & miro in fundos peregrinos Tranſitu.

II. *Ejusdem* Conſpectus Sciographicus Teſtaceorum, ſive Oſtracodermorum & Scleroſtreorum, in tres claſſes diviſus.

Pro-

Digitized by Google

Programma Invitatorium
Ad
Univerſæ Diœceſeos Monaſterienſis Maximè Reverendos & eximios Canonicos, Curiones Vicarios &c.

Weſtphalia, *Antiqua Saxonia* appellata celeberrima & ampliſſima Germaniæ imo totius Europæ regio eſt, quam univerſam hactenus nemo deſcripſit. Glorioſiſſimus quidem Princeps & Epiſcopus, aeterna memoria digniſſimus FERDINANDUS FÜRSTENBERGIUS diſtrictum Baderbornenſem Episcopali pedo ſubjectum eleganti Stylo tam ligato quam ſoluto in *Monumentis Paderbornenſibus* deſcripſit, & ſpicioſis iconibus adumbravit, *Mimigardiam* vero Weſtphalicam ejusque præcipua loca, urbes, oppida, Pagos nemo hactenus deſcribere tentavit, unde ego â parentibus quidem in urbe Metropolitana natis in Vicino Comitatu Benthemenſi *Schüttorpii* otiundus, hanc alteram meam Patriam eſſe ratus, eandem magna ſemper Veneratione colui, proque illius aliquando hiſtoria deſcribenda ad requiſita adverſaria ex Archivis collectanda jam â multis vitæ annis omnem operam conſuli, ut

)(citra

citra jactantiam illud *Marci Tullii Ciceronis* pro Archia Poeta mihi vendicare valeam, cujus invidia procul ipſiſſima hæc ſunt verba: *Ego vero fateor, me his ſtudiis eſſe deditum; cæteros pudeat, ſi qui ita ſe litteris addiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre. Ne autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, ut ab illis nullo me unquam tempore aut commodum aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit, quare quis tandem me reprehendet, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi quantum cæteris ad ſuas obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates & ad ipſam requiem animæ & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt in tempeſtivis conviviis, quantum aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero? atque hoc eo mihi concedendum eſt magis, quod ex his ſtudiis hæc quoque creſcat oratio & facultas* (*ſcribendi Decurias Monumentorum Monaſterienſium*) *quæ ſi cui levior videatur, illa quidem certe, quæ ſumma ſunt, ex quo fonte hauriam ſentio.* Hactenus dixit *Cicero*, quæ verba

mihi appropriari æqui amans lector permittes, tum ut Patriæ gloriæ ſerviam, tum ut de Republ. bene merear, idem enim Eloquentiæ parens in Epiſtola ad *Plancum* aſſerit: *Nihil eſt, quod tibi majori fructui gloriæque eſſe poſſit, nec quidquam in omnibus rebus humanis eſt præclarius aut præſtantius, quam de re publica bene mereri.*

Certe expertus ſum in me quod ſcitiſſime cecinit Vates.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine mentes Allicit, immemorem nec ſineit eſſe ſui.

Nullum eſt, inquit Stobæus ſermone XXXIX. ſuavius ſolum, quam quod nutrivit eum. Vel ſola Patriæ recordatio multo magis de illa per tractatio mihi dulcis eſt, ſuasque habet illicias, nil ſane magis delectat Patriophilum quam Patriæ ſpectare emolumentum, ſpectare gloriam eoque magis illa promovere, propterea mihi ſummæ fuit Voluptati, qualiumque mea capella ſervire Patriæ, unde mihi nata eſt prima iſta Monumentorum Monaſterienſium Decuria, qua feliciter tandem & meis quidem impenſis editione ejus abſoluta ad alteram progredi fert intentio, ſed quia plurima loca ad quinque quas meditor decurias, commode referri neque

unt, peculiare meditor opus Geo-topographico-Etymologico-Hiſtoricum, quo exactiorem illorum deſcriptionem comprehendam, huic vero neque libri editi, neque manuſcripta ulla, quorum magna etſi apud me ſit multitudo, deſcribendis omnibus Patriæ univerſæ locis ſufficiunt, hoc ad curiones, qui ſingulis præſunt, programma invitatorium ad communicanda illorum infra ſcriptorum particularia enarrare viſum eſt, neque diffido Viris omni laude digniſſimis diſpliciturum, quod hac digreſſione eorundem operam & opem compellam & quidem ob rationes hic prævie memorandas. In primis Patriæ ut *Tullius* dicit lib. 2. de legibus, *nos totos dedere & in ea omnia noſtra ponere & quaſi nos conſecrare debemus*, *quilibet cognatis ſervire tenetur*, idem inquit Author Orat: in M. Antonium philippica 5. §. 6. an poteſt ulla cognatio major eſſe quam Patriæ, in qua parentes etiam continentur. Tenentur igitur Patriæ ſervire, quod dum mihi communicando Patriæ Hiſtoriam, faciunt Patriæ, ejus gloriam & honorem promovent. Et licet forte Curionum aliqui exteri ſint, in Diœceſi tamen monaſt. ad curam promoti, meminerint, licet hæc ipſis Patria non eſſet, Patriam tamen eſſe, ubi cunque eſt bene, illi autem bene ſint, ſic illis alteram eſſe

patriam,

Patriam, in qua tum ob promotionem tum vitæ ſuſtentationem, nam juxta Veri Verbium: illa mihi Patria eſt, ubi paſcor, non ubi naſcor, datis commode imo nonnunquam laute vivere valent, meminerint, Virum fortem ubique invenire Patriam, quam animi fortitudinem nemo non prætendit.

Etſi vero objicere poſſent aliqui ſe non ſatis accommodato loco conſtitutos vix ex mediis Paſtoratus poſſe vivere, his reſpondet *Tullius* Epiſt. l. 4. ad Marcellum: Nec locus tibi ullus dulcior eſſe Patria nec eam dilegere minus debes, quod deformior eſt. Sed miſereri potius, nec eam multis claris Viris orbatam privare etiam aſpectu tuo, Verum Patria Monaſt. illis non caret, neque difformis eſt, adeoque commiſeratione non indiget, ſed magis amorem meretur. Unde lætari omnes debent quod juſta ſic illis tribuatur Cauſa de republic. bene merendi.

Deinde illis cogitandum ut idem pro ſextio perorat, virorum fortium magnorumque hominum corpus eſſe mortale, animam vero & virtutis gloriam ſempiternam, quando in hoc opere Hiſtorico eorum, quibus aliqua communicare libuerit, nomina, dum Mundus ſtabit, permanebunt, quod majus erit, quam ſi denumerare ſtellas aut magnitudinem Mundi metiri

poſſe arbitrentur, Meminerint quod hæc ampla ſint, hæc divina, hæc immortalia, quod eorum fama celebratur morum mentis, annalibus mandetur, poſteritati propagatur, ut nec oblivione eorum, qui nunc ſunt, nec retinentia poſterorum ſepulta eſſe poſſit, cum omnibus immortale monumentum â me exſtruetur, quod efficiet, ut brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſoletur & abſentes adſint, mortui vivant, igitur id, qui laudem, qui dignitatem; qui gloriam quærunt, attendent. accedit, quod & omnes: ut infra dicam reali præmio pro navanda opera âme donabuntur.

Porro turpe eſt in Patria eſſe peregrinum hoſpitem & advenam nedum, ut alii volunt puerum. Turpe eſt id neſcire in Patriæ ſtatu, cujus ſcientiæ Cauſa tot itinera & peregrinationes in exteris terris ſuſcipiuntur. Quo circa hic apprime opportuna & commoda erit tabella, quam in ſelectis Chriſtiani orbis deliciis in ipſo limine proponit *Franciſcus Sweertius* Antverpienſis, in qua, quæ ab itinerante Nobili aut privato in regionibus obſervari ac notari merentur in uno quaſi conſpectu ſiſtuntur. Ex qua Curiones intelligere poterunt, de quibus me informare expediat, quamvis in ſerius ſpecialia puncta, de quibus relatio petitur â me referentur

In itineribus obſervandorum Synopſis.

In peregrinationibus Obſervanda.

- I. Regio, in qua conſideranda Nomina
  - Vetera.
  - Recentia.
  - Sæpe mutata.
- II. Ditio hominum
  - Superiorum.
  - Noſtrorum.
- III. Nomen Urbis ſeu loci, & ratio Nominis ſi extet, Item conditor, amplificator aut Inſtaurator.
- IV.
  - 1 Flumina eaque aut
    - Allambentia
    - prope diſtantia
    - Deducta
      - Navigabilia vel non
      - Piſcoſa vel non
  - 2. Mare Canales ſtagnum lacus alluens aut portus
  - 3. Montes. Valles.
  - 4. Sylvæ. Nemora, aut ſi quod aliud inſigne
- V. Opera & hæc
  - vel publica
    - Sacra
      - Baſilicæ
      - Monaſteria
      - Templa.
    - Profana
      - Palatia, Arces, Fora, Armamentaria, propiùgnacula, turres & ratio munitionis.
  - Vel privata
    - ut quæ in Civium ædibus ſunt inſignia, Veluti Horti, picturæ, Muſea Bibliothecæ. Fontes. Statuæ.
- VI. Ratio gubernationis, ad quam pertinent.
  - 1. Curia, in eaque ſenatores & honeſtiores Civium familiæ.
  - 2. Scholæ, ratio educationis & inſtitutionis Pueritiæ. Item viri docti et Biblithecæ
  - 3. Vulgi mores & idioma quo ſpectat ratio victus & veſtitus, item Opificia.

Dicam nunc Præliminariter quid libri Patriæ ſtatum referentes tam privatis quam Principibus proſint, unde, quia ejusmodi libris adhuc caret publicum, facile conjicere poſſunt Curiones, quantum vel ipſos Principes obligaturi ſint, ſi vel anſam vel materiam ſuggeſſerint conſcribendis ejusmodi Voluminibus, in quibus Patriæ Hiſtoriam legere & in ea ſe verſatos reddere poſſint, ut quibus Imperium conceſſum eſt, in diſtrictuum ſubjectorum cognitionem perveniant. Nihil enim â Principe expectandum, qui non fuerit Hiſtoriæ Patriæ cognitione inſtructus, quod nunc paucis oſtendam, ut quanta ex meo opere geo-topographico Hiſtorico utilitas ſit exſpectanda ii colligant qui illi materiam ſunt præbituri.

M. T. Cicero in Oratore nº. 120. pulchre Principem his inſtituit verbis: *Cognoſcat etiam rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem ſed & imperiorum, populorum & Regum illuſtrium ideſt prædeceſſorum ſuorum benefacta: Neſcire autem quid antea, quam natus ſis, acciderit, id eſt, ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi cum memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexit.*

Sane

Sane Hiſtoriæ Patriæ lectio Principi utilis eſt, imò neceſſaria, quæ novitii Principis mentem nondum inſtructam formet, dum perfecti regiminis uſum ex prædeceſſorum factis & fatis colligit, ſic enim optimis eorum Exemplis ad egregias Virtutum actiones informare & accendere valet. *Ne age Principem*, dicebat ſolon, *niſi eſſe didiceris.* Egregium eſt *Baſilii* Imperatoris monitum ad *Leonem* filium, optimæ ſpei adolescentem, (un ait: *per Hiſtorias veteres ire ne recuſa: ibi enim reperies ſine labore, quod alii cum labore colligerunt, atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, humanæ vitæ mutationes, Varias & rerum in ea converſiones, Mundi hujus inſtabilitates & imperiorum præcipites Caſus, at uno verbo complectar malorum facinorum pœnas & bonorum præmia, quorum illa fugias, ne in juſtitiæ divinæ manus incidas, hæc Complectaris, ut præmiis, quæ illa comitantur, potiaris.*

Tandem Patriæ ſuæ Hiſtoriam, ejusque lectionem & ſcientiam Principi ſumme neceſſariam docet *Max. Tyrius Diſſertatione* 12. idiomate græco, Cujus hæc eſt interpretatio: *Nihil eſt jucundius quam in Hiſtoria* (*inprimis* Patriæ) *ver-*

ſari, quam ſine labore ullo poſſum divagari, Omnes ſimul locos intueri, omnibus bellis ſine periculo intereſſe, infinitum temporis ſpatium, resque geſtas ſimul cognoſcere &c.

Inde Princeps (quo neminem decet vel meliora ſcire vel plura, ut ejus doctrina omnibus poſſit prodeſſe ſubjectis (ut *Vegetius* illud oraculum militare dicit, commodius faciliusque fit ſapiens, regimini idoneus, ſubditis charus, omnibus Amabilis. Ad Hiſtoriam Patriæ ceu vitæ Magiſtram principem allicit his verbis lib. 1. *Hoc eſt illud præcipue in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum omnia te Exemplis documenta in illuſtri poſita intueri, ut inde tibi tuæque Reip. quod imitère capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* Sic aliquando Epiſcoporum Monaſterienſium vitas nunc fere abſolutas in lucem proferre eſt animus, *in iis* enim, ut inquit *Caſſiodorus* lib. 8. *prudens invenit ut ſapientior fiat, inde bellator reperit, unde animi virtute roboretur, inde Princeps accipit, quomodo ſubditos ſub æqualitate componat.* Egregie *Palatium Reginæ Eloquentiæ* inquit: *Certe non Principis illæ dignæ laudes fuerint ſi forma-*

formoſus videatur: Mulierculanum laus eſt: Non ſi robur & Vires efferuntur, Atletharum eſt: Non ſi Divitiae praedicentur ab omnibus, negotiatorum eſt. Sed illa Principis laus eſt, Si plurima ſapiat praeterita reſpiciens, futura proſpiciens.

Cum igitur tam utilis, tam neceſſaria ſit Hiſtoriæ Patriæ lectio, ſufficienter agnoſcent Curiones magni ingenii Viri, ſi cum nondum liber detur, ex qua illa cognoſci valeat, quanto beneficio vel ipſos Principes obligaturi ſint, ſi adverſaria Patriæ ad condendam ejus Hiſtoriam communi caverint. *Vita* glorioſi principis *Chriſtophori Bernardi* â Cl. *Alpeno* duobus tomis deſcripta ad informandum Patriæ Monaſt. principem ſervire poteſt. Hoc prævidens *Alpenus* tria Exemplarium millia imprimi fecit, quorum ſaltem mille officinis mercatoriis illata facta ſunt toga piperis, cum tamen hodie quanto cunque libet pretio Exemplar ſumme deſideratum ſolvatur, & nequidem pro tali haberi poſſit. Sic quoque Monumentorum meorum Monaſt. decuriis me adhuc in Vita ſuperſtite invidia paſſim inſtigante etſi. Vilius foret, pretium attamen hæc minime moraremur *judicium melius poſteritatis erit.*

Etnim

Etnim niſi plurimorum fallat prognoſticon Dabitur tempus, ubi Exemplar nullum qualicunque etiam pretio in Bibliopoliis obtineri poterit. Utinam Modo Vires vitaque ſufficiant iſtis perficiendis, vel ſaltem poſt mea fata. Manuſcripta; mea in talium manus incidant, qui in ordinem atque Decurias adverſaria mea tanto Studio tot annis collecta rediactaque prælo parent.

His Argumentis confiſus tandem Sermonem meum ad vos Curiones, quos alit Diœceſis Monaſterienſis, & quos locorum eu parochiarum adjectum ſequens Alphabetum deſignat, converto, ut in Eccleſiarum veſtrarum Archivis aut aliunde juxta veſtram prudentiam & communicandorum Elenchum mihi, quæ ſerviunt, Hiſtoriæ Patriæ, referre dignemini, ut nomina veſtra immortali Poſteritatis memoria inſeratis. Univerſa Patria hoc ſane agnitura eſt beneficium et quia *M. T. Cicero* in oratione pro Sextio eos, qui Patriæ ſerviunt, in Deorum immortalium cœtu ac numero reponit, Vobis ſaltem juxta bonam intentionem bene meritum in Cœlis eſt futurum.

Ut Vero temporali quoque præmio gaudeatis, primum operis Geo-Topographico-Hiſtorici Tomum omnibus atque

Singu-

ſingulis pro opera navanda offerre donareque promittimus, ea tamen Conditione, ut pro tomo 2do tres Imperii Rom. Florenos prænumerare non gravemini, cum tomi quoque primi idem facile futurum ſit pretium ut vili pretio utrumque Volumen & ſic totum opus Hiſtoricum Patriæ habeatis. Quo Vero pateat qui illo præmio gaudere valeant, Omnium Diœceſeos Monaſt. locorum, quibus utique Parochi præſunt, conſcribam Catalogum ex quo ex ſigno milliarium addito ſit manifeſtum, quantum ab Urbe Metropolitana ſingula loca diſtent.

Difficulter & vix hactenus ex Archivis Variarum congregationum ſeu Collegiorum Virginum Nobilium & fundationis & diverſarum per ſecula tranſactionum litteras nanciſci potuimus ex Vano metu, ex earum publicatione litium cauſas futuras. Dici poſſet illarum Archiva quaſi theſauraria veluti poma aurea in horto Hesperidum â Dracone Vigili Cuſtodiri, cum tamen experientia ſufficienter doceat, ex publicatis Variis Diplomatibus ac tabulariis nſi Controverſiæ poſſe Conſequi, cum vel ſola poſſeſſio atque longiſſimi temporis præſcriptio privilegia quæ cunque ſervare potis ſint. Paſtores itaque longe prudentiores, & ſi alicu-

nterfuſa fluminibus, hæc cum ad laudem patriæ faciant, quoque recenſeantur.

Cum igitur patria exigat juxta moralem doctrinam â patriota obſequium, ut naturalia vel arte acquiſita dona tentet ſervitiis ac honori patriæ impendere etiam cum vitæ impendio, ſi tutela patriæ requirat; ideo Curiones ſeu parochos, quorum curæ certa eſt demandata provincia, ſive patriæ diſtrictus; nullus dubito, erga reciprocam meam obligationem hoc mihi præſtituros beneficii, ut hæc aliave memoratu digna ſibi viſa in ſcriptis communicare non graventur.

Præ-

Digitized by Google

TOMI III.

COMMERCII LITTERARII
Epiſtola Amoebaea I.
PYLADES ad ORESTEM
DE
CRUCE HERALDICA
ET
MONETARIA.

NOviſti, Oreſtes amantiſſime, in Hiſtoria mea Bibliographica *Commercii Litterarii Tom. I.* ſubjuncta Diſſertationis cujusdam meæ de CRUCE feciſſe mentionem, in qua quidem non de illa ceu *Patibularia*, de qua doctiſſimus *Lipſius*, & poſt eum *Jacob Gretſerus Soc. Jeſu* præclarum lumen copioſe ſatis, atque ornatè pertractarunt; Non de ipſa Salvatoris noſtri *Paſſionali* Cruce, de qua *Jacobus Boſius* Idiomate primum Italico, dein Latino elegantiſſimè ac fuſiſſimè ſcripſit; Non de Crucibus Romanis *Stationalibus*, de quibus luculenter egit *Joan. Ciampinus* Veterum Monumentor. *Part. II. C.VI. p.*38. *ſqq.*

Non de Crucibus *Pluvialibus* prodigioſis, quas ſpeciali *Diatribe* Anno MDCLXI. Romæ edita deſcripſit immortalis *Athanaſius Kircherus* & nos quoque de iis *Tom. II. Commerc. Litt. Epiſt. VI. & VII.* mentionem fecimus, agere conſtitueram, cum ſcopus meus eò præcipuè collimaret, ut originem Signi Crucis tam in Nummis, quam Sigillis, ejusque diverſitatem, tum & variam in Heraldicis ſignificationem explanarem. Quare nec de Cruce *Icuncularia*, quam prædictus veterum Monumentorum conditor *Part. II. Cap. VI. pag.* 49. ceu admodum raram exhibet.

Neque de Cruce *Pectorali*, quam Epiſcopi olim ad pectus adpenſam deferebant. Non de Crucibus *Nigris*, ſive nigro velatis, quas *Gregorianas* vocant, de quibus Canguis Gloſſar. *h. v.* capioſe ediſſerit; Non de Crucibus in Triviis viarum erectis, ac loco deſtructorum *Bacchi* Simulacrorum ad delendum priſcæ ſpurcitiei memoriam ſubſtitutis, atque inde hodiedum *Baken* dictis, de quibus *Decuria prima Monumentorum Monaſt.* Monumento Secundo ALBACHTO Sacr. *p.* 42. *ſqq.* Litt. H. Studiosè actum eſt.

Non de Cruce *Paſſionali*, vulgo *Paſſions-Creutz*, utpote ſingula Paſſionis inſtrumenta apertè referente, quas Patres Capucini cœnobiis ſuis ad plateam publicam augendæ tranſeuntium devotioni præfigere aſſolent, de cujus myſterio ac ritu erigendi conſule dictorum Patrum Ritualia ac Pontificum utique hanc in rem conceſſas Bullas atque Brevia. Quo faciunt ſingulares ænei Nummi, iidemque minimi moduli, Bractei, ſive cavi, omnia paſſi Chriſti Inſtrumenta præter Solem & Lunam

Lunam apertè exhibentes. Rari certè & nunquam alias, ſi unicum muſei mei excipio, à me viſi. Eſt ille Cœsfeldienſes inter denarios, quos *Chorales* vocant, mihi nuper oblatus.

Notum eſt Clero Horas diurnas alterno choro decantanti hæc ſigna pecuniæ vicem (*Præſentias* appellant) diſtribui ſolita.

Quotquot vidi, & poſſideo, nomen *S. Lamberti* præferunt in nonnullis addito: *Canta.* Proin conjectura aſſequi fas ſit, Templi Lambertini Cœsfeldienſis Clero hos denarios Præſentiarum loco ad manus extradi, noſtrum vero Nummulum tempore ſive Hebdomada *Paſſionis* atque *Sancta* diſtribui obtinuiſſe. Neque de Crucibus *Quadratis* panibus olim impreſſis hic nobis fuſius agendum imponimus, de quarum Symbolo latè diſcurrit Aringhus Roma Subterranea *Part. II. Lib. V. Cap. IX. pag.* 279. *ſeqq.* quem efformandi morem non tantum ab Ethnicis & Judæis mutuatum, ſed & ab ipſis Chriſtianis in reverentiam typi Crucis religioſe poſtea adoptatum ex non unis antiquiſſimi ævi Monumentis præter alios ſummi nominis Scriptores præcipuè Baronius in *Annalibus* ſuis *Eccleſiaſticis* diligenter obſervavit, atque hæc figura panis eſt, de qua plures inter Poetas Virgilius in Mureto:

Format opus palmaque ſuum dilatat in orbem,
Et notat expreſſis æquo diſcrimine quadris.

Atqui hoc non de orbiculari menſa, ſed de pane accipiendum eſſe docet Martialis *L. I. Epigr.* 76. *Nec te liba juvant, ſed ſecta quadrata placenta.*

Quod & confirmat Heſiodus Athanæus, *Blomilios*, inquiens, *panes vocari dicunt habentes inciſiones* (nempe in ſignum quadratæ Crucis) quos Romani *quadratos* vocant. At quo tandem expunctæ Ethnicorum Judæorumque ritus hujus vanitati ob Crucis reverentiam myſterioſa ſignificatio ſurrogaretur, ejusmodi Crucis panibus impreſſam formam vetus Chriſtianorum non tantum probavit, verum quoque induxit conſuetudo, ut Sacroſanctum deſignaret Euchariſtiæ Myſterium, quando in Chriſti Salvatoris noſtri in Cathedra ſedentis ſinu poſiti conſpiciuntur, teſtibus priſcis Baſilicarum Almæ Urbis non unis Monumentis, de quo operosè præcitatus *Romæ Subterraneæ* author citato loco.

Minus multo de Cruce, quam ex aſſatura Agni Paſchalis myſteriosè præſignatam ſuſtinebat primævorum Chriſtianorum devotio, ut apertè refert *Juſtinus* Martyr Dialogo cum Triphone Judæo (non Triphone Miſchnico) *pag.* 30. *Edit. Paris. MDLIV.* inquiens: *Agnus ille, quem aſſum juſſu Dei eſſe oportebat, paſſionis, ſuppliciique Crucis, quo Chriſtus afficiendus erat, fuit ſignificatio. Agni enim, qui aſſus redditur, carnes dum, ut ita dicam, aſſantur, ſpeciem Crucis præferunt. Unum n rectum veru ab infimis partibus ad Caput pervenit, unumque rurſus, quod per dorſum pertinet, cui agni pedes conjunguntur.* De quo pluribus conſulendus J. Chr. Harenbergius *Exercitatione* de *Crucis ſigno ſymbolo ſalutis frontibus piorum Iſraelitarum imponendo ad Ezech. IX.* 4. quæ extat *Bibliotheca Bremenſ. Claſſ. VI. Faſcic. VI. N. III. pag.* 1080. *ſqq.* Neque ad me ſpectant Cruces *Gem-*

Gemmatæ; quas Conſtantinus M. & Succedentes Imperatores, præcipuè vero Summi Pontifices immenſis ſumptibus exornarunt, de quibus præcitati *Baronius*, *Aringhus*, *Ciampinus*, aliique non vulgaria tractarunt.


Non de Crucibus natura operante aut manifeſto prodigio genitis, quarum cenſu unam alteramve ex centum pluribus delectam referri ſufficiat. Illam quidem, quam Jo. Craſſettus S. J. Presbyter *Hiſtoria Japoniæ Eccleſiaſtica* (*).

Altera vero Anno 1700, menſe Januario a milite præſidiario Fortalitii Gedanenſis, quod oſtio viſtulæ proximum eſt, cum truncum Faginæ arboris ſecuri finderet, detecta. Hanc ad Chiliarchum ſuum cum detuliſſet prodigio perculſus miles is eamque ad vitæ dies reverenter ſervaſſet, poſt obitum â Senatu ad Urbem translata Bibliothecæ publicæ cum aliis Cimæliis cuſtodienda traditur. Longa erat pedem unum cum pollicibus, ex uno latere elevata, in alio profunde defixa. Color utrimque fuſcus, ſive ſubniger, illic maculas quasdam flavas, hic nigredinem præferens, tanquam candenti ferro exuſtam. *Joh. Chriſtoph. Gottwald* M. D. & Prof. Gedanenſis de hac Cruce *Cogitata* ſua typo expoſuit Anno MDCCV. menſe Octobri *Novis Literariis maris Balthici d. Anno pag. 299. ſqq.* relata.

De-

(*) Ausführliche Geſchicht der Japoneſiſchen Kirchen rc. MDCCXXXVIII. pag.

Demum nec huc faciunt Cruces inverſæ ſive triangulo inverſo ſubnexæ aut alio modo excogitatæ.



De quibus integro tractatulo agit *Joannes Baptiſta porta de occultis litterarum notis* paſſim ære expreſſis, ſed totidem meri ingenii figmenta redolentibus, unde nec eſt, quod de his Crucium parergis ſimus ſoliciti. Quia vero ad Profeſſionem medicam atque Chymicam proximius accedunt, tuum profecto erit, amiciſſime *Oreſtes*, eadem, quamvis ſub alia notione uberiori Commentario proximis otiis colluſtrare.

Denique nec opus mihi eſt in Crucis laudem integrum opus compilando excurrere dudum namque & ante alios omnes hoc præſtitit magnencius. Tabænus Maurus incomporabilis Fuldenſium Abbas in Laudem S. Crucis opus congerens *eruditione, verſu, proſaque Mirificum*, Cura Jac. Wimphelingii in Lucem promotum, qui illud non tantum Mirificum , ſed & Artificioſiſſimum vocat in Laudem Sanctæ Crucis Laborioſiſſimo Carmine contentum; *In quo multa Chriſtianæ fidei Myſteria, Multos Myſticos Numeros, Angelorum, Virtutum, Donorum, Beatitudinem, Elementorum, Temporum, plagarum Menſium,*

Digitized by Google

ſium, Ventorum, Librorum Moſi, hujus nominis Adam, & aliarum nobilium rerum, vim & Dignitatem Sanctæ Cruci *convenire & adaptari poſſe demonſtrat &c. &c.*

Apud Gentiles Crux opprobrium, ignominia & horror erat, poſtquam Chriſtus Dominus eam bajulavit, in eaque extremum fudit ſpiritum, apud Chriſtianos facta eſt honor, dignitas & voluptas. Poſtquam facta eſt Redemptionis noſtræ inſtrumentum, illum adepta eſt honorem & gloriam, ut mundi Principes ejus imaginem & figuram non tantum pro inſignibus elegerint, ſed etiam in ſuis Numismatibus expreſſerint, atque monetis, imo & in veſtibus ac Palliis Militiæ Sacræ Equites depinxerint, ut memorat Rudolphi Heraldica Curioſa *Part. II. Cap. I.* Ita Equites S. Sepulchri rubei coloris Cruces veſtibus ſuis impreſſas geſtant. Hoſpitalariorum Equitum arma ſunt Baltheum rubrum militari enſe munitum cum alba Cruce, exterius vero chlamis atri coloris ſcum alba Cruce octogena, idque parte ſiniſtra. Hinc plerique in pace *alba*, in Bello autem rubra Cruce conſpicui exiſtunt.

Templariorum erat Pallium candidum *rubea* Cruce.

Teutonicorum Pallium album *nigra* Cruce.

Gladiatorum, qui præter Cruces, inſigne in veſtibus gerebant gladios, his ipſis innuentes ſe militaturos pro defenſione fidei contra Paganos. Equites Divi Jacobi (ſive bellum ſive pax ſit, ſignantur Cruce, quæ ante pectus militaris ſpathæ capulum exprimit.

Digitized by Google


Equites S. Trinitatis Pallio albo cœruleo & rubenti Cruce ſignato induuntur.

Militibus Jeſu Chriſti Crux partim rubea, partim candida in nigro pallio eſt affixa. Imo Ordo Teutonicus, Melitenſis, S. Jacobi in *Hiſpania*, Calatrava & Alicantara in eadem, Avis & Jeſu Chriſti in *Portugalia*, S. Mauritii & Lazari in *Sabaudia*, Stephani in *Florentia* peculiaris conſormationis Cruces geſtant, quas â nobis typo exponi non exiges, ceu ex non uno Authore ſat ſuperque cognitas.

Ita nunc Crux glorioſa triumphans in Equitum Religioſorum veſtibus, in Inſignibus, in Nummis, imo & in ipſis quoque ſexûs fœminei collis fulgida reſplendet. Poſteaquam etiam Inſignia tum gentilitia ſeu familiarum diſtinctiva, nec non Societates, Communitates, Civitates, Facultates &c. à primo poſt reparatam ſalutem ævo aſſumpſerant, etiam Eccleſiarum ſcuta Inſignibus dignitatis, inter quæ Crux eminet, ornata ſunt. Ita Cathedræ celebratiores *Colonienſis*, *Trevirenſis*, *Spirenſis*, *Conſtantienſis*, *Paderbornenſis*, *Fuldenſis*, *Ultrajectina*, *Merſeburgenſis*, *Lubeccenſis*, *Verdunenſis*, *Viennenſis*, *Ratzeburgenſis & Sanctenſis &c.* Eccleſiæ hoc ſalutis ſignum in ſuis Inſignibus ſuſceperunt, quæ omnes tamen Cruces vel figura vel colore penitus diverſæ ſunt. Neque Solis Eccleſiis Cruces tribuendas ſtatuamus, etiam ſecularibus numero decuplo pluribus has aſſumptas eſſe conſtat ex Rudolphi *Heraldica Curioſa*. Et licet Monogrammata ipſis Crucibus coæva exiſtant, ipſis tamen illa ſæpius intertexta fuiſſe Tabulæ Oſnabrugenſi

Digitized by Google

genſi Eccleſiæ Trutmanno Comiti anno Dominicæ Incarnationis DCCCIV. datæ & Grammatibus KAROLUS intermediæ Cruci undequaque contiguis ſigillatæ teſtantur, ut non tantum Nicolaus Schatenus atque Eminentiſſimus Monumentorum Paderbornenſium auctor ſat accuratè expreſſerunt, Stangefolium in hoc corrigentes, ſed & egomet in *Diplomatis Oſnabrugenſis* Vindicata Veritate ex Autographo ſub hoc typo





reexhibui.

Quemadmodum quoque harum calculo ad numeranda Crux eſt in ſigillo plumbeo Tabulis Altfridi Hildeſienſis Epiſcopi appenſo conſpicua, quibus Fundationem Eſſendienſem anno DCCCLXXVII. *ſub piiſſimo Rege Ludovico anno* Imperii ejus XXXVI. apud Coloniam Civitatem. *V. Kalendarum Octobrium in ipſa die Dedicationis Baſilicæ Sti Petri &c. &c.* confirmavit Rariſſimi Exempli ad hoc ævum figura, cui quidem ſimilem expoſuit Joës Petrus Ludewig *Collect. Scriptor*

 Wir-

Wirzeburgenſ. in vita *Adelberti* XXI. Epiſcopi *pag.* 474. ad annum MLVIII. Ceu Tabulis dicti Præſulis ſubnexam. Lectoris gratia utriusque hic adjicitur typus ex Commentariis meis Eſſendienſibus huc translatus:





Diverſas autem Crucis Figuras Inſignium loco in nummis Imperatorum expreſſas obſervare eſt, ut in nummis *Flavii Olybii* ejusque in Imperio Succeſſoris *Glycerii*, nec non *Zenonis* Imperatorum, quos ab anno Chriſti CCCCLXXII. ad annum CCCCXCI. vixiſſe hiſtoriæ referunt. *Anaſtaſium* quoque proximè poſt *Zenonem* Imperium moderatum Chriſti Monogramma appoſito ad utrumque latus aſteriſco pro inſigni geſtaſſe ex ejus nummo conſpicuum eſt.

Con-

Digitized by Google

Conſtantinus VI. ſub hoc Crucis ſigno â Superioribus diverſo inſignium ſuorum digma in nummo renovavit. Aliam Crucis Figuram à Ludovico *Bavaro* uſurpatam eſſe ex ejus pariter nummo colligitur.

Hinc nata tot Crucis Figurarum in ſcutis varietas.

Quisquis in re Heraldica non hoſpes ignorat, decuſſatas, pedatas, ſtriatas, ſerratas, furcatas, truncatas, à margine ſejunctas, perſoratas, capitibus ſerpentinis terminatas, trifoliatas, brachiatas, liliatas, ſpeculatas, columnares, graduatas, in ſagittarum ſpeciem, in rotundam formam, in cuſpides terminatas, pluresque hiſce ſimiles, de quibus latius conſulatur prælaudati *Rudolphi Heraldica Curioſa pag.* 139. Nec non Tabulas æneas toti operi inſertas.

Haſce Cruces quot numero totidem & figuris diſcriminari exigebat neceſſitas. Non enim niſi ſigilla & ſigna diſtincta, ſed eâdem figurâ & Charactere rudi in Crucis formam efficta eſſent, familiarum, dignitatis, Dominii & Domanii diverſitatem deſignare potuiſſent.

Neque rarum erat & Crucis ſigno & peculiaribus adhuc ſigillis Diplomata & Codicillos roborare, ut ex Charta *Roffredi* Archi-Epiſcopi Beneventani apud Ughellum *Italia Sacra* ad annum MLXXVIII. conſtat. Ex quo hæc Dufrenius exſcripſit: *Nosmetipſi propria manu ſubſcribendo ſigno Sanctæ Crucis illud corroboravimus, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri præcepimus & demandavimus & ſigilli inſignia appendi voluimus.*

Crucis

Digitized by Google

Crucis ſigno non facile quid contingit antiquius, *Antiquiores enim* (inquit Marſil. Ficinus *de vita cælitus comparanda L.3.C.18. p.162.) Figuram Crucis cunctis anteponebant, quia corpora per virtutem agunt ad ſuperficiem diffuſam. Prima rerum ſuperficies Cruce deſcribitur, ſic enim imprimis habet longitudinem atque latitudinem. Primaque hæc figura eſt omnium recta, quam maximè & quatuor rectos angulos continet. Effectus vero cæleſtium maximè per rectitudinem radiorum, angulorumque reſultant &c.* Et iterum: *Crucem ergo veteres figuram eſſe dicebant, tum ſtellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis ſignaculum, ideoque habere ſummam in imaginibus poteſtatem ac vires & Spiritus ſuſcipere planetarum: Hæc autem opinio ab Ægyptiis vel inducta eſt, vel maxime confirmata, inter quorum Characteres Crux unus erat inſignis, vitam eorum more futuram ſignificans, eamque figuram pectori Serapidis inſculpebant. Ego vero, quod de Crucis fuit excellentia, fuit apud Ægyptios ante Chriſtum non tam muneris ſtellarum teſtimonium fuiſſe arbitror, quam virtutis præſagium, quam in Chriſto fuerat acceptura: Aſtrologi autem, qui ſtatim poſt Chriſtum fuerunt, videntes à Chriſtianis miranda per Crucem fieri, neſcientes autem vel nolentes in Jeſum tanta referre, in cæleſtia retuliſſe, quanquam conſiderare debebant per Crucem ipſam absque nomine* Jeſu *miracula minimè perpetrari.* Hactenus Marſilius Ficinus de *Cruce Gentilium.*

In ævo Chriſtianorum primam à *Conſtantino* M. traxit originem Crucis ſignum, de quo Lactantius de *Mort. perſecut. C.* 44. *commotus eſt inquiete Con-*

Conſtantinus, *ut cæleſte ſignum Dei notant in ſcutis atque ita prælium committeret. Fecit, ut juſſus eſt, & transverſa X. Littera ſummo capite circumflexo Chriſtum in ſcutis notat.* Mos exinde per orbem terrarum invaluit œcumenicus, ipſique adeo Romani vexilla ſua diſtinxêre figura, quæ Crucem præferret, notante Minutio Felice in Octavia. *Nam & ſigna ipſa & cantabra & vexilla Caſtrorum quid aliud quam inauratæ Cruces ſunt & ornatæ*, ut mirum videri non debeat apud Orthodoxam Chriſti gentem ſalutiferum hoc Crucis ſignum usque adeo ubique omnibusque invaluiſſe, ut templa & oratoria, ſcuta vexilla & textoriæ, Religioſorum Pallia, & Chlamides, verbo: Sacra profanaque omnia Cruce inſigniri conſueverint. Quare nefas ducebatur ſtructuram ſacram moliri, antequam fundum infixa Cruce dedicaſſent, quod expreſſe ſtatuit *Carolus M. Capitular. C. 229. Nemo ædificet Eccleſiam antequam civitatis Epiſcopus veniat & ibidem Crucem figat publice.* Atque hanc quoque normam laudabili perquam exemplo executus eſt Sereniſſimus Elector Epiſcopus noſter CLEMENS AUGUSTUS in conſtruendo ſplendidiſſimam CLEMENS - WERTHÆ arcem, jacto primo fundamento, in quo lapis Cruce ſignatus poſitus cum hac Inſcriptione:

In crVce DoMInI PaX, VIta reqVIes
& tVta habItatIo eſt.

De quo prolixior ſum in Monumentorum Monaſterienſium *Decuria II.* Monumento I. CLEMENS - WERTHÆ Sacro.

Sane

Sanè Ruſinus *l.* 2. *C.* 29. teſtatur Alexandrinos à Serapide ad Chriſtum converſos Crucis Dominicæ ſignum in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, parietibus, columnisque depinxiſſe. Taceo antiquiſſimi moris fuiſſe ad ſingulas actiones, quo felicius ſuccederent, hoc ſignum præmitti, ceu author eſt Cyrillus Hieros. Catech. 3. *Non pudeat nos*, inquit, *Crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter ſignaculum Crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus Crux fiat in panibus comedendis & in poculis bibendis, & in egreſſu & ingreſſu ante ſomnum, recumbendo & ſurgendo, eundo & quieſcendo.* Ex quibus plus quam liquido apparet longe antiquiorem & frequentiorem fuiſſe Crucis uſum, quam ut ad *Carolum M* & Epiſcopatus ab eo in Saxoniâ inſtitutas referatur, ut ſcutis gentilitiis, vexillis militaribus & condendis *Litteris* fuerit adhibita, ſicuti illam tabulis ſcripturisque publicè confirmandis tam à ſecularibus quam Eccleſiaſticis fuiſſe ſubſignatam Myrades Membranarum teſtatum faciunt. Quod igitur Deorum fuère inſignia, quod Fulmen *Jovi*, Ægis *Palladi*, Clavæ *Herculi*, caduceus *Mercurio*, hoc Crux debet eſſe *Chriſtiano*.

Hæc ubiqne ſit comes ſicut prædicti Dii ubique ſecum memorata fuerunt inſignia, & revera ſic fieri amat. *Inſignia ſua Germanorum arma* (inquit Conzenus *l.* 7. *C.* 5. §. 4.) *in moneta exprimunt omnibus imaginibus adduntur ad jurisdictionis indicium ſcribuntur. His Arces, Pontes, Telonia, limites Regionum inſigniuntur, Chriſtianis autem temporibus CHRISTUS* Signabat labarum clypeorum inſignia Chriſtus pinxerat &c.

Etiam

Etiam hodie dum ambitioſa Nobilitatis Inſignia Crucem præ ſe ferunt. Sic in armis Ducis Sabaudiæ, Archi-Epiſcopi & Ducis Rhemenſis, Epiſcopi & Comitis Catalaunenſis, Epiſcopi & Comitis Beluacenſis, qui tres ſunt *Pares* Franciæ, Crux ſpectatur. Nec minus in privatis Nobilium Inſignibus gentilitiis, ut *Bentingiorum* in Hollandia, *Burſeorum* Ahuſii, *Vördenorum* apud Vredenſes conſpicua eſt. Cum monetis Imperatorum & Principum imprimantur inſignia, ſic non raro illæ Cruce Heraldica ſignantur, unde hic quoque de *Cruce Monetaria* erit agendum. Specimina nobis dabit Liber non ita pridem Lipſiæ excuſus ſub titulo: **Das neu eröffnete Groſchen-Cabinet in verſchiedenen Fächen** 2c. quæ hic *Faſciculos* nominabimus, & ſub certis Paragraphis Nummos Cruce diverſa ſignatos proponemus, à plana ſeu ſimplici Cruce incipienda.

Crux Plana ſeu Simplex prædicti libri Faſciculus ſecundus *Tabula* 1*ma* *Num. I.* Nummum, quæ eſt moneta Imp. Ludovici *Pii & Num.* 4. Henrici Regis Crucem ſimplicem in angulis quatuor punctis notatam exhibet, quæ quid ſignificent, ſcriptor hic ignorat vid. *pag.* 13.

Tab. VII. Num. 58. Crux proponitur inſignia *Sigismundi* Ducis Auſtriæ quatuor angulis continens. *Faſc.* 3. *Tab. IV. Num.* 33. Crux Barchinonæ Civitatis depingitur, in cujus interſtitiis duo annuli ſunt & tria puncta, quæ tantum pro ornatu adjecta hic author credit.

Eodem *Faſc. Tab. X. Num.* 92. & *Faſc. IV. Tab. I. Num.* 3. 5. 7. 8. 10. ut & *Tab. II.* varios Num-

Nummos Cruce ſignatos oſtentat. Crux Evacuata ſeu potius Crux Crucem complexa eingefaſſetes Creutz. Hujus ſpecimen exhibet *Faſc. II. Tab. I. Num.* 3. & ſingulare prorſus *Tab. VII. Num.* 64. ab *Alberto* & *Eliſabetha* Cuſum. Crucem *Andreanam Burgundicam* faſciatam ſuperius coronatam, inferius appenſo aureo vellere exhibet. *Faſc. III. Tab. X. Num.* 84. & 86. Cruces quoque ejusmodi monſtrat.

Crux Hieroglyphica *Faſc. II. Tab.* 4. *N.* 33. Elegans Crux Hieroglyphica ſpectatur ſub Epigraphe *Firmamenta Regnorum*, & repræſentatur Bilance æqualibus lancibus inſtructa, habens Crucem pro manubrio ac ſceptrum & gladium inſtar Crucis decuſſata, qui fuit Nummus in Electione Ferdinandi III. Hungariæ & Bohemiæ *Regis* in Regem Romanorum 30. Decembris Anno MDCXXXVI. electi percuſſus. Imp. *Ferdinandi* Symbolum fuit Pietate & Juſtitia, quod per Crucem & Bilancem exprimitur. Videatur etiam *Tab. XII. Num.* 104. ubi Chriſtus Cruci affixus repræſentatur. Moneta cuſa eſt Anno MDCXXVII. Crux Patriarchalis ſive Hiſpanica. Sequentes Tabb. hanc oſtentant *Faſc. II. Tab. VIII. Num.* 70. & 73. Anno MDXXII. MDLX. & MDLXXIV. Nummis excuſſis.

Tab. IX. Num. 77. 78. & 80. eadem Crux ſub Imperatore Mathia Nummos percuſſos ſignavit.

Crux Coronata.

Spectanda ſe offert *Faſc. III. Tab. V. Num.* 44.

Faſc.

Digitized by Google

Faſc. IV. Tab. II. Num. 15. & in medio circulo coronata *Tab. III. Num.* 18. Et præter coronam lilio coronata *Tab. V. Num.* 33. 35. 37. 38.

Crux Anchorata Radiata.

Spectabilis hæc Crux eſt *Faſc. III. Tab. IX. Num.* 78. *pag.* 137. Hæc eſt moneta Neapolitana cum Epigraphe: In hoc ſigno vinces. Et *Faſc. IV. Tab. IX. Num.* 64. cum Epigraphe: Sit nomen Domini Benedictum.

Crux Liliata.

Moneta Gallica quam vocant *Double Sols Pariſien*, & *Douzain*, ut & *Piece de VI. Blancs.* Plerumque Liliata eſt, & in ſuis quatuor angulis vel in extremitatibus Crux Lilia. Obtinet vide *Faſc. IV. Tab. II. Num.* 14. *Tab. III. Num.* 19. *Tab. IV. Num.* 26. & alius formæ *Num.* 28. & adhuc alius *Num.* 30. ut & *Tab. XVI. Num.* 118.

Crux Florea. Ein Blumen-Creutz.

Faſc. IV. Tab. VI. Num. 50. *&* *Tab. XV. Num.* 110.

Crux Roſea.

Aſpice *Faſc. IV. Tab. II. Num.* 17. Vocatur Ein Kugelſtab - Creutz, ab hac Cruce nomen, obtinuit *Societas* Roſeæ Crucis, quæ potiſſimum indagini atque elaborationi ſophorum lapidis addicta eſt, alias quoque *ſe Fratres* Roris Cœli appellant, quia rorem pro materia Sophica Prima ſeu ſaltem ſecunda habent. Duplicem in duplici circulo hanc oſtendit Epigraphem inte-

rior Johannes Rex, exterior ✠. BENEDI-
CTV̄ : SIT : NOMĒ : DNI : NRI : DEY : HV. XPC :

Crux Patibulata. Ein Krücken-Creutz.

Talem oſtentat *Faſc. IV. Tab. VI. Num.* 41. in cujus quatuor angulis parvæ Cruces apparent cum Epigraphe: XPS. VIncit. XPS. RE. XPS. Imp. *Tab. VII. Num.* 49. *Crux patibulata liliata* ſpectatur.

Crux Sceptifera ſive ut Ovidius loquitur, Sceptruchæ, de quibus *Faſcic. IV. Tab. XII. Num.* 91. Has videre eſt in Ludovici XIV. Franciæ Regis Groſſis quos Pilerkes ſive Piſelkes vulgus patrium appellat.

Crux Clavata vulgo Kolben - Creutz, quas in Sigillis Nobilium occurentes in ære producit dictus Steinenus D. Hiſtor. March. d. *Tab. VIII. Num.* 4.

Crux Lanceata (Lanceata (Lantzen - ſive Hellbardier - Creutz) qualem idem author eodem tractatu in Nobilium Sigillo conſpiciendam *Tab. XIII. Num.* 2. in ære ſiſtit.

Similiter Crux Sagittaria (Pfeyll - Creutz) ex *Lüdgerſiorum* Inſigniis per patriam nota.

Crux Stellata. Ein Stern-Groſchen.

Talis ſe præſentat *Faſc. IV. Tab. III. Num.* 20. Moneta hæc appellatur *Blanc l'Etoile* ab ordine Equeſtri ſtellato cuſa, fundata à Rege *Johanne* anno MCCCLI.

Crux

Crux Litterata.

Talem ſpectare licet *Faſc. IV. Tab. VII. Num.* 51. *Tab. VIII. Num. LIX.* admodum ſpecioſa Crux habetur ex quatuor C ut placet Authori potius tamen in formam C flexis compoſita, & lilio in omni extremitate conſita. Et *Faſcic. III. Num.* 87. *Tab. X. p.* 146. explicatam 151.

Crux Scutifera.

Ex quinque in Crucis formam ſibi junctis ſcutis ſtructa, quod Portugaliæ Inſigne eſt *Faſc. III. Num.* 83. *& Num.* 92. *pag.* 137. *& pag.* 142.

Crux Trifoliata. Kleeblat-Creutz.

Faſc. III. Tab. IX. Num. 74. *pag.* 129. Plures ex hoc ſcriptore Anonymo Crucis formæ adduci poſſent, niſi has pro demonſtratione Crucis Monetariæ ſufficere crederem; Cruce igitur Chriſti Eccleſiarum & Epiſcoporum, Regum & Principum inſignia ſuperbiunt, & pretioſos Imperatorum Nummos patibuli ſalutaris pictura condecorat, ut Phraſi S. *Hieronymi* loquar. Moneta fere omnis Portugaliæ Crucem habet inſcriptam.

Crux liliata multorum Galliæ Regum Nummis impreſſa eſt, & ipſi Romani Imperatores Nummis ſuis inauguralibus Crucem inſcripſerunt. Vexilla militum Imp. *Conſtantini* Cruce inſignita fuiſſe modo ſupra monuimus, poſtquam in Cælo viderat Crucem Victoriæ ſymbolum cum Inſcriptione: In hoc Signo Vinces. Ubi quidem hoc ſingulariter notandum eſt, in illius Nummi parte averſa, in qua legitur VICTORIÆ LÆTÆ PRINC. PERP. cum duabus Victoriis in medio

 Cly-

Clypeum ſuſtinentibus & Epigraphe : VOT. P. R. (*) ſuppoſito cippo Crucem cerni ✠. non X, ut Mediobarbo malè viſum fuiſſe ſcitè animadvertit Joannes Vignolius in *Antiquior. Pontif. Roman. Denariis* apud Benedictum Floravantem *pag.* 6. Patriarchis in publicis ſupplicationibus Crux *duplicata*, Pontificibus vero Crux *triplicata* præfertur. Enimvero ipſa olim templa in Crucis formam undique terrarum ædificata fuiſſe tot per univerſam Europam usque hodie conſpicua demonſtrant. Non mihi tempero, quin huc referam Crucem duplicatam ſolitario globo, ut & ſolitariam Crucem globo duplicato impoſitam. Utriusque exemplar in Bracteis Henrici, Friderici, aliorumque Imperatorum tum & Moguntiæ Archipræſulum maximè conſpicimus, de quibus in Hiſtoria Globi Crucigeri Symboli Majeſtatis & disquiſitione globi duplicati ſat acriter diſputat *Gottlieb Samuel Treveren*, quanquam author ille, ut hæc in tranſitu ac Laconica digreſſione lubeat diſcutere, multiplicatis globolis orbis imperantis Myſterium ſemper adhærere haud felicius evincat, quam celeberrimus *Pagius* illi globo in eſſe contendebat, quem in ſtatua *Elagabali* animadvertens inquit *pag.* 22. ſui operis: *Globus, quem manu elatum geſtat Elagabalus, orbem terrarum ſignificat, cujus ille imperium obtinebat.* Quem quidem globum trigonalem potius pilam eſſe in ludis Ætiis Pythiis adhiberi ſolitam eruditè monet *Jo. Vignolius* Bibliothecæ Vaticanæ clarus nuper præfectus, eru-

---

(*) i. e. VOTA POPVLI ROMANI.

æruditâ Diſſert. de Anno Imo *Imperii ſeveri Alexandri p. m.* 32. *ſqq.* Stipatus authoritate Hieronymi Mercurialis *Lib.* 2. *C.* 5. *de Arte Gymnaſt.* qui ſimiles pilas in Nummo M. *Aurely* à Bizantiis percuſſo ipſe deprehendit. Immo Vignolius hos globos potius pro pomis accipiendos eſſe dicit, quæ Victoribus in iisdem ludis unâ cum coronis præmio dabantur teſte Archiæ Epigrammate apud Hieronymum Megiſerum in Autholog. Veter. Græcor. quod Paulus Stephanus ita latinè dedit.

Hellas habet quatuor, quatuor Certamina Sacra,
Altera ſunt Superis, altera Sacra vivis.
Portuno Archemero Sacra ſunt phæboque, Jovique,
Pinum Oleaſtrum apium pomaque victor habet.

De globo duplici Cruce ſignato multa pridem obſervavit Heineccius Tract. de *ſigillis veter. Part. I. C. IX p.* 87. *Num. XXII.* ex quibus colliges Monetariis haud ſecus ac pictoribus poëtisque multa in ſimilibus rudiori adhuc ſeculo licuiſſe, quæ fruſtra myſteriis ac paradoxis adſcribas.

Mos fuit *Friderico* & *Ottoni IV. Impp.* loco ſceptri virgam manu geſtare duplici Cruce ornatam ſcilicet:

Crux datur Imperio ſpeciali jure ferenda,
Quippe vicem Chriſti tenet hic ad regna tuenda.

Ex virga illa ſive ſtipite Crucis teretes inſtar ramorum ſarculi ceu cunei prominent quaſi ſcalam præſentantes.

 Crux

Digitized by Google

Crux eſt ſcala Dei, ſpes, via, vita reis. Hac datur aſcenſus &c.

Schema eſt tale:



Chriſtiani nominis Imperatores poſt *Conſtantinum M.* ad Prædeceſſoris ſui exemplum hanc divinæ fidei & boni ominis Teſſeram *Conſtantino* viſam ſuis inferebant Labaris. Eant nunc cum ſuo Patre Staurophiliæ adverſarii & Crucem repudiant, quæ & ipſis mundi imperantibus maximo ſemper in honore fuit atque veneratione.

Dœmon Crucem fugit, unde meliori jure illi titulus *Fuga Dœmonis* quem Botanici herbæ Hyperico dedere, competit.

Hildeſii plateam potius plateæ angulum reperiri notum vulgo dictam **ſcheue Teuffel das Creutz.**

Hæc denominatio ortum ex eo habet, quod locus iſte à nocturnis aliquando orci Lemuribus infeſtatus, eumque quidam nocte concubia pertranſiens ab iis fuerit exagitatus, qui tamen omnes

forma-

Digitized by Google

ſormato Crucis ſigno verbisque præfatis ſubito in fugam acti triumphatorem conſtituerunt. Unde ad perpetuam rei memoriam platea hodie usque id nominis retinuit, erecto ibidem lapideo Monumento, cui Crux, una cum perantiquis Caracteribus inſculpta.

Cur locus iſte Crucem Dæmon fuga dictus? in iſto
Eſt quondam viſus terga dediſſe Cruci.
I! nunc ſperne Crucem vis aſſecla dæmonis eſſe,
Chriſticolæ ſummum Crux Diadema manet.

Tranſeundum nunc ad earum Crucium compagem, quæ in Nummis ſimul atque Inſignibus primarium locum promerentur. Nos plurium vicem nonnullas nobis occurrentes in medium proferemus aliorum marte augendas. Has inter ſe ſiſtit I. Crux Claviculata ſive *Clavigera.* Conſpicitur in variis ſummorum Pontificum Inſignibus Bullis, atque Nummis, ſpeciatim Leonis IV. de quo David Köhler Amœnit. Numiſmat. Part. XVIII. *pag.* 369. uti & *Clementis VI. Urbani V. Gregorii XI. Clementis VII. Bonifacii IX. Benedicti XIII. Innocent. VII. & VIII. Gregorii XII. Joannis XXIII.* aliorumque. Quemadmodum in Nummis Ladislai utriusque Siciliæ Regis cum Perigraphe:

SANCTVS PETRVS.

Hujus ut & dictorum Pontificum Deſcriptionem debemus Benedicto Floravanti in *Antiquis Pontif. Roman. Denariis à Benedicto XI. ad* Paulum III. Scholio illuſtratis *pag.* 43. *Tab. VI. Num. V.*

Digitized by Google

II. Duplici pedo conſtans. Hanc præ aliis exhibent Werthinenſium & Helmſtadienſium Abbatum, Principum Numiſmata & Inſignia. Quidni huc pertineant Epiſcoporum atque Abbatum, Abbatiſſarumque Principum Inſignia in Nummis & Sigillis pedo gladioque decuſſatim poſitis incumbentia ſeu quotidie obviis.

III. Oſſea Gallis Oſſuée. Et hæc non tantum Nummos, ſed & Inſignia exornat; in illis poſita *Tumbales* vulgo Sargpfenning appellitat. De his late agunt Rerum Erfurtenſium Scriptores. Æri in ciſos exhibet, doctoque Commentario enucleatos David Köhler *Amœnit. Numiſmat. Part XVII. p.* 289. *ſqq.* Immo ex Nummis ad Inſignia transmigraſſe Cruces *Oſſeas* teſtantur illæ *Barſawiorum* in Saxonia, de qua tractat *Heraldic Rudolphi Curioſa Tab. ad pag.* 181. usque 188. ad calcem *Num. V.* Atque his verbis deſcribit: **Zwey ſchregs ins Creutz geſetzte Todtenbeine an ihrer Farb, begleytet von 4. gülldenen Sternen, nach vier Ecken des Schildes in Blaw.**

IV. Liliata Fleur de liſées. Has vides in centenis Regum Galliarum Nummis & Sigillis, nec non in variorum Germaniæ Nobilium Sigillis & Inſignibus.

V. Crux Gladiata. Hæc præcipuè comparet in Nummis & Sigillis Saxoniæ Ducum tum & Sigillo *SUertæ Marchiæ* Civitatis, de qua vid. Stenenus in *Hiſtoria Weſtphalica Tom. II. p.* 1417. *Tab. XVIII. Num. I.* Idem in privatis *Diepenbrockiorum* aliisque Germaniæ Equeſtrium Sigillis.

VI. Spi-

Digitized by Google

VI. Spiculata Gallicè Fichée non Solum Verum etiam Freſenorum Patriæ Brunſuicenſium Nobilium Inſignia hanc præferunt. Vid. *Herald. Curioſ.p.* 144. *N. II.*

VII. Burgundica ſive Andreana earum numerum auget, quæ in monetis ac Inſignibus emicant, vide *Burgundiæ*, ut & Domûs *Brunſui-co-Lüneburgicæ* Numiſmata. *Dagſtulorum* Inſignia eandem ſibi vendicant, de qua ſignanter Author *Heral. Cur. Tab. V. ad pag.* 139. *Num.* 24. quam *pag.* 141.*ſqq.* exponit: **Wie im Gegentheil das ſchrege Creutz Burgundiſche, oder Andreas-Creutz** (*decuſſis ſive Crux decuſſata; Sautoir*) **nichts anders iſt, als die Vermiſchung des rechten und lincken Streiffs, wie Freyherrn von Dagſtul ein ſchwartzes im güldenen Schild haben.**

VIII. Crux ordinaria Gallis plaine. Ad hanc Claſſem præ ceteris ſpectat ut pote Archi-Epiſcoporum Electorum *Trevirenſis* & *Colonienſis*, pluriumque Epiſcoporum, Principum, eosque inter *Paderbornenſis*, *Conſtantienſis*, *Spirenſis*, *Ultrajectinæ*, *Merſeburgenſis*, aliorumque de quibus ſupra facta eſt mentio, Numiſmata atque Sigilla exornans.

Eisdem Nobilium *Ulfft* ad Rhenum inferiorem aliorumque Inſignia clarent. Vide *Herald. Cur. Tab. p.* 139. *Num.* 23. explicatam *pag.* 141.

Crucium in monetis pariter & ſigillis celebrium Syllabus non rejicit *Hieroſolymitanam* vulgo dictam ex urbis hujus inſignibus Imperatorum pla-

cito in Numiſmata translatam, qualem exhibent Nummi aurei *Heraclii* & *Philippici* apud Lev. Hulſium *Ser. Impp. Rom. Numiſm. Num.* 94. *pag.* 189. & *Num.* 102. *p.* 205. & apud Jacob. Bie *Tab.* 64. *p.* 168. in Nummis *Phocæ* & *Heraclii*; Ubi elegantem cum primis Heraclianæ Crucis reddit explicationem, nempe per quatuor Cruciculas totidem angulis affixas forte quatuor deſignari *Evangeliſtas*, nec non conſonam de Chriſti Cruce & paſſione Hiſtoriam, eamque per quatuor Orbis partes feliciter propagatam. Ex transverſis hujus Crucis brachiis litteram H. ſtipite vero erecto & medio. I. obſervat auctor principium nominis Chriſti nec non ipſiusmet Domini Jeſu exprimi, quod ex ipſiusmet Crucis figura apertius patebit.



Plures hujus generis Nummi ſunt, quorum notitiam otio abundantioribus commendamus, nobis ad metam properantibus ſufficit prætactarum ſiſtere typum, qui Lectoris mei curioſitatem atque indaginem expleat.




Ad-

Adducendæ ſuperſunt *Crucis triangulo* impoſitæ, in nummis potiſſimum medii ævi comparentes, quibus plerumque faſtigium ſacræ ædis denotatur, quales *Faſcic. Groſſorum V. Tab. I. & II.* poſt *pag.* 640. alios inter exhibet,

Horum viva exempla in Alma Urbe conſpicua tibi exhibent Floravantes Martinellus & Matthæus de Flentin libello ſub Titulo Italico: Roma Ricercata *nel ſuo ſito pag.* 58. ad Eccleſiam *S. Salvatoris ad Laurum à Campidoglio* dictam, & *pag.* 63. ad Eccleſiam Ara-Cœli ipſo loco veteris templi *Jovi Feretrio* dicati, ad quam aſcenditur per gradus Centum amplius ex marmore ævo *Quirini* effoſſo. Ut de Eccleſia *S. Auguſtini*, *Pantheon*, tum & Eccleſia *B. Mariæ*, cui à *Sole* nomen eſt, vulgo *la madonna del Sole* aliisque ejusdem Urbis nil memorem, ad quas itidem gradus numero plurimi aditum concedunt, planè admodum, ut in nummulorum propilæis luculenter ſpectavimus.

Quo præcipuè adhuc referendus eſt Nummus Piligrimi Colonienſium Archi-Epiſcopi, in cujus primo latere Propilæum templi cum Cruce ſupra, infra vero binis gradibus, & in circuitu Colonia Sancta, in alterius medio Crux, in cujus quatuor angulis vox Piligrimi & in ambitu Chuonradus Imp. En ejus typum:



Hic

Hic ille Nummis eſt, quem Medicorum decus *Thomas Bartholinus* Actis Medicis & Philoſophicis Hafnienſibus anni MDCLXXIII. *Part. I. Obſ.* 99. *pag.* 99. typo productum omninm ſorte primitus diſcutere, ut ut minus feliciter aggreſſus eſt; Tametſi quidem hunc numulum *Piligrimo* Archi-Epiſcopo Diſſertatiuncula ſpeciali annis lapſis vindicare non defuerim, laconiſmo tamen hoc loco oſtendere non detrecto, Bartholini opinionem nullo Hiſtoriæ fundamento aut teſtis ſynchroni elogio fulciri. Certe Bartholinus cum Conrado Imperatori minimè dubitavit. Verba illius ſunt: *Alter Nummus* (de geminis Regis Daniæ diſſerit) *peregrinus eſt, & claris Characteribus Chuonradum ſeu* Cunradum *Imperatorem deſignat cum Cruce, in qua literis diviſis vox* Piligrim *ſcribitur. In altero latere Sacellum Chriſtianum extat cum hac Inſcriptione;* SANCTA COLONIA. *An Sancta quædam hujus nominis Coloniæ unquam extiterit, expiſcari non licuit; In Martyrologio Romano nulla certe ejus fit mentio. An urbs ipſa, quæ Colonia Agrippina vulgo appellatur, Rheno imminens variis ſanctis nobilitata, ſancta hic vocetur dubito. Forſan Colonia piorum hominum in oriente ſacello erecto ſedem ſibi fixit, cum* Conradus *tertius Imperator in expeditione contra Turcas ad Hieroſolymam acceſſum aperiret, hincque peregrinantibus devoti itineris teſtem nummum hunc cuſum ſuſpicio eſt, quod vox* Piligrim *videtur confirmare. Qui optimè conjecerit, optimus vates eſto.* Hactenus Bartholinus, ſed hæc facile eſt pace Manium celeberrimi auctoris diluere. Imprimis Conradus Imperator

perator Piligrimo Archi-Epiſcopo vixit coævus, deinde Inſcriptio, SANCTA COLONIA non ſanctam ſpecialem Coloniæ extitiſſe claram, ſed ipſam Civitatem Coloniam denotare Lippis & tonſoribus non ignotum eſt. Ipſa ſigilli Agrippinæ urbis perigraphe hoc ultro evincit: SANCTA COLONIA Romanæ Eccleſiæ fidelis filia. Quemadmodum & Moguntiam Romanæ Eccleſiæ ſpecialem filiam non tantum DIVÆ atque AVREÆ, ſed & SANCTÆ connotatum promeruiſſe ſole clarius docet numulus argenteus a Cl. *Joannis* Rer. Mogunt. *Tom. III. Præfat. pag.* 5. *Num.* 5. typo exhibitus.

Accedit à Sanctitate Coloniæ Agrippinæ additum Sanctæ cognomen teſte Metro, etſi claudicante:

SANCTA COLONIA diceris, quia ſanguine tincta
Sanctorum meritis, quorum ſtas undique cincta.

Ita pariter *Sancta Treviris*, pro ut Aureis Litteris in porta quæ Abbatiam S:i. Matthiæ Reſpicit, ſcriptum adhuc hodiedum Legitur.

Vel ex his ni fallor, ſatis ſuperque expeditum eſt Nummum hunc non Conradi Imperatoris, minus multo in memoriam peregrinantium aut ſacri itineris ſed ab ipſomet Piligrimo Colonienſium Archipræſule, auſpiciis *Conradi* Imperatoris, quem Aquisgrani coronaverat, cuſum eſſe, quo porro ſpectat Propilæum Eccleſiæ Cruce inſignitum Metropolitanam Divi Petri Baſilicam indigitans. Sam. Wilhelm. Oetterſius libellum de antiquiſſimo *Piligrimi* Nummo edidit, etſi gratis hactenus à me perquiſitum. Titulus illi Teutonicus eſt:

Er-

Erleuchtung einer uhralten *Piligrimi* Münz (*) 4to, qui modo fuiſſet ad manum, uti qui nos hanc in rem plura docuiſſet, quorum notitia ægre deſtituimur.

Hujus porrò commatis eſt egregius Pipini Regis ex argento nummulus hoc typo contemplandus.



Adduxit illum author *Muſei Groſſ. Faſcic. IV. Tab. I. Num. I. pag.* 32. opinatus in averſa ſcalam ligneam (eine Baum-Leyter) ante Crucem repræſentari, quâ tamen ipſos ad aſcenſum templi gradus ſignificari nullus dubitat, & ſi quidem turrim eâ repræſentari putet auctor: Welche aber einen Thurm mit darauf geſetzten Creutz vorſtellen ſoll, cujus ſententiæ, qui faveat, nondum videre contigit. Rectius quidem ſentire pergit Inſcriptione contineri FRANCORVM REX incipiendo a Littera F. quam R. & A. ſequuntur. RE vero indigitari ly REX (**). Verum in hoc quoque Nummo

(*) Hujus ipſe mentionem facit *Collect. Hiſtor. Part. V. p.* 541. *Lit. F.*

(**) Die Schrifft, ſo wunderlich ſie auch ausſiehet, wird ohne Bedencken FRANCORUM REX zu leſen ſeyn, von F. anzufangen, darauf ein umgekehrtes R. und das A. folget, RE von REX aber iſt zuſammen gehangen.

Digitized by Google

mo explicando palam atque diſertius ceſpitat auctor Tractatus Titulo: **Neu eröffneter Ritter-Platz** *Sect. V.* ſive Hiſtoria Nummiſmatum Critica *pag.* 40. eundem una cum Nummo Oddonis Regis F. Olonia i. e. Sancta LOLONIA inſcripto, atque in ære qua in verſo modo expreſſum, qua perperam lectum exhibens. Juvat audire Authorem verbis vernaculis latinè redditis loquentem; Anno 1678. „in *Oedeskirchen* Principatus Mecklenburgici Pago, tunc parenti ſuo „vectigali ſub humo ad viri altitudinem urnam eſ„foſſam argenteis nummis veteribusque non exi„guo numero repletam: Notas in his quidem ex„tantes Runicas eſſe hariolatur, ex Crucibus vero, „quas in illis deprehendit, colligendum eſſe, „Nummos hos tempore, quo Orthodoxa Religio „iſtis oris introduci cœpit, fuiſſe percuſſos, tametſi „ejusmodi Cruces evidens ſemper Chriſtianæ fidei „non ferant indicium. In averſa aſtericos, pun„cta, circulosque conſpicit: In his porro Num„mis reperit author *quatuor numero lineas rectas,* „quas *numerales* vocat, ac totidem *pretii eorun„dem ſigna.*


Ad nectimus Nummorum perperam inſpectorum Ectypon, ex quibus penitius dignoſcat B. L. quantum hæc à genuina eorundem tum lectione tum notione diſcedant.

Lubeat nunc præmiſſa & cum primis circa Nummulum Pipini Francorum Regis, ut deviant, in viam reducere.

Primo malè *averſam* vocat ejus Paginam, ceu Imperantis ſive cudentis nomine claram proinde *pri-*

primam. (2.) Nummum Notoriè Pipini *Oddoni* ſive *Othoni* tribuit. (3.) Notas in iis extantes Runicas interpretatur, quæ citra dubium latinæ ſunt omnes. Mitto perquirere Cruces, puncta, circulosque, quos ſolus detegit. Mitto, inquam, tot alia Crucium figuratarum parerga, ac vanos pictorculorum luſus.

Proſcripta denique hic velim Heraldices blandimenta, ſola ſimplicis formæ effigiata Cruce Epiſtolio meo impoſiturus coronidem, qualis litterarum quaternione ex voce CRVX abs Athanaſio Kirchero *Diatribe* de prodigioſis crucibus *Part. III. pag.* 99. eruta ſignataque conſpicitur, cui meam adjunxi quas myſterioſa acroſtychæ lectionis interpretatione, ut cordi meo altè inſcriptas, ſic & tibi tuoque nomini conſecratas D. D.



O Crucem igitur magnificam & beatam! in Inſignibus glorioſam, in monetis pretioſam, ubique con-

concupitam, ubique ſanctam & venerandam! Apage igitur ſtaurolatras neque vero:

Hic Crucis ſignum, ſed quem deſignat adora.

Hanc de Crucis Heraldicæ & Monetariæ argumento Epiſtolam communicare tecum lubuit, ut pari, imo diffuſiore laudum Syrmate Crucem deprædicandi occaſionem nanciſcaris, illam equidem in Commercii litterarii noſtri Tomo tertio honoris cauſa primam eſſe percupio, Crucifixum ſupplex precatus, qui conatus utriusque noſtros conducere largiatur excitando amoris ſui foco, utpote quo nullum lignum teſte D. Ignatio apud Bart. *L.* 4. aptius eſt, quam illud ſanctæ Crucis. Vale; & Cruci hoc anno reſponſi primitias ſolve. Dabam in *Vicicurte* mea Idibus Januarii MDCCXLVIII.

Epiſtola Reſponſoria.

De Cruce Phyſico-Medica & Chymica.

EPiſtolam tuam, ampliſſime Pylades, de Cruce Heraldica & monetaria ſeu numiſmatica ita eleganter pertractantem aliquoties relegi, cui quid in eadem materia reſpondeam, non occurrit, permittes ergo cum.

De Medicis medici tractent fabrilia fabri. De Cruce quidem me reſpondere, ſub alio tamen Schemate, titulo atque reſpectu, ſi omnia de Cruce memoratu digna adferre placeret. Integrum poſſet condi *Gazophylacium Stavorotium* & nam de Cruce hiſtorice, Ethice politica, medico-phy-

ſice ac Chymice formari diſcurſus. Cujus hæc poſſent eſſe contenta.

Crux Characteriſtica triplici naturæ regno inſculpta.

Crux Varie Emblematice dilucidata.

Crux Cabaliſtica ingenioſa.

Crux hieroglyphica & ſymbolica verè primæ ſophorum materiæ ſignaculum.

Crux totius ſcientiæ Hermeticæ unica clavis & per eam palatium regium reſeratum, unde Crucis myſterioſa figura, in qua Crucis & lucis confinia explicata.

Crux Tackii in Rore adumbrata, Crux Symbolica totius orthochimiæ de Comitibus.

Priusquam vero de Cruce phyſico - medice & Chymice agam, aliqua ad tuam Epiſtolam reſponſi loco reponam.

In quem fundamenti Lapidem in Gloriæ Auguſtæ obeliſco honori Clemenswertho erecto adhuc ſaltem manuſcripto hoc luſi Epigrammate:

Hic lapis eſt, quo tota domus ſe maximè fulcit,
Hic lapis eſt iſta, primus in æde labor,
Hic lapis eſt, quo ſtante domus ſubſtucta manebit
Et domus hac primum parte cadente ruet
Crux hujuſce domus lapis eſt requiesque
Soſpite quo ſtabit, quo pereunte cadet.

Memoras ex Marſilio Ficino Crucis figuram apud gentiles ægyptios magno fuiſſe in æſtimio, fuſius igitur hic pertractari poſſet de Cruce Talismanica, quia ut Ficinus oſtendit in Crucem potiſſimum eſt pla-

planetarum influxus, ob figurationem in longitudinem & latitudinem vid. Pet. Fr. Arpe de prodigioſis naturæ & artis operibus Talismanes & amuleta dictis.

Facis ſub Cruce roſea ejus Societatis, quæ inde appellatur mentionem, poſſet de hac integer ſcribi Commentarius, ſi fraternitas dicta adhuc floreret, ejus axioma fuit.

In Cruce cum Sphæra latitat ſapientia vera, linea enim polaris ſuper lineam horizontalem Crucem conſtituit, quæ circulo incluſa facit viride æris philoſophicum, hinc oritur benedicta viriditas ſophorum. Videantur ſcripta Beccheri.

Affers Conſtantini M. Crucem cum Epigraphe in hoc vince: poſſem hic recenſere & Caroli M. tempore Imperii illius anno V. pridie nonas Junii in Eclipſi lunari ſignum Crucis apparuiſſe modo plane mirabili in luna referente Authore Chronici magni Belgici. Poſſem adducere ex ſuffrido presbytero anno 1582. tres viſas lunas & in medio Crucem anno 1517. Crux amœniſſima in aere viſa Authore Godefrido Monacho. Poſſem tibi monſtrare in cœlo exhibitum Cruci affixum ſervatorem quondam cum clavis & ſtillante ſanguine in Anglia Auguſti Die 8. ab hora pomerid. 3tia usque ad occaſum Solis anno 1188. Calviſio in Chronico notante, poſſem Cruces ex aere deciduas memorare ex Trithemio, Nauclero, Marquando Frehero vid. Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. anno 3. p. 46. Vid. etiam Ephem. G. Cur. Decad. 1. anno 1. obſ. 17. phil. habentur ſulphure & mercurio ſubtus Cruce ſignatis notati quos Dr. Phil. Jac. Sachs à Lewenheimb adducit.

Sed hiſce miſſis Cruces phyſicas, medicas, & Chymicas duntaxat propronam. Cruces phyſicas appello, quas natura ipſa Cruce ſignificavit, inter quas omnes præcœteris dignum eſt referri non Crux tantum ſed ipſe Crucifixus ex radice Crambe enatus adhuc hodie inter rariora Naturæ in Sacræ Cæſ. Majeſtatis Divi Leopoldi Cimeliarcho magnificentiſſimo adſervata, cujus tabulam ejusdem munificentia æri inciſam & inclyto naturæ curioſorum collegio communicatam. Vide in Ephemer. Germ. Cur. Decad. I. ann. I. p. 260. Sed hoc ſtupendum naturæ miraculum omnipotentem Jehovæ digitum demonſtrat, quando authoris ſui pro genere humano Crucifixi effigiem in hoc Crambes caule vivo quaſi expreſſit Charactere. Hiſtoria prolixior eſt, quam hoc loco inſeri valeat, quam vid. l. c.

Similes quoque Crucis figuras in lapidibus & marmoribus particulis ſalinis in Crucis figuram facile concreſcentibus exſculpſit Natura, ſic Ticini in Cœnobio Carthuſianorum (teſte Ambroſino in marmore quodam Chriſti Salvatoris noſtri in Cruce pendentis nec non ſpinea Corona redimiti ſimulacrum à natura eleganter depictum cernitur.

Venetiis quoque in marmorea altaris cujusdam columna templi S. Georgii majoris Chriſti Crucifixi imago apparet.

Ludovic. Moſcardi Academicus Philarmoriacus veronenſis in muſeo ſuo Patavino l. 2. c. 15. f. 134. mentionem facit lapidis in muſeo ſuo aſſervati, qui la pietri de Rubia Gallici & Aſturia Hiſpaniæ provincia coloris cinerii, *in cujus medio Crux nigra ſignata*, cujus uſus medicus nondum quidem ſit cogni-

Digitized by Google

cognitus non contemnendus tamen ad curandum ob *Crucis ſignaturam*. Dominus de Monconii Tom. 2. itiner. Germ. p. 247. narrat Presda ſe vidiſſe inter Sereniſſimi Electoris Saxoniæ Theſauros Crucem pedis altitudine â natura optime elaboratam ex argento & in minera inventum vid. inferius Epiſt. De Achate S. Maximini, nam hic occurrit in Achate purus Crucifixus, quem obſervavit Kircherus l. X. Arte magnet. de luc. p. 2. c. 2. fol. 806. Hæc Exempli loco adducta ſufficiant nam Crux in Capite lucii piſcis reperibilis, Crux in corde reperta, nimis exigua ſunt quod mentionem mereantur, quibus adde Crucem in medio fagi inventam & â Dno. Albrecht concive meo. In Decade Fphem. C. G. tertia ann. 5. & 6. p. 69. deſcriptam.

Nunc de Cruce Medico Chymica agam. Notandum in Characteribus Chymicis 🜿. id eſt tartarum & metalla ☿. ♀. ♃. ♄. id eſt mercurium venerem ſeu Cuprum, Saturnum ſive plumbum deſignantibus Crucem ſubjici, in Charactere vero antimonii ♁. Crucem circulo ſuperponi, quod non caret myſterio, de ſingulis ordine dicamus & primum de

🜿.

Ita quidem tota die in formulis remediorum medici fæces vini tartari nomine appellatas ex eo utraque præparata ſpiritum, ſal, oleum pharmacopæis præſcribunt, de cœtero parum ſolliciti aut curioſi de cauſa, aut hujus characteris ſenſus myſtici indagatione, hic igitur ex cubo & Cruce conſtat. quo re ipſa nullum in natura ſubjectum eſt, quo per analogiam & paraleliſmum artis Hermeticæ

 filiis

Digitized by Google

filiis abſque Sigilli Hermetis fractione apertius indicatur dum philoſophicum, cujus Character varias & multiplices operationis phaſes deſignat, unde & ipſi Philoſophi aſſerunt tartarum ſe habere per modum Chaos philoſophorum, in quo unico quidem ſubjecto per ſimilitudinem duo illa artis neceſſaria principia non ſpecie ſed numero duntaxat diſtincta characteriſtice deſignantur.

In tartaro ſal eſt ſeu terra fixa per cubum indicata, eſt in eo volatilis acidusque ſpiritus per Crucem, qui acetum ſeu azoth ſignificat, indigitatus tanquam frater & ſoror ex una progenie nati, in quorum connubio filius ille naſcitur, qui tantus eſt in amore ſophorum. Tartaro itaque vulgari ingenioſe atque ſignificanter ab antiquitate philoſ. aſſignatus eſt Crucis cubiferæ myſterioſus Character. Neminem autem ita fatuum judicarim, qui in vegetabili tartaro metallicam quærat regenerationem & in vini fecibus cum oleo operam perdat.

☿. Mercurius ſeu argentum vivum.

Inter Characteres medico Chymicos nullus elegantiori ſchemate apparet, quam qui in centro ſolis circulum, in vertice lunam, in baſe Crucem geſtat, vulgares quidem Chymici illo ſigno argentum vivum vulgare intelligunt, Protomyſtæ autem Philoſophi univerſalem illum mercurium mundi panurgum & panſpermiæ promotorem. Poſteaquam autem metallum illud currens indigne geſtare cœpit myſterioſam hanc figuram & mercurii nomen ſibi appropriare, verſipellis hic Alchymiſtarum Deaſter, geminus ille Ægyptiorum mercurius ſeu ſpiritus univerſalis neglectus ſtetit, niſi quod eorum

eorum plurimi in ſuppoſititio illo ingenioſam fraudem ſubodorati illum revocare ſtuduerint.

Mercurialis igitur Characteris hieroglyphici enodationem ſubjungam. Tria ſunt, quibus hæc mundi univerſitas in ſuo eſſe conſervatur 1mo. Calidum ſc. ut antiq. appellabant mundi innatum, quod quia â ſole ceu fonte promanat, circulo ſolis denotarunt. Sicuti enim ex puncto circuli ad ejus circumferentiam omnes ducuntur lineæ ſic è centro ſolis, lucis, virtutis & ignis vitalis radii ad univerſum orbem profluunt, unde qualiscunque mundi & Naturæ actiones, poteſtates & entelechæ exſurgunt. Circulnm hunc in Characteris mercurialis centro poſuerunt.

Alterum univerſi fulcrum eſt humidum, quod appellarat radicatum cujus ideam per lunam bicornem in vertice Characteris poſitam indicarunt: Quemadmodum enim ſol cœleſtis caloris pater eſt, ſic luna humiditatis mater nutrix & Domina. Bicornem autem ſive dimidiatam figurarunt lunam, ut indigitarent humiditatem radicalem mediam duntaxat eſſe generationis & ortûs rerum partem, quæ ſe habet inſtar fæmellæ, quæ dimidium viri inſtar perfecti & integri circuli ſe habentis eſſe cenſetur. Circulum itaque ſolis ſemicirculo lunæ copularunt, ut docerent Philiæ alumnos nec humiditatem radicalem ſeu primigeniam nec calidum mundi innatum nil quidquam ad generationem in mundo ſublunari proficere niſi ambo grato connubio in indiſſolibili vinculo copulentur, & hoc eſt quod Tabula Smaragdina intendit. *Sol pater eſt & luna mater* in illa enim hermes nil niſi mercurii univerſalis generationem docere voluit.

Tertiam mundi columnam ſeu baſin in Chara-ctere mercurii Crux repreſentat, humidum enim primigenium licet calide ordinatum rerum inferioris mundi generationibus non ſufficit, niſi conjunctum putreſcat & demum coaguletur unde hermes *vis ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram.* Crux autem cum ſit actionis & paſſionis ſymbolum, ſine hac nec alterationem nec generationem fieri poſſe eluceſcit, unde non ſine ratione Crux Mercurii Characteri eſt addita. Quod Joannes Fabri in Alchymia Chymica his verbis proponit. Crux naturæ elementaris ideam & exemplar nobis exhibet, ibi enim cœleſtis virtus & energia deſcendens mutationum omnium & alterationum ſcopus eſt & centrum, in quod omnia ſublunaria vergunt, unde Crucem in infima Characteris mercurii parte poſuerunt antiqui tanquam paſſionis & actionis ſymbolum, proinde in inferioribus nil Cruce carere poteſt ad perfectionis ſummum gradum attingendum ita Fabri. Patet ergo quod totius philoſ. Hermeticæ in Tabula Smaragdina deſcriptæ compendium ſoli Characteri Mercuriali perfectiſſime ſit inſculptum: juxta illud eſt in mercurio quid quid quærunt ſapientes.

♀. Venus ſeu Cuprum.

♄. Saturnus ſeu Plumbum.

♃. Jupiter ſive Stannum.

♂. Mars ſeu Ferrum.

Aurum veluti omnis perfectionis tempus ſolis id eſt circuli ſeu figuræ perfectiſſimum..

Argen-

Digitized by Google

Argentum vero imperfectiſſimo lunæ ſive circuli dimidiati Charactere inſignitur cœtera metalla omnia Saturnus, Jupiter, Venus, Mars. Id eſt Plumbum Stannum, Cuprum plenario quidem Charactere ſignantur, non tamen ſine Cruce, Venus niſi ſub ſe Crucem haberet, jam foret ſol, addito vel unico perfectionis puncto, quo etiam â circulo aureo ablato nil reſtat niſi nullitatis nota. Capiant id, qui aurum pro idolo habent, ne ex eo punctum amittant nullam ſibi ſervantes. Saturnus luna foret, niſi dimidiatam Crucem, Jupiter niſi illam poſt ſe traheret, & Mercurius ad ipſam ſolis & lunæ dignitatem tranſcenderet, niſi Crux eſſet impedimento. Hæc quidem intelligenda ſunt Characteriſtice. Philoſophice vero, & Chymicè omnia quidem metalla imperfecta perfectis auro & argento conſanguinea ſunt, orginali tamen macula & labe plus minus infecta, quam niſi Cruce mediante id eſt per multam paſſionem ac torturam poſſunt deponere, ad metallorum enim imperfectorum transmutationem unica tantum eſt via per Crucem ſive Azoth id eſt acetum phlorum acerrimum, quod notandum: Crux enim ✚ in phlia Hermetica hieroglyphica Azoth id eſt aquam Ponticam indicat. Unde Hermetici laboratorii veſtibulo inſcripta ſunt verba: Ignis & Azoth tibi ſufficiunt. Azoth autem non eſt niſi aqua univerſali rerum omnium principio acido (filium ſolis Adepti appellant) imbuta ad futuram rerum generationem in naturæ curſu & ad productionem unius rei ſeu monadis Hermeticæ in arte fæcundata. Unde & Azoth per aquam ſic reſolvitur. *Azoth quod velatur Aqua.* Vulgus deſtillatorum dum indicat

acetum hoc ſignum Crucis ✝ ſcribit, potiori jure phli humidum ſuum radicale mercuriale hoc Crucis ſigno denotant. Quod præcipuis etiam ſubjectis Chymicis addiderunt, ut vel deſignent aliquam ſpiritus hujuſce univerſalis acidi in his latere portionem vel illorum hoc mediante inſtituendam eſſe perfectionem.

♁. Antimonium.

Crux in Antimonii Charactere Chymico magni arcani panda eſt. Schola Hermetica ſubjectum artis ſophicæ primum per ♁. apte repræſentavit ſcilicet materiam unam ex duobus numero non ſpecie differentibus, quorum unam per circulum, alteram per Crucem configuravit, antimonium quidem inſtar Regis aut Imperatoris mundi globum pro inſigni portat, quaſi univerſi mundi gazas in ſe repoſitas gereret, verum in iſtius Circulo nemo hactenus artis principium nedum finem reperire potuit, niſi ſolam Crucem, qua tot abſurdorum & fruſtraneorum laborum bajuli ſemet ipſos incaſſum macerarunt. Paracelſus quidem materiæ primæ tribuit effigiem. Sphæræ mundi, ſed Botzdorffius in filo Aradnæo verius hanc tantum pro ejus typo hieroglyphico agnoſcit. Crux & non ſtella verum omnipotentis ſignum & verum illud ſignaculum eſt. Quo non tantum ſuos ab æterno ad gloriam Cœleſtem electos, ſed & ad Majeſtatis Adeptorum ſortem prædeſtinatos ſignavit, ſed & ipſam univerſalem materiam ſigillavit, Antimonium quidem Crucem portat, ſed Crux illa non eſt niſi ad indigitandum tormentum & dolorem.

Phi-

Philaletha quidem alicubi ſubjectum ſuum regulum martialem ſtellatum vocat. Ut mercurium duplicatum deſignet, nam Crux gemina decuſſatim ſibi impoſita ſtellam & * repræſentat philoſophorum, verum caveant, qui in regulo martiali antimoniali magni operis myſterium ſtulte quærunt, & deſudant, ne pro nucleo corticem, pro domina ſervam, pro Junone umbram amplectantur, quomodo autem antimonium vulgare à philoſophico differat diſcrimen dabit Fabri Monspelienſis. Panchym. lib. 4. c. 37.

🜍. Character.

Sulphuris Character ex ignis Cruci ſubjecto conſtat & magis philoſophorum Sulphur quam vulgare indicat. Quid enim huic cum Cruce? in ſale phil. Crux eſt in Mercurio, eſt in Sulphure. Crux igitur triplicata eſt, quæ igni philoſophico ad digerendum, maturandum, fixandum ſubjicitur.

Ita antiqui Chymiatri varios Characteres Crucis ſigno munierunt, ad ſubintelligenda ſophorum arcana & philoſophicæ hermeticæ indicanda myſteria. Crucem ad opus philoſophicum enucleandum Arnoldus de Villa nova L. de Secret. Naur. C. 5. nec non Jo. Londinenſis in monade hieroglyphica aſſumpſit, ut ſcilicet materiæ paſſio, quam per artificis manus ſubire debet hoc naturæ prodigium oſtendatur. Ludovicus quoque de Comitibus in Cruce ſymbolica hieroglyphice depicta per Crucis figuram opus ſophicum ad D. Waibelium celſiſſis. Ducis Neoburgenſis Conſiliarium & Archiatrum adumbravit. Taceo alios philoſophos.

Sal-

Saltem ex his colliges, quo in pretio non tantum apud Ægyptios, ſed etiam Chriſtianos Philoſophos ſacra crux fuerit, ut cum illo maximoque pretioſiſſimo naturæ & aris arcano comparationem inſtituerint, tandem igitur ad Tuam Epiſtolam regrediar, & Crucem Principum & Imperatorum Decus & Gloriam eſſe oſtendam, idque non ex inſignibus Heraldicis & numismaticis, ſed ex globo & pomo Imperiali, quod Cruce inſigniri ſolenne eſt, & maximum eſt Imperatoriæ dignitatis ornementum.

Ægyptios ſacra ſua & moralia figuris hieroglyphicis expreſſiſſe, notum eſt, ſcilicet ut iis Reverentiam quandam conciliarent, ut non potuerint illos intelligere, nec niſi literati & ſacerdotes interpretari. Jam vero quoque notum eſt occultiorem Chymici ſcientiam maxime apud eosdem invaluiſſe & exultam fuiſſe, unde Chymiæ & Alchymiæ addicti peculiares quoque Characteres & figuras invenerunt, quibus non niſi orpheo ſuis & ſciſcientiæ filiis certas artis ſuæ ſpecies ſignificarent, ut ☿rius Hermes Triſmegiſtus, innotuêre illæ tamen medicis, qui easdem figuras in formulis ſuis uſurpabant, ita ut quod volans medici recipe, ex univerſali quaſi idiomate compoſitum ab omnium gentium medicis & pharmacopæis non intelligitur; ſingulariter autem aſteriſco dignum eſt, quod metallorum quorundam ut ♄. ♃. ♀. ♂. ☿. nec non 🜖. 🜍. ♁. & ipſum Azoth ſeu acetum philoſophorum, ſupra vel infra poſita Cruce indicarint *. Sal armoniacum vero (ſalem, quod ſignum omnipotentis eſt apud philaletham) Cruce duplici notarint,

rint, de hiſce ergo Schematis figuris, Characteribus Cruce ſignatis ceu medicus agam.

Scribis Epiſtolam meam ad majorem Crucis venerationem â te mihi communicari, qua igitur hanc meam pragmatico finio cum verſu C. Barlæi *Tom. I. Eleg. L. I. Eleg. XVIII.*

Crux ſalve veneranda mei medicina doloris,
Spes mea, precantum portus, & ara precum
Præſidium miſeris, fidei tutela labantis
Unica Xtiadum, Gloria vita ſalus &c.

Ad amantiſſimum *Pyladem*

Epiſtola *Oreſtis.*

De inſtituenda per Weſtphaliam Eruditorum Societate.

ERuditorum virorum Societates tum in Germania, tum apud Cœteras gentes Italos, Gallos, Anglos, ad litterarum bonarum amplificationem, & ad omnis generis ſcientiarum incrementa promovenda ſub gratioſiſſimis Mecænatum eas adjuvantium & promoventium auſpiciis feliciter erectas & ſtabilitas nunc florere, tibi in re libraria verſatiſſimo ignotum non eſt. Quæ quidem Societatis hunc finem habent, ut juncto ſtudio & ad unum ſcopum conſpirantium ſociorum opera id efficiatur, quod alias nunquam. Sociatæ namque plurium manus maximas arces ſtruunt, altiſſimas turres atque pyramides exſtruunt, & per rapidiſſima flumina excitatis firmis pontibus viam ſternunt,

nunt, & ſplendidiſſima & admiranda opera alia brevi tempore perficiunt, quæ unius etiam robuſtiſſimi & impigerrimi aſſiduâ multorum annorum induſtriâ peragi non poſſent.

Sæpius autem mentem ſubiit admirari, quare per Weſtphaliam hactenus nemini in mentem venerit; ejusmodi quoque Eruditorum Societatem erigere, potiſſimum vero cur hac in antiqua Saxonia deficiente Weſtphalorum litteratorum, inprimis medicorum nemo, Collegio alii in Germania florenti nomen ſuum dederit, & ita æternæ oblivioni ſubtraxerit.

Quadraginta, & quod excedunt, anni ſunt, quod Celebratiſſimo Monaſterienſium Poliatro Cl. D. D. *Sprickmanno*, qui adhuc in Expertiſſimo ſuo filio ejusdem Civitatis medico vivit, meum de ejusmodi per Weſtphaliam Eruditorum Societate erigenda ſub authoritate & auctoramento magni cujusdam Mecœnatis Conceptum aperuerim, quam etiam ſumme approbavit, & utraque manu ſe amplexurum & apud viros principes promoturum promiſit. Cujus tamen inopinus ex vivis exceſſus obſtitit, quo minus ad praxim venerit. Collectoris & Directoris munus eo tempore in vigore ætatis meæ lubenter in me etiam gratis ſuſcepiſſem.

Quare autem nemo Weſtphaliæ medicorum, quamvis ab Excell. D. Joanne Laurentio *Bauſchio* Academiæ Leopoldinæ primo præſide Epiſtolâ invitatoriâ provocatus iſtius albo nomen inſcribi fecerit (nam nullum in ejusdem Catalogo obſervare licuit) non facile quis hariolabitur. Moris eſt, ad hanc Societatem admiſſos aſcititio nomine donari; Alios quidem *Hippocratis*, *Hermetis*, *Celſi*, *Avi-*

Digitized by Google

Avicennæ, *Oribaſii*, & ſimilium antiquorum medicorum, alios autem fictitia *Herculis*, *Hectoris*, *Phäetontis*, *Argonautæ*, *Apollinis*, *Zephyri Cognomenta* nanciſci, videri itaque poſſent illa perhorreſcere, forte metuentes, ne tantum nominales prædicatis illis præſtantium appellationum non ſatisfaciant, his autem derediculo ſe exponant. Accedit, quod is ſit Weſtphalorum genius, ut pauci nominis immortalitatem, quam Academico titulo non difficulter acquiſiviſſent, hactenus æſtimârint.

Aluit Weſtphalia inprimis *Mimigardia* præſtantiſſimos Duces in re bellica & tormentaria expertiſſimos *Corfeyos*, in Aſtrologia verſatiſſimos *Gigantes*, Machaones de patria optime meritos, *Wilckinghovios*, *Rottendorpios*, *Gyſæos*, *Hoſios*, *Schütteos*, *Schötteleros*, *Sprickmannos*, *Wichartios*, pluresque alios, quorum nomina cum univerſis iis, qui à Divi *ludgeri* ævo tot ſeculis floruerunt, cum corporibus incinerata æternæ oblivioni in prædam ceſſerunt. *Hoſius* quidem adhuc in poſteris apud Weſtphalos, non tamen extra patriam vivit: *Wilckinghovii Rottendorpii* & *Giſæi* ſpirant adhuc in exiguis ſcriptorum monumentis.

Nunquid autem ſummopre dolendum, quod tot eximiorum virorum obſervationes & experimenta unà cum autoribus ſuis tumulata ſint. Sanè niſi illa in Fano Æſculapii annotata deprehendiſſet magnus noſter *Cous*, non illos in medicinæ fundamentis progreſſus facere potuiſſet.

Stu-

Digitized by Google

Stupeſcit igitur merito, quisquis utilitates perpendit, quas Ephemerides Anglicæ, transactiones philoſophicæ Londinenſes nuncupatæ, ſub Symbolica Societatis inſcriptione: *Nullius in verba*, quas naturæ curioſorum Leopoldino Carolina nunc Franciſcana Imperialis Academia ſub ſymbolo *nunquam otioſus*, quas intronato um Academicorum Collegium ſub lemmate: *Neminem lædere, omnibus velle prodeſſe*, quas Experimentalis Societas Florentiæ *Del Cimento* munificentia Magni Hetruriæ Ducis *Ferdinandi* & Principis *Leopoldi* fundata & ſuſtentata, quas Societas Disquirentium *Jenenſis*, ſcrutantium *Kilonienſis*, Eruditorum *Lipſienſis*, Hiſtorico-Litteraria *Heidelbergenſis* à Sereniſſimo Electore Palatino *Carolo Philippo* inſtituta quot annis, imo in dies ſingulos producunt.

Quas inter litteratorum Societas in variis jam Germaniæ aliarnmque gentium Academiis floreſcentes non poſtremum nunc locum occupat Berolinenſis *Fridericiana*, Phyſico-Medico-Mathematica, & ante pauca luſtra inſtitutum *Commercium litterarium Norinbergicum*, & Regia litteraria & ſcientiarum Suecica, cui ſummi in illo regno ordinis viri acceſſerunt, qui omnis generis bonas literas excitare, ſeorſim autem hiſtoriam regni naturalem magis excolere, & vitæ atque Oeconomiæ utilia experimenta ac inventa phyſica ac mathematica colligere laborant, nec minus antiquitatibus amplius eruendis invigilant.

Præcipua vero ejusmodi Societatum eſt utilitas, quod, cum omnibus non ſit illa poteſtas, occaſio, atque otium libros conſcribendi, & prælo committendi, ſicque ſuum nomen gloriæ immortali com-

commendandi, ſic cujuscunque inventa, ſecreta & quæcunque ingenii monumenta publico bono atque uſui, & non modo patriotis ſed & externis Minervæ cultoribus tradantur & ſerventur, quæ alias

Tempus edax rerum & ſupina oblivio fati

Conſumpſiſſet, & perpetuis tenebris involviſſet. Experientia docet, quanti inde fructus ad ſcientiarum augmenta promanent.

Quæ illuſtria Societatum exempla Weſtphalis ſtimulos addere poſſunt ad ſimilem, nec minus laudabilem ejusmodi Societatem, in urbe principe inſtituendam. Verum namque hodie eſt quod olim dixit *Symmachus: Nos ſeculum habemus virtuti amicum quo niſi optimus quisque gloriam pariat, hominis eſt culpa, non temporis.* Cenſent invidi Ariſtarchi, quaſi Weſtphalos noverca Natura craſſo ſub aëre natos & viventes produxerit, quæ tamen injuria eſt, his non concoquenda. Weſtphalia ſane latè patet. Ibi quoque Dii habitant. Ibi non minus ac in aliis terris Natura ſua producit miracula. Latent hinc inde raræ materiæ conſignatò exhibendæ & merito publicandæ. Etiam Weſtphalia ſat ſagax alit naturalium arcanorum ſcrutatores, Phyſiologos, Phyſicos ſedulos, expertos Medicos, exercitatos Therapeutas, fortunatos Chymicos, Botanicos, verſatos Mathematicos, & omnis generis mechanicos artifices. An Weſtphalis igitur non ſit tam lyncea mentis oculorumque acies, qua naturam ſcrutentur, inſpiciant, detegant, qua amplient nota, eruant incognita, luci ſiſtant obſcura? An igitur ſola Weſtphalia tam inops eſt ſecretorum naturæ, vel humanæ expe-

rientiæ inventorum, quæ fertilem communicandorum meſſem exhibeat ſocietatis membris? Apage inſulſa dicteria.

Ratum itaque maneat, Eruditorum quoque ſocietatem inſtitui poſſe per Weſtphaliam. Levior quidem is conatus videri poſſet. Præſtat tamen aliquando ſemel reſtaurari, ſi quid per negligentiam in Republica ſit neglectum. Scientiarum enim pomæria producere, & cognitis nova lucrari, aut meliora aptioraque ſubrogare nunquam nimis ſerum eſt.

Videamus nunc Societatis inſtituendæ conditiones. Hæc ſub tutela ac patrocinio ſummi cujusdam litterarum Mecœnatis inſtitui deberet. Sic enim nova Societas artium Academica *Clermontiana* permittente Chriſtianiſſimo Rege ſub patrocinio Celſiſſimi Principis ac Domini Comitis de *Clermont* evaluit, legibusque ac ſtatutis munita eſt, quod latius oſtendit Commercium litterarum Noricum Anno 1731. p. 169.

Imprimis autem vir ad negotium hoc elegantioris Eruditionis eligendus foret collector, & ut vocant Director, qui obſervationes, inventiones, medicationes ſibi transmiſſas & communicatas in ordinem peculiaris voluminis ad methodum actorum Societatis Pruſſicæ redigeret.

Quod volumen collectaneorum conſcriptum ſingulis vel alternis annis ſub titulo conſueto ac ſolenni *Actorum Societatis Eruditorum Weſtphaliæ* in lucem mitti ac publici juris fieri & primò Ser. Electori atque Archi-Epiſcopo Colonienſi, dein Epiſcopo Monaſterienſi, & ſucceſſive Paderbornenſi, Osnabrugenſi, demum Reverendiſſimi,

Capi-

Capitulis, ac denique patriæ ſtatibus inſcribi & dedicari poſſet.

Nullum difficultatis obſtaculum foret, ſi Academia à *Ferdinando* Bavaro, Epiſcopo Monaſterienſi fundata, & à Glorioſiſſimo Cæſare *Ferdinando* confirmata & Privilegiis munita, in Civitate Monaſterienſi ſtabileretur, cui in Subſidium Bibliothecam tuam jam pridem publicis uſibus deſtinatam, in immortale nominis tui decus donare & teſtamento legare, imo præmium annuum illi, qui hoc illudve Erotema vel phyſicum vel hiſtoricum à te denominandum omnium optime elaboráſſet, exhibendum fundare poſſes.

Quid de hoc conceptu tibi videatur, velim proxime Epiſtolâ amœbæa mentem tuam mihi notificari. Non eſt dubium, quin hic conceptus pluribus in Dignitate conſtitutis viris patriophilis impenſe ſit placiturus, iidemque vel ultra ſpem noſtram ſuppetias operamque ad felicem Societatis, nominis perennitati & ſcientiarum augmento ſervientis, inſtitutionem ſint collaturi. Vale & me amare perge, qui te colere nunquam deſino. Dabam Vredenæ.

P. S. Wernerus Rolevincius verè de Weſtphalia litterata ſcripſit part. 3. c. 1. Hic profunda theologiæ myſteria ſcrutatur, hic Canonibus, hic legibus, hic medicinalibus experimentis invigilat, hic artibus, hic poeſi, hic chronicis, hic ſtellis numerandis, terris metiendis, aquis, aeri, ignibus, ætheri provinciis beſtiis hominibus angelis cœteriſque creaturis à Deo factis cognoſcendis ſtudium impendit, ut breviter dicam. Quicquid unquam

in notitiam hominum venire potuit, confidunt ſe apprehendere poſſe. Ita Rolevincius.

Præcipue Societates litterariæ ad naturalis ſcientiæ incrementa promovenda inſtituuntur. Has inter præcipue attentionem meretur illa quæ ſub frigido ſeptentrione Petriburgi reſidet, quæ quanto ardore nec minori felicitate ad ſolida & omni poſteritati memoratu digna ſcientiarum incrementa laboret, jam plures tomi teſtatum faciunt.

Academiæ Regiæ ſcientiarum Pariſienſis quæ phyſicæ arcana proferat annui obſervationum tomi comprobant.

Bononiæ illuſtriſſimi Domini Comitis *Marſiglii* auſpiciis fundatum, ſcientiarum & artium inſtitutum jam pridem ſuorum laborum & ſucceſſuum hiſtoriam publico dedit.

Upſalia ſcribitur Regiam ſcientiarum Societatem quotidie majora incrementa capere, & tam latè eſt efflorefcere, ut Eruditus orbis prorſus confidat fore, ut non minora emolumenta litterariæ Reip. ea allatura ſit, quam à Regiis Societatibus Londinenſi & Pariſienſi allata ſunt; de illa ſpecialia vide in commercio litterario anni MDCCXXXI. p. 409. *ſpecimine* 52.

Dom. Chriſtianus Nettelbladius Bibliothec. ſuec. part. 4. refert, quæ ad laudatiſſimi inſtituti pleniorem notitiam pertinent. Scopum ea ſibi præfixit ut in univerſum quidem omnia nova & nondum cognita, ad rem litterariam quocumque modo pertinentia curæ habeat; ſeorſim autem inventa, obſervationes & experimenta mathematica & phyſica colliget & examinabit, operamque dabit, ut hiſtoria naturalis Regni hujus magismagisque illuſtretur,

luſtretur, & perficiatur. Præcipue invigilabit ejusmodi inventis & experimentis, quæ vitam juvare poſſint & œconomiæ proſint, ut ſunt ea, quibus rerum metallicarum ſucceſſus fructusque augeantur artesque mechanice emendentur. Aſtronomicæ & meteorologicæ obſervationes inſtituentur & continuabuntur, Geographia etiam regni exactior reddetur, ita ut veri poſitus præcipuarum regni urbium innoteſcant. Operam dabunt, ut Societatibus eruditis apud exteros florentibus, in iis, quæ de rebus ſuecicis ſcire deſiderant ſatis fieri poſſit. Etiam patriis antiquitatibus amplius eruendis invigilabunt, linguamque patriam cultiorem reddere ſtudebunt: ad Botanicam, hiſtoriam animalium, mineralium, vegetabilium, animum intendent: utque de his certiores reddantur, non ſolum litteras ad viros hujusmodi inveſtigationi idoneos diligenter ſcribunt, verum etiam Societatis hujus membra ſumptibus ejus per omnes regni partes & provincias iter inſtituent, ut omnia coram inſpiciant, eosque viros, a quibus plura porro ſciſcitari poſſint, cognoſcant atque illis methodum obſervandi inquirendi commendent. Quo vero facilius id negotium ſuccedat Sacra Regia Majeſtas Clementiſſime juſſit, ut veredarii puplici, quos poſtas vocare ſolemus, res Societatis hujus, & perſonas ultra citraque mitendas ſine ſumptu expedite promoveant. Acceſſerunt jam huic Societati complures ſummi ordinis in hoc regno viri tanquam honoraria membra, a quibus non ſolum decus, ſed magnum etiam præſidium & emolumentum ipſi accedet.

Adduxi hæc ex Aucthore & commerciis litterarii ſpecimine 16. fuſius, ut Societas eruditorum per Weſtphaliam inſtituenda ſciat circa quæ objecta pariter verſari debeat, & quo immuni poſtarum privilegio gaudere, ut Societas ex voto ſuccedat.

Excell. Büchneri Miſſelaneis Phyſico - Med. & Matemat. Anno Nec non ex Commercio litterario Norimbergenſi Spec. XLVII. refertur in Hungaria ſub directione Domini Fiſcheri Phyſici Kæſemarckenſis eruditos regni illius Medicos inter ſe Societatem aliquam inſtituiſſe, quæ obſervationes conferre, & in lucem publicam emittere velit, optarem autem ſibi obtingere Bibliopolam, qui primitias ſuorum tentaminum luci exponat.

Memoro hoc, quia abſolute neceſſarium obſervationes, & experimenta practica imprimi, & eruditis per prælum communicari.

Ex Saxonia jam pridem ſcriptum in Commercio litterario Norimbergenſi refertur Sereniſſimum ac potentiſſimum Poloniarum Regem inſigni amore & patrocinio, quo ſtudium rerum naturalium a compluribus jam annis fovet & excitat D. D. Doctorem Hebenſtreit cum Comitibus idoneis abditiſſimas Naturæ per Africam ſparſas gazas perluſtrandum ſuis ſumptibus ablegaſſe ut quæ ad perficiendam hiſtoriam naturalem facere queunt, hæc Societas appellatur Scrutatorum Naturæ obſervent & colligunt. Præſto ipſi fuerunt ſtudioſi medicinæ, qui rem botanicam curarent. Pictores qui res naturales depingerent. Chalcographi qui ſculperent. Venatores qui animalia curioſa viva ſi poſſint, caperent, vel mortua venarentur. Hæc quoque memoro quia ejusmodi Socie-

Societas pictoribus ac ſculptoribus, quia varia ſcemata machinas & inſtrumenta matematica exprimunt atque depingunt; carere non poteſt.

Anno MDCCXXXI. coiit nova Societas artium quæ ſub Regis Chriſtianiſſimi favore & protectione illuſtriſſimi Domini Comitis de *Clermont* in palatio Pariſino, quod *au petit Luxenbourg* vocant, ſingulis hebdomadibus bis congregatur, ibique deliberat quo pacto artes omnes magis elaboratæ perfectæque reddantur, novaque inventa, quæ per ſcientias ſingulas proponuntur, ad realem & ampliſſimum fructum transferri poſſint. Quaſi æmulam Academiæ ſcientiarum tot jam annis florentiſſimæ eam dixeris.

Ex his colliges nonniſi juſſu Principis & ſub protectione magni Mecænatis inſtitui poſſe ejusmodi Societatem.

Epiſtola Reſponſoria II.

Amantiſſimi Oreſtis

Epiſtolæ de Societate Eruditorum per Weſtphaliam inſtituenda Pylades reſpondet.

ERuditorum dari Societates, in quibus juncto ſtudio & induſtria & litterarum amplificationem & omnis generis ſcientiarum incrementa promovenda voluntates & conſilia conſpirant, pluribus exemplis in Epiſtola tua docuiſti, & ſane, qui talibus condendis conſilium atque operam dederunt atque ſummi Imperantes, ut illas adjuvarent ac promoverent, nulli labori aut molimini pepercerunt,

Digitized by Google

cerunt, omni laude digniſſimi judicari debent. Profecto talibus plurimum dabit Patriæ felicitas, quia ſcientiarum pomæria multum producuntur, & diu cognitis nova lucra accedunt & meliora amplioraque priſcis ſurrogantur: Utinam tibi mihique, quidni univerſæ Weſtphaliæ noſtræ aliquando gratulari liceret, nobis quoque promoventibus talem in illa ſuſcitari & ſtabiliri Eruditorum Societatem & commercium litterarium, quo & disciplina Phyſico-Medica naturalis & Mechanico-Technica, Mathematica & Arithmetica ad publicam utilitatem promoveatur. Merito miraris, quare hactenus Principum aut mecœnatum nulli in mentem venerit, Societatem ejusmodi litterariam tam Patriæ utilem per Weſtphaliam fundare, cum tamen Weſtphalorum gens tam gnava ſit, uti eam appellat Adamus Conzenus S. J. & omnis generis artifices, Mechanici, Mathematici, Medici, corporum naturalium per veſtigatores non deficiunt.

Nec minor ſubit te admiratio, quare aliarum Societatum laudabiliter inſtitutarum albo ſe Weſtphalorum nemo inſcribi fecerit. Objicis quidem peregrini nominis aſcititii, quo ſocii inſigniuntur, terriculamenta, ſed alia a te adjecta ratio magis arridet.

Ego infra adhuc aliam adducam Doctorculorum & Advocatulorum ſoli lucro inhiantium (nam ejusmodi Eruditorum Societas lucrifera non eſt) multitudinem, quæ etiam cicadarum ſub æſtate numerum facile attingit, magnam Societatum Eruditorum per Europœum Orbem Copiam in medium adduxiſti, in Epiſtola ad me data, idcirco mihi

non

non tempero, quin intra Germaniæ limites conſiſtentes earum non nullas quoque adducam, quæ in propoſiti tui ſequelam viris Patriæ eruditionis Principibus calcar addant, huic Societati nomen operamque concedere; Lubeat itaque paucularum ortum tecum percurrere, progreſſum atque occaſum, ne Epiſtolæ limites transgrediar. Poſſem namque, ſi vellem, niſi excederet inſtituti metam, integrum Tractatum congerere de ſola penes Curiam Romanam antiquiſſimis temporibus introducta *Abbreviatorum* Societate, cui *Baptiſtam Platinam*, qui vitam Summorum Pontificum conſcripſit, Anno MCCCCLXXV. Præfectum fuiſſe, ac ſimul Diplomata ſubſcribendi munus exercuiſſe docet. Ill' *Jo. Ciampinus* in ſuo Bibliothecariorum Catalogo *p.* 86. *ſeq.* de quo conſule Miſcellan. Lipſienſ. Tom.
ubi integram Diſſertionem reperire eſt. Notum utique tibi Carmen de Curia Romana V.259.

Aut mala narrabis narranda, vel abbreviator
Apponet factis plusveminusve tuis.

Sed hæc illis copioſe tractanda damus, qui integris voluminibus Latii Societates tum deſcripſerunt, tum ulterius commentariis ſuis honoraturi ſunt.

Igitur quisquis Hiſtoriæ Germaniæ gnarus, non ignorat vel ſolius alemanicæ linguæ, qua excolendæ qua poliendæ ſtudium non uni Societati præſtitiſſe occaſionem. Sane præcipua earum erat **der fruchtbringenden Geſellſchafft**, vulgo **der Palm-Orden**, quæ die XXIV Auguſti MDCXVII. initium vinarii habuit. Alia erat Pegnitzer **Schäf-**

 ferey

ſereŋ dicta. Iterum alia **Zimbriſcher Schwanen-Orden**, nec non quarta **Teutſch geſinnete Genoſſenſchafft**, quo præcipue referenda eſt illa, cujus mentionem injicit in Miſcellaneorum Lipſienſium *Tom. V.* Præfatiuncula, quam Vir Cl. Carol. Frid. Pezoldus illi præfixit, nempe Jo. Auguſti Egenolfi Gymnaſii Electoralis Grimmenſis Collegæ tertii, viri maximè induſtrii meritisque celeberrimi Conſilium conſtituendæ Societatis *Phylo-Teutonum*, cujus quidem ſcopus atque progreſſus ad has oras hactenus plane eſt incognitus. Quin præclara ſint Egenolfi hæc molimina, dubitare minime fas eſt. Quanquam negari haud poſſit, quod & veretur Pezoldus, ne hoc viri Conſilium ceu multis adhuc immerſum difficultatibus, *ob penuriam præſertim virorum Principum & litterarum Heroum, potentium quidem*, atque ut ait, *pecunioſorum*, quæ easdem removeant, imperfectum. Interea Cl. Pezoldus molimini Egenolfico non mediocriter profuturam autumat Societatem a viris quibusdam eruditiſſimis, Hamburgi circa Annum MDCCXV. erectam feliciſſimisque hactenns ſucceſſibus titulo:

Continuatam, cujus ſcopus ſit *linguam Germanicam excolere, emendare, perficere, Oratoriaque ſimul & Poeſeos rationem habere*, adeoque Germanicæ linguæ barbariem quotidie creſcentem ſimul coercere quid quid ejus ſit, ſane ex hoc inſtituto non poſſumus non ingentem nobis polliceri linguæ Germanicæ perfectionem, aut ſaltem, quod & Pezoldo viſum, ex continuato hujusmodi labore *Lexici Philologici* linguæ Germanicæ ſperare fundamentum, quod dudum avidiſſime exſpectamus.

Sed

Digitized by Google

Sed hæ pleræque, ſi non omnes, etſi ſingulari providentia inſtitutæ, a ſcopo tamen abeuntes penitus interciderunt, etſi honos huic contigiſſet, ut vel ipſimet S. R. J. Electores atque Principes ceu membrum ſeſe adjungere non hæſitaverint.

Collegium naturæ curioſorum, Societas Leopoldina dictum Anno MDCLXXII. ceu Furti Francorum ad æmulationem Regiæ Anglicæ Societatis cœptum, ad quam Joh. Laur. Bauchius, vir nulli Machaonum ſecundus, artis Medicæ Phyſicæ per Germaniam expertiſſimus ſuſcitavit, ſucceſſu quidem usque adeo auſpicatiſſimo, ut eodem adhuc anno ipſemet *Bauſchicis* huic Collegio præponeretur Præſes, licet ad perfectiorem ſtatum eandem perduxerit *Joh. Mich. Fehr*, qui Epiſtola invitatoria totius Europæ præcellentiores medicos ſollicitando ac leges hanc in rem conditas communicando feliciter obtinuit, ut quam plures ex remotioribus Europæ angulis ſuas ſyllabas conferrent, quarum collectione Anno MDCLXX. Annus primus *Ephemeridum Medico-Phyſicarum Germanicarum Curioſarum* typo exivit in hunc usque diem ad immarceſſibilem Germanorum gloriam continuata, ut honores taceam ac ſingulares gratias, quibus Romanorum Imperatores eandem ſunt proſecuti.

Porro *Collegium S. R. J. Hiſtoricum* (das Hiſtoriſche Reichs-Collegium) Auctore *Chr. Franc. Paulini.* Archiatro Corbejenſi ea occaſione erectum, quando Gl. Mem. Chriſtophorus Bernardus *Galenus* hoſtium ille terror imponendo Chronici Corbejenſis compilationem Documenta Archivi atque

que Diplomata perluſtrando ſtudio Hiſtorico ſingularem operam impendit, quod illi anſam præbuit laconico ſcripto, cui titulus: *Delineatio Collegii Imperialis Hiſtorici.* Intentionem ſuam eruditis exponendi. Scopus erat ex variorum Archivorum Inſtrumentis Hiſtoriam Germaniæ concinnare omnibus numeris abſolutam, ita ut unum quodque membrum ſuæ Patriæ Hiſtoriam ederet. Sane huic propoſito obſequentes plerique virorum clarorum ſeſe huic Collegio aſſociarunt, nihilque magis optandum foret, quam ut executioni daretur propoſitum usque adeo toti Germaniæ proficuum juxta atque honorificum. Cui quoque fortuna favet, ut ſub præſidio viri Excell. longeque Celeberrimi ac de Republica Eruditorum optime meriti *Hiob. Ludolphi* S. C. Majeſtatis a Conſiliis etiam in Præſidem Collegii evecti ac Francofurti reſidentis Vice præſide eidem poſtmodum adjuncto Domino D. de *Neſſel* Cæſari iisdem a Conſiliis, Hiſtoriis atque Bibliothecis. Prædictus Præſes Annalium Germanicorum Prodromo *Joh. Ulr. Pregitzer* Conſiliarius Wurtenburgicus *Primo ſeculo*, & *Jacob Otto* J. D. Com. Pal. Cæſ. *ſecundo* operas ſuas navarent. De quo conſule Authorem: Der Durchläuchtigen Welt. *Part. III. Cap. IIX. pag.* 37.

Quare autem quaterna illa ſeu potius ſub diverſis titulis una apud Germanos ratione linguæ Teutonicæ emendandæ & corrigendæ ſat laudabiliter inſtituta Societas tam brevi tempore interciderit, fortaſſis cauſa eſſe poteſt: Quod idiomatis nitidioris ac ſuperioris vulgo der Hochteutſchen Sprach non ea, quæ olim Gallicani, reperta ſit rudis vaſti-

vaſtitas, ut multorum annorum ac ſociorum operam ejusdem emendatio exigere viſa ſit, Phyſices autem è contrario & Mathematices, ſeu rerum naturalium atque artificialium Sphæra tam ſit diffuſa ac indefinita, ut plurium annorum & ſociorum conjuncto etiam ſcrutinio, ac ſtudio exhauriri nequeat, quam arduum enim ſit vetuſtis ac diu deperditis novitatem dare, & novis authoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtidiitis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam & naturæ ſuæ omnia (qui ejusmodi Societatum ſcopus eſſet, & quidem abunde pulcher atque magnificus) Plinius teſtatur.

Dein, ut Seneca inquit, *Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit; aliud, hæc ætas; aliud, quæ poſt nos ſubibit, accipiet*; Societatum igitur eruditorum hoc eſt beneficium, ut ſi longis annorum curriculis in perveſtigandis naturæ arcanis perſiſtant, uti jam *Pariſina*, *Londinenſis* & *Societas Leopoldino-Carolina*, & nunc quoque *Franciſcana* hac gaudent fortuna. Hæc ætas illud, ſequens aliud detegat & verum ſit illud Lucretii: *Paulatim protrahet ætas in medium, ratioque in luminis eruat auras:* Laudabile itaque eſt, ſi Imperantes ejusmodi Societates per viros ſagaces, curioſos & induſtrios in ſuis Territoriis inſtitui faciant, ut antiquitates rerum Patriæ eruantur, nequis in illis hoſpes aut puer ſit, unde, quod nuper prima Auguſti Stockholmio relatum eſt, memorantibus Novellis Monaſterienſibus *N. LXVI*. Summum meretur elogium Regiæ Majeſtatis in Suecia reſolutio ad conſcribendam & imprimendam Hiſtoriam Regni Suecici Generalem ad immortalificandam

dam hujuſce Patriæ Gloriam, quorum ſeptimo Julii Anni 1749. publicatum Edictum, quo Mandatum omnibus Dominio Suevico ſubjectis quascunque ſubmittere Chartas, inſtructiones, inſtrumenta & quid quid poſſident de ſuis anteceſſoribus atque Proavis ad inveſtigandas, errogandas, deducendas, imprimendas Sueciæ antiquitates. Utinam laudabile hoc inſtitutum omnes Imperii Romani Principes imitarentur, Hiſtoriæ Patriæ deſcriptionem promoventes, aut ſaltem jubentes, ut quævis urbes, oppida, communitates, Collegia ex ſuis Archivis communicarent iis, qui privato ſtudio, ſummo interim labore & multis expenſis eruderandis Patriæ antiquitatibus invigilant.

Memineris hic quemadmodum jam pridem ejusdem nobiſcum palati fuerit V. Cl. *Hermannus Adolphus Meinderſius* JCtus Bilefeldienſis, Boruſſiæ Regi a Conſiliis, Gogravius Ravensburg ac circa *Bibliothecam veterem & novam ſcriptorum qua editorum qua ineditorum* ſingulis menſibus admodum & methodum *actorum Lipſienſium* Lemgoviæ edendam ſeſe meditari Litteris *X. Calend. Martias* MDCCXV. ad me datis ſignificaverit, cujus exemplar Epiſtolæ meæ tertiæ Tomuli primi *Commercii Litterarii pag.* 34. legitur ſubnexum. Noſti quoque, tametſi ſymbolam meam illi conferre me obtulerim, a quo te quoque haud alienum tunc fuiſſe recordor, attamen defectu aliorum ad hujusmodi Societatis erectionem deſideratorum coronidem ſuam hos conatus nunquam fuiſſe conſecutos.

Sed ut hæc mittam, conſtare tibi auguror lau-

laudatiſſimum Illuſt. & Excellent. DD. Franc. Eckenb. & Wolffus Eberh. *Camerariorum de Wormatia* LL. BB. de Dalberg pro Bibliotheca publica non tantum ſed & Eruditorum Societate apud Moguntinos quà erigenda, qua promovenda atque ſtabilienda maturum Conſilium, quod ipſum publici juris fecerunt parænetico ad æquos bonarum artium æſtimatores Diſcurſu Moguntiæ ære Franckenbergenſi An. MDCCXXXVII. in Folio prodeunte, quod prolixioribus hoc loco repetere æſtimo ſupervacaneum, quod Actis Eruditorum Lipſienſ. Anni MDCCXXXVII. Menſis Decembr. *p.* 541. *ſeqq.* inſertum legatur. Quo te remittere fas eſt.

Atque hoc molimine tanto auſpicatiore ſucceſſu per Germaniam vicinasque ditiones propagari ex animo gratulamur, quo uberiores omniſariæ eruditionis fructus ad Amœniorum Litterarum augmentum & generoſiſſimæ *Dalbergiorum* gentis. (Antiquo Romanorum ſub titulo *Vallemontiorum* jam notæ) avitam gloriam in dies magis magisque promanant.

Illuſtriſſimi Dalbergii vaſtiſſimam ſuam Bibliothecam a ſe fundatæ huic Societati donarunt. Votum pariter nunc facio, ſi ſuperi mutua hæc conſilia noſtra ſtabilienda per Weſtphaliam Societati pari felicitate fœcundent, quod noſtrum librorum apparatum, tametſi longe minorem bono publico ſimus conſecraturi, etſi enim per litteras amœbœas (quarum ſaltem geminos inferius adducemus) diu concertaverimus, an præſtet Bibliothecam meam Collegio Canonicali Vredenſis Eccleſiæ *S. Felicitatis* ali-

Digitized by Google

aliquando legare, an in urbe Monaſterienſi publicis uſibus deſtinare, nullus tamen dubito, quin Eruditorum Societati, ſi in Weſtphalia fundaretur, eam dicare, mecum cenſurus ſis eſſe longè utiliſſimum.

Sed dicet Sciolus & Amuſus: Quid juvat intra membra numerari ejusmodi Societatis, quæ non eſt de pane lucrando? Nec ipſas, quis coleret Societates Batavorum Indicas ſine actuali lucro. Ridiculum in concavo Lunæ erigere Societatem ſine ſociis, & forte intra ſeculum non inſtituendam. Talis, ni fallor, Juriſtarum & Cauſidicorum Sermo eſt, quorum numerus in noſtra Metropoli centuriam forte integram adæquat, ſi non ſuperat. Taceo alia per Diœceſin oppida, in quibus vel litigerorum reperitur ſemidecas. Talium Turbam, Credo, non tantum non adjumento, ſed impedimento futuram Societati inſtituendæ, niſi ab otio ad labores, aut ad minorem numerum aliquando fuerit reducta, ad normam tentaminis Potentiſſimi Boruſſiæ Regis excedentem Doctorellorum Copiam nuper abrogantis, quod Conſilium, ut maturè conceptum, ac ſaluti Patriæ præprimis conducturum citra accelerandæ juſtitiæ periculum propemodum in noſtro quoque foro pro renata introducendum boni omnes augurantur atque a longe proſpiciunt. Dicere ſoles lucripetum nimis eſſe hominum cauſigerorum genus, proin relictis litium officinis difficulter ad elucubtandum eruditionis penſum traducetur.

Quis enim perſuadebitur è conviviis, ſympoſiis & œnopoliis ad muſea, a vitris ad libros, a tabernis ad Bibliothecas, verbo ab otio ad ſtudia trans-

transmigraturos, quibus ad horam nonam & decimam dormitandi mos invaluit. Muſæ auroram amant atque Cleantis lucernam.

Nihil diſſimulo, mi Oreſtes, nonnunquam vereri ſubit, Epigraphen ſupra Januam Conclavis Majoris Bibliothecæ Dalbergianæ ingredientibus objectam verificandam:

SCIentIam oDIt nVLLVs, nIsI IgnarVs atqVe asInVs.

Vota quoque noſtra magno, ſi non ignorantium atque Aſinorum, certè invidorum numero tantum non evertenda atque intricanda proſpicimus, ut quamvis difficultatibus quam pluribus propitio Numine remotis beato fine terminanda haud merito ambigamus, metum tamen hunc Reverendiſſimi atque Excellentiſſimi Utriusque Ordinis patriæ noſtræ proceres, bonarum artium præſtantiſſimi Mecænates levi brachio diſſipaturi ſunt, dummodo Generoſiſſimo calculo ſuo tum protectione tum præſidio pia hæc deſideria noſtra pro adgenita Generoſitate & fovere & proſequi non dedignati fuerint. Quod divina Numinis Clementia ſaxit.

Jam tacitis conſenuimus annis, interim quidquid exequendis his Conatibus conferre potuerimus, neutiquam negligamus. Vale. Dab. ex Campeſtri Bibliotheca *Wickinghoff* die.

Viro Clariſſimo Expertiſſimoque

Domino Joanni Henrico Cohauſeno.

Medices Doctori & Archiatro Monaſterienſi amicorum ſuorum conſtantiſſimo.

S. P. D.

Jod. Herman. Nunningh.

Vredenam.

SI *Alexandri M.* acinacem habes, en tibi gordium ex Antiquitate nodum, quem diſſeca, vix enim ſtudio reſolveris. Famoſa illa *Gruta*, *Grutatio*, ſive jus *grutandi* intricatus ille nodus eſt, qui hactenus virorum ſummorum de ea opiniones & conjecturas ceu commentitias eluſit, quemque auctorum nemo extricavit. Cum primis magnifica hujus juris in Urbe Monaſterienſi viguiſſe Privilegia Faſti Patrii oſtendunt, quos per hos dies adire cogebat *Monumentorum Monaſterienſium* conditor. Mox attonitum me tenebant abſtruſa illa *Grutæ* & *Domus Grutaticæ* vulgo Gruythauſs vocabula. Habuit ſane res ipſa Monaſterii in urbe Collegium ſuum, Curiam & Præfectos. Maxime igitur utilitatis & proventus exſtitiſſe indequoque liquet.

Jo. Georg. Wachter Gloſſ. Germ. voce *Grutt*. *Scobs* Anglo Sax. *Greot*. Belgi *Grut*. Angl. *Grit*. Græc. γῦν γύτη. Latinis præfixo Sibilo *Scrutum*. Proprie eſſe vult partem minimam ex attritu. Nam comminuere, conterere, & in minutas partes confringere Gothis dici *Krotan*, Suecis *Kroſſa*, Anglis *to Krüsh*, Belgis *Grüiſen*, ſed hæc omnia a cogni-

a cognitione conterendi, unde & Oſnabrugenſium potus *Gruyſing*, de quo Hammelmannus *O. W. Tom. I.* Germanis quibusdam *Grüſen.* Evangel. Goth. Lucæ XX, 18. *Hwazuh Saei Driuſith Anatana Stain Gakrotuda.* Omnis, qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur. Gallos inde habere ſuum *ecraſſer* ſatis manifeſtum putat auctor, quod hodie non diſputo.

Beſoldus Theſauro pract. voc. Floßrecht vulgo *jus Grutiæ* dici ſcribit, *jus traducendi rates & ligna ſive jus ratium traducendarum integris paginis* interpretatus: Addens per tranſennam, apud Batavos jus Grutiæ dici, quod in Tractu Delphenſi penes Comites *Plumarios* ſemper extitiſſe dicitur, *quo coctores cereviſiarum pro uſu aquæ centeſimam ſolvunt.* Etiam Kirſchius *Cornucop. ling. latin.* voce *Grutia* ſive *jus Grutiæ* Germaniæ interpretatur. Holtz Flöſſe oder Gerechtigkeit, vermöge welcher man in den Rivieren oder Flüſſen Holtz-Flöſſe umb zu verkauffen mag auf und abſtoſſen laſſen.

Fuiſſe rem magni ad has & confines oras momenti atque emolumenti Privilegium immo & Regale, ex Chronologorum ſcriptis non minus, quam archivorum harum Regionum Tabulis quam apertiſſime innoteſcit.

Antiquiſſimis temporibus & in hac & in vicinis Belgii Diœceſibus, quid quid id juris eſt, ipſi Præſules ceterique Magnates ſibi vindicarunt.

Profecto Mimigardiæ Præſulibus ſummum juris grutatici Privilegium olim competiiſſe *Mimigard. Sacr. Part.* I. ad vitam Gerhardi de Marca

Digitized by Google

XXXI. Epiſcopi Monaſt. ut & Everhardi de Deeſt ejus ſucceſſoris pluribus oſtendimus. Ille Fratribus ad Anniverſariam Summi Templi Dedicationis Feſtivitatem decem Marcas ex *Gruta* perpetuis temporibus exſolvendas ordinavit. Hic vero iisdem totidem largitus non tantum in annuam ſui Memoriam ex eodem *Grutæ*, Cenſu quadraginta Marcas a Scabinis Monaſterienſibus præſtandas decrevit, (de quo conſule Veterem *Obedientiarum Cathedral. Eccleſ. Codicem* MSC. *Fol. XX. p. 2. ſeq.*) ſed & demum jus illud totum atque integrum occaſione belli cum Urbe geſti concordiâ componendi Magiſtratui cedere coactus eſt.

Objectum erat cereviſia communis urbis patriæque potus. Dubium & certamen non habet ad ejus quoque pertinuiſſe præparationem.

Operæ pretium cum primis dignum judico, variorum circa hoc argumentum opiniones; vana tamen nodi gordii ſolvendi tentamina, accuratius diſcutere. Adrianus Junius *Batav. cap.* 19 *p.* 327. De Waſſenariæ Domus antiquitate ejusque inſignibus cum agit, tantum non myſterioſa, etſi ab omnibus rejicienda origine de grutaticis ediſſerens, *jus* (inquit) *familiæ imperiumque in aquas oſtendunt augeſcentes Lunulæ, quæ gentis inſignia exornant, quando lunæ Imperium in humores & aquas autorum omnium concentus tribuat.* Hinc manavit jus grutæ *quod penes eosdem ſemper extitit, quo coctores cereviſiarii pro uſu aquæ centeſſimam illis perſolvunt, vernacula lingua* gruthgeldt *vocat. ſivè eam vocem a Flandris mutuata fuerit majorum noſtrorum ætas*, qui lenticulam palu-

luſtrem, *quæ in paludibus & ſtagnis per æſtatem aquæ ſupernatat, gratiſſimum anatibus pabulum,* grutam *appellant, quam nos corruptius* Croes *vel* Crooſt *dicimus, ut* gruthgeldt ſit vectigal, quod penditur pro tollenda diſſipandaque lenticula aquas operiente, *quo Limpidam hauſtis ſitulisque hauriant ad concoquendum uſui hominum cerealem potum (ſive origo fluxerit) quod non nulli volunt (ex uſu) Leminii cujusdam, aut herbæ, quam Cereviſiæ incoquebant, olim* grützung, *poſteris* Scharpetange *dictæ, quæ cujusmodi ſit, ignorare me, fateor. Quod jus a Dynaſtis potentioribus (ut ſolet avaritiam illorum & libidinem accendere atque alere æmulatio) uſurpatum video a Bredorodiis apud Caninê-Fatum caput, Harlemum & â Naelduicenis. &c.*

Eadem fere recoquit Pontanus ſententia, utut depontana *Hiſt. Gelriæ L. 9. p. 454.* ad ann. 1931. ubi inter cenſus, quos Dux *Arnoldus, Catharinæ,* Clivenſi Duciſſæ *Gelriæ* ac Comiti *Zutphaniæ*, quo ad viveret, donaverat, marcas centum & quinquaginta memorat, quæ *Gochæ* civitati ex Grutta Molendinisque ibidem exiſtentibus ſolvebantur, *quorum prius vectigal*, ait Pontanus, *pendi ſolebat pro tollenda diſſipandaque lenticula, vulgo* gruyt *dicta, aquas operiente, quo ita Limpidiorem haurirent aquam adconficiendum Cerealem potum Coctores Cereviſiarii.*

Vexatiſſimam hanc vocem explicatius dare aggreſſus quoque eſt Anton. Matthæus *Anal. Vet. æv. Tom. 5. p. 597. in Not.* Ridet ſane, qui paluſtrem Lenticulam pro *grutta* & pro *Gruttagio* (*Gruyt-*

Geldt) id accipiunt, quod pro ea diſſipanda datur, quò aqua ad coquendum Cereviſiam hauriatur purior.

Nihil certius, inquit, *quam quod maltæ ſpecies ſit* Gruta, *frumenti genus madefacti, quo in potu conficiendo coctoribus vulgo opus* Gruyt-Geldt, *quod præſtitum pro licentia coquendi eam aut lupis aut gruta.* Cellæ olim publicæ erant (auſm Keller) in quibus vendere permittebantur.

Eſto vectigal Grutam hoc vel illo loco aut oppido ſive pro aqua ſolum, ubi ejus penuria ſuerit, ſive pro eadem quoque æſtivo tempore purganda penſitari conſueverit, vernacula *Gruytoll*, non tamen ubique & iſtis urbibus, ubi puteorum abundantia, è contra nulla lacuum aut ſtagnantis aquæ veſtigia proſtant, obtinuiſſe ſequitur. Utrúmque tamen *Gruta & Gruyt-Geldt*, ſive quod pro ea ſolvendum, interdum pro eodem ſumptum. Meyer ad an. 1290. *Eodem Guido Lambarſita*, *parvo & pauperi oppido*, *dedit vectigal Cereviſia*, *quod vectigal nominant* Grutam.

Qualiscunque fuerit *Grutta*, certum eſt fuiſſe Regalibus annumeratam, ac Ditionum Dominis aſſertam, quorum ærario illatæ, ſed privatorum cenſum vel neceſſitate urgente jam ad tempus, jam perpetuum pignori aut Nobilibus & de patria bene meritis in beneficium datæ vel bellorum injuria ac neceſſitate ſuadentibus, ut ſupra in Epiſcopis Monaſterienſibus *Gerhardo* de *Marca* & *Everhardo* de *Deeſt* oſtendimus, diſtractæ ſunt. Perſæpe etiam largitate Principum oppidis bello aut incendio vaſtatis, aut Religioſorum familiis ſolatio ceſſerunt,

ſerunt. Succeſſu temporum adeo uſus invaluit Lupulo cereviſiam coquendi, ut *Johannes* Leodienſis & Trajectenſis Epiſcopus, ob damnum notabile, quod inde patiebatur, querela deſuper ad Carolum IV. Imp. delata obtinuerit pro cereviſia Lupis cocta, idem exigendi, quod pro *Gruta*. Singulare Diploma eſt hanc in rem ann. 1364. 3. kal. Julii exaratum, quod referre debeo, quo ad nos ſpectat:

„ Sane conſtitutus in noſtræ Majeſtatis præſen-
„ tia venerabilis *Johannes* Leodienſis Epiſcopus
„ Princeps & conſanguineus noſter cariſſimus, qui
„ pridem viginti annis & ultra regimini pontifi-
„ ciali Eccleſiæ Trajectenſis feliciter præfuiſſe
„ dignoſcitur, nobis expoſuit, *qualiter jus fer-*
„ *mentandi Cereviſiam* per civitatem Trajectenſem
„ & terras ad Epiſcopalem menſam Eccleſiæ Tra-
„ jectenſis pleno jure ſpectantes ab antiquo & tem-
„ pore, cujus memoria in contrarium non exiſtit,
„ ex donationibus noſtris ac divorum Imperato-
„ rum & Regum Romanorum prædeceſſorum no-
„ ſtrorum ſpectaverit, & ſpectet ad Epiſcopos
„ Trajectenſes emolumentum proveniens olim ex
„ hujusmodi diſtributione fermenti fuerit magna
„ pars reddituum aſſignatorum pro ſuſtentatione
„ Epiſcoporum Trajectenſium prædictorum, *nunc*
„ *autem de novo triginta vel quadraginta annis*
„ *nondum elapſis novus modus fermentandi cerevi-*
„ *ſiam, videlicet per appoſitionem cujusdam herbæ,*
„ *quæ* humulus *vel* hoppa *vocatur, per incolas*
„ *partium earundem in tantum invaluit, ut Epi-*
„ *ſcopus Trajectenſis in magna parte emolumenti,*

 „ *quod*

„ *quod ex diſtributione fermenti ſibi evenire con-*
„ *ſueverat, diminutionem patiatur.*

„ Nos igitur ad devotam ſupplicationis inſtan-
„ tiam dicti *Johannis* Leodienſis Epiſcopi Principis
„ & conſanguinei noſtri, de hoc per ipſum humi-
„ liter nobis factam, nec non ad honorem Dei
„ omnipotentis & beatiſſimæ Virginis Mariæ
„ Matris ipſius, nec non Sancti *Martini* Patroni
„ ejusdem Eccleſiæ ut ſub felici noſtro regimine
„ ipſa Trajectenſis Eccleſia ſe conſolatam inveniat,
„ & ex hoc cultus divinus in eadem crebrius auge-
„ atur, dictum Epiſcopum Trajectenſem, qui pro
„ tempore fuerit ex hujusmodi novis modis fer-
„ mentandi non damna, ſed commoda reportare
„ cupientes, ſibi & Succeſſoribus ſuis in perpe-
„ tuum de ſpeciali noſtra gratia & auctoritate im-
„ periali, nec non ex certa noſtra ſcientia dona-
„ mus & concedimus per præſentes, quod in re-
„ compenſam jacturæ memoratæ â quolibet dolio
„ ſive tonnella uſualis Cerviſiæ, quæ infra Civi-
„ tatem Trajectenſem, oppida vel terras ad Epi-
„ ſcopalem menſam Trajectenſem pertinentes,
„ cum humulo fermentatur, unum Groſſum Tu-
„ ronenſem argenteum legalis ponderis, & mo-
„ netæ ex donatione noſtra imperali recipere va-
„ leat & levare, & non dantes vel ſolvere recu-
„ ſantes pœna viginti marcarum puri auri toties
„ quoties talia ſolvere neglexerint ſive recuſave-
„ rint, auctoritate noſtra imperiali viis & reme-
„ diis oportunis compellere valeat & mulcta-
„ re &c. &c. „

Hinc *Grüiſinck* fluxit, potus non dulcis modo, ſed & pinguior antiquitus uſitatiſſimus, inde &

Gru-

Gruteris (Gens Mimigardicoles hodie paſſim ſuperſtes) inditum nomen. Et hodie *Gruta* apud Hardevicenos, Arnhemienſes, Elburganos & alibi nota eſt. Vid. d. *Pontani Hiſtoriam Gelriæ.*

Apud Benzon *Vocabul. Anglo-Saxonico* ʒPUC (id eſt *Grut*) Far ſignificat, ſive *condimentum Cereviſiæ.* Quo facit nobis hodie uſitatum *Grut*, id eſt grana minima, ſive comminutorum copia, ſo Kiel ſo Seull als *Grut:* quare hordeum indigitare non pauci conjecturant, ex eoque *Grüter*, *Grutrecht*, *Gruthauſs*, *Grütampt*, *Gruſſinck*, & his non abſimilia derivari, quæ ad rem Cereviſiariam pertinere manifeſtum eſt. Profecto Parſius *Antiquit. Katwic. c.* 2. *p.* 207. Gruita *ex Gruyen* manifeſtiſſime derivavi, nec aliud ſignificare opinatur, quam *artem parandæ polentæ:* ſi quidem *Far* hordei infuſa aqua emoliti rupto cortice lacteos in ſurculos progerminare Batava Dialecto ſignificare, *Sprüiten*, oft *Grüyen*, atque hoc jus ſupremis Magiſtratibus vel Dynaſtiis eminentiori jure competiiſſe, qui cereviſiæ coctoribus, quo ad indigerent, ſoluto vectigali erogarent.

Tractu temporis artificio parandæ polentæ a quovis libere exercito vectigal nomine *Gruytgeldt* continuo perſolvi conſueviſſe.

Waſſenariis Dynaſtis, qua Burgraviis Leidenſibus pro recognoſcendo *Gruttæ* jure a Braxatoribus Braxaturam triginta cadorum cereviſiæ certam ſummam pecuniæ (drey Groten *Ulaams*) adhuc hodie penſitari rectius Parſium ſentire judico, utut exoticæ hujus voculæ originem ſibi minus perſpectam confiteatur. Operæ pretium omnino facturus ſum relatas apud Parſium Litteras exſcribere:

 ſine

ſine quibus nunquam feliciter compoſituri ſumus hanc vexam.

„ Wi *Willaem* Graue van *Henegoueden*, van
„ *Holland*, van *Zeland*, ende Here van *Vriſeland*,
„ maken cont allen luden, dat onſe Lieve ende
„ gehowe Ridder Hair Dieric Borchgrave van
„ *Leyden*, enen twi hadde jeghens onſen ſconte,
„ ſcepene, ende Raed ende ghemene, Poirte van
„ *Leyden*, alze omme Thoppene Bier, dat
„ man dair brouldede, dair himdochte, dat hi in
„ vermindert was van Zine Gruite, des ſi ant
„ beyde Siden an ons bleven. Warof wi wel
„ beraden, met gaeder voir ſie niche de onze
„ Zegghen uten, in deſer Manieren. Dat zoe
„ wie voir-waerd meer die *Gruite* te *Leyde* hou-
„ den Zel, die Zel houden, beyde Hoppe ende
„ Gruite. Alzoe dat hi den goeden Luden be-
„ rechten moghe: *Ende ſo wie Hoppen Bier brou-*
„ *wet, die Zel alzo vele Gheld - Zenden, omme*
„ Hoppe *te hebben, zyn Bier mede te* Gruiten,
„ *als hi Zenden Soude, van evenvele Biers omme*
„ Gruite *zyn Bier mede te* Gruiten; *Ende dair*
„ *bizelmen* Hoppe *leveren, gelike dat men hun*
„ gruite Leevren zoude, ende dair mede zoe Zeg-
„ ghen wie de onderlinghe ghe effend ende ghe-
„ ſceyde. In die Konde deſen Brieve bezegeldt
„ met onſen Zeghele. Ghegheven in die *Haghe*
„ des Saterdaghes voir Sente *Jans* dach te Midde
„ Zommer *jnt Jaer ons HErren, Duſent drie hon-*
„ *dert zes ende twintich.* „

En

En Nodus vere Gordius ſi nondum ex aſſe ſolutus, totis viribus, ſi vales, diſſolvendus. Viden! Cereviſiam olim *Grutta*, poſtera ætate *Lupulo* conditam. Obſerva quoque hanc ſive *Gruttatam* ſive *Lupulatam* cereviſiam coxerint, utramque eodem tributo redimendam præcipi. Ex quo cum primis certum eſt neutram de polenta accipi, utpote quæ ceu cereviſiæ ſubſtantia alterutra juvari atque confici depoſcit. Unde *Gruit* herbam fuiſſe fateberis, cujus vices lupulus nunc ſuppleat. Hanc vero digito mihi oſtendere non minoris operis laborisque æſtimo, quam *Müntingium* convincere Lapathi Speciem A. 1672. fortuna repertam, ut & *Hadrianum Junium*, Cochleariam non eſſe Herbam Britanicam.

Gruitiæ vectigal ſeculo X. non fuiſſe incognitum docet Diploma Ottonis Imp. anni 998. apud Wilh. Hedam *Hiſt. Ultraject. p. 95. Teloneum vero & negotium generale fermentatæ Cereviſiæ, quod vulgo* Grutt *nuncupatur, Cœnobio Sancti Martini confeſſoris penitus in proprium tradidimus.* Et in alia Henrici Regis Confirmatione eidem Eccleſiæ A. 1003. facta apud Eundem p. 100. *Telonium vero monetam, & negotium generale fermentatæ Cereviſiæ quod vulgo* Gruit *nuncupatur &c.*

Placuit ex hinc Schlichtenhorſtio *Hiſt. Gelriæ Lib. 6. p. 94.* Errorem pontano eadem *Hiſt. p.* 139. commiſſum notare, ubi pro *fermentum*, quod *Otto* Gelriæ Comes emptionis titulo in villa *Gronlæ* (hodie *Grolla*) anno 1236. comparaverat, fermentum, & frumentum ſcripſit. Digna præterea notatu Schlichtenhorſtii Diſtinctio eſt, quam dicto loco

Cere-

Cereviſiam pinguiorem, utpote fermentatam inter & tenuiorem ſive *Citham* facit. Vulgata Batavorum lingua, **denn, offte Scherp-Bier ſonder Giſt,** quarum illam Teloneo affectam, hanc vero exemptam arguit ex præmiſſis *Ottonis* & *Henrici* Imp. præceptis. Non promiſcue, ſed quibusdam tantum Civitatibus & oppidis jus coquendæ cereviſiæ, olim uſitatum, neque iſtorum temporum Lebethes ejusdem, cujus hodie, capacitatis fuiſſe ex eo infert dictus Schlichtenhorſtius *p.* 94. quod iſto ævo longe impoſſibile fuiſſet earum 350. ſolo Amersfortio extitiſſe.

Atque ex his plus liquido conſequitur non totam inſulſam eorum illationem eſſe, qui ipſis principibus & Epiſcopis Dynaſtis & oppidis, jus parandæ Grutæ competiiſſe ſtatuunt; Ex dominio Eminenti jus illud competebat; vel ejus exercitii facultatem *aliis* erga annuum cenſum concedendi, vel in propriis officinis paratam publice vendendi, quemadmodum Pragæ, Hildeſii & alibi jus braxatorium exerceri compertum eſt. Abſint proin Cachinni ſummos Magiſtratus braxatorum ſive gruttam parantium cenſu eludentes atque exiſtimantes hoc opificii genere magnates ipſos fuiſſe diſtrictos, qui haud aliter hoc jure gaviſi ſunt, quam jure braxandi, allibrandi, medagii, Acciſarum, telonii &c. ex quibus ampliſſimos cenſus percipi nemo non intelligit. Redeo ad patriam vicinis Belgiis oppidis ſat vaſto itinere peragratis. Ampliſſima olim maximique apud Monaſterienſes emolumenti *Grutæ* dignitas & conditio, qua nulla forte germaniæ in urbe unquam viſa eſt celeberior. Spectabile hic fulgebat Collegium vulgo *Grutampt*, ſingularis quoque curia

curia (*Gruythauſs*) rebus ſui officii tractandis deſtinata. Magiſtratum ejus gerentes dicebantur Gruyt - Herrn, quibus ſuprema rerum commiſſa adminiſtratio.

Gruta Præfectorum ut & proventuum diſerte meminit Kerſſenbrockius, Auctor Inquilinus, proin rerum ſuæ Patriæ præ reliquis gnarus *Deſcript. Urb. Monaſter.* c. 10. de Diviſione Incolarum, duo, inquit, Grutt-Herrn *Præſides Schomarii, qui præſunt vectigalibus, ac proventibus, qui & â myrthea Cereviſia, primario ſcilicet Urbis potu tributum exigebant, qui proventus olim uberrimus erat.*

Apertiora hæc tibi Coronidis loco ſiſtat Status commodi atque oneris, ſive ex *Grutta* Monaſterienſi accepti atque expenſi:

Status der Schulden, ſo vom Gruit - Hauſe *der Stadt* Münſter ante Annum 1655. verſchrieben, belauffe ſich an Capital in ſambt zu 284246. Rthl. Hievon reſtiren an Penſion biß zum Jahr 1669. einſchlüßlich ad 135429. Rthl. Summa Summarum deren ante annum 1655. vom Gruit-Hauſe / Brennerey und Wein-Hauſe verſchriebener Schulden belaufft ſich an Capital zu 287782. Rthl. Summa Summarum deren hiervon reſtirenden Penſionen biß zum Jahr 1669. incluſive erträgt ſich in ſambt zu 135852. Rthl. Status der vom Gruit-Hauß der Stadt Münſter in & poſt annum 1655. biß 1661. incluſive verſchriebener Schulden belaufft ſich an Capital zu 103854 Rthl. Hievon reſtiren an Penſion biß zum Jahr 1669. einſchlüßlich ad 35368. Rthl.

Tuum

Tuum nunc erit, Amice, ex Botanicorum officina condimentum Cereviſiarium nobis propinare defæcatius. Latet utique his in herbis non anguis, ſed Lucina, diſſecando nodo arma ſubminiſtrans, quod ſi feliciter, ut aſſoles, præſtiteris, Magnus & Apollo mihi eris, eris & Apuleus. Vale. D. Ex Muſæo Wickinghoviano ipſis Non. Junij ⊖DCCXXXVIII.

Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino Domino Jod. Herm. Nunninghio J. V. D. Canonico Scholaſtico Vredenſi Protonotario Apoſtolico &c. Amico ſuo Magno atque Veterano &c.

S. P. D.

Cohauſen.

Wieckinghovium.

OBtuliſti mihi nuper Gordium ex antiquitate nodum, vetuſtatis ſitu ita intricatum, ut illi reſolvendo Hiſtoricorum varii hactenus fruſtra inſudarint; continet enim ſtricturæ punctum, certe, niſi acie ingenii Regio acinace non diſſolvendum. Non ſum ædipi Diſcipulus, neque Diphteram Apollinis inſpexi, divinabo tamen, ſeu potius probabili, nedum evidenti Epilogiſmo, illam Antiquæ Patriæ noſtræ *Gruttam* expiſcabor, non tibi, ut periculum facias, generoſum Cereviſiæ Gruttatæ hauſtum propinabo, dudum namque vetus Cererem Gruttandi mos exſpiravit. Neque Grutticulam cum Lenticula conſundam, neque plenis modiis ſpecialem polentam, admetiar, aut

ea-

cereviſiale quoddam venditabo fermentum, aut ſimplex pro hiſce omnibus vectigal tibi obtrudam, ſed ſpretis hiſce omnibus rejectaneis *Myrtheam* Sententiæ meæ coronam imponam, ſeu potius pro antiquo inſigni ex Domo Gruttaticæ Monaſterienſi veluti hederam ſuſpendam. Griphos loquor, explicabo me ad ſingula clarius. Primum itaque in medium prodeat ſententia *Pontani*, te quidem judice, depontana.

Suſtinet hic *Gruttam* vectigal eſſe impoſitum tollendæ diſſipandæque Lenticulæ aquas operienti, quo Limpidiores hauriantur ad potum cerealem conficiendum, ſed hic maxime hæret aqua.

Nunquid erant flumina, nunquid ex viva Scaturigine fontes, quibus nulla, ut aquis ſtangantibus, ſuccreſcit lenticula?

Ambit ruſtici villam foſſa, ex qua ad braxationem haurienda aqua, ſed hem obſtat proveniens lenticula, adeundi præſides Grutarii, ſolvendum vectigal, ut illam removere liceat. Quod quis albis dentibus non rideat? Accedit aliud ſubtilioris, ſi diis placet, ingenii, qui rem furca, non acu tetigit: Gruttam ſignificare *far* ſive ipſam ex hordeo polentam, & quidem jam molendinis paratam, & quod *Grut* Anglis & Alemannis pulverem *minudh.* ſignificet, annuit quidem illi ſtatim *Anton Mathæus* in ſuis Analectis non veritus ſcribere; Gruttam *Malta eſſe ſpeciem*, ſeu frumenti genus madefacti *ad potum conficiendum* apti, ſed ſi ex comitibus, Dynaſtis, magnarum urbium Senatu molitiores efficiet gruttarios & viles polentæ propolas? Gruttæ parandæ artificium, an ad ſupremos Magiſtratus & Dynaſtas eminenti jure pertinuiſ-

tinuiſſe ſtatues cum *Parſio*, quod nunc callent Lixae & Calones & ſordidioris etiam conditionis homines ad ſe pertinere putant? Sed hi mihi crede, non vinculum penitus intactum relinquent, video, dicunt alii, Gruttam fuiſſe fermenti ſpeciem ejusque diſtributionem & teſte *Caroli* IV. Imperatoris Diplomate pertinuiſſe ad ipſos Trajectenſes Epiſcopos pro ſuſtentatione in magnam partem redituum; Ita eſt: Imperator *jus fermentandi Cereviſiam* appellat, ſed quidnam illud fuerit *fermentum Epiſcopale Grutæum* mihi non explicat, nam cum fermentum ex cereviſia fermentata infinita multiplicatione regeneretur, quid opus erat ab Epiſcopis & Dynaſtis emere? Accuratius Diploma ruminanti pateſcet, fuiſſe id olim, quod nunc *Lupulus Salictarius*; atque etiam in hoc nulla hodie Cereviſiæ fermentandæ vis obſervatur, ut illud hujus vices ſupplere potuiſſe non videatur, quo argumento promoto alios exiſtimare doces Gruttam nil aliud fuiſſe, niſi ſimpliciter vectigal aliquod Cereviſiæ coquendæ impoſitum, ſed & hi penitus â Linea aberrant, niſi ſoluto iſto vectigali Cereviſiæ fermentum ſponte induci ſibi nobisque perſuadeant. Fruſtra Trajectenſis Epiſcopus *Joannes Carolo* IV. Imp. conqueſtus fuiſſet Trajectenſes omiſſa Grutta Cereviſiæ Lupulum adjicere ſicque ſibi debitum inde commodum detrahi, ſi ex Braxatione ſimplex vectigal intelligas perinde illi eſſe potuiſſet, quid coctores adjicerent, an *Gruttam* an *Lupulum*? Ex allegatis porro tuis in dubie colligo, quidquid demum *Grutta* fuerit, Magnates & Senatus ejus privative fuiſſe propolas, ceu aperte illud probas ex vita *Gerhardi* de *Marca* & *Everhardi* de *Deeſt*

Epp.

Epp. *Monaſt.* XXXI. & XXXII. quorum uterque æquali Grutationis privilegio inclaruit, hic ceſſione Grutatici juris pacem Mitræ Pedoque â Civibus comparavit.

Confirmat id *Wilhelmi* Comitis Litteris de ann. MCCCXXVI. ad *Diedericum* Leidæ Burgravium ejusque Scabinos ac Senatum datis.

Quarum verba in idioma Latinum traducta, ceu aptiſſimum huic nodo diſcindendo acinacem hic jungere lubeat.

„ Ad quos Nos bono Conſilio ac providentia „ Sententiam noſtram hoc modo aperimus. Quod „ qui ſicuti antea *Grutam* Leidæ habebat, una ha- „ bebit *Lupulum* & *Grutam*, ita ut bonis homi- „ nibus tradere valeat, & qui *Cereviſiam Lupula-* „ *tam coquit, tantundem pecuniæ mittet ad haben-* „ *dum Lupulum pro cereviſia ſua grutanda, quan-* „ *tum mittere debet pro gruta ad æqualem quanti-* „ *tatem cereviſiæ grutandam. Et ad hoc Lupulus* „ *tradi debet loco grutæ, quæ aliter eſſet tradenda.*

Itaque ex his evidentiſſima concluſio eſt: Monopolium *Grutæ* ſibi ſervaſſe Imperantes, eamque fuiſſe Lupuli nunc uſualis loco Cereviſiæ braxandæ additamentum, ſed quale? an herba? an ſemen? quæris, ſilent hic omnes.

Et mirum ſane, quomodo inter paucas annorum Centurias rei olim notiſſimæ intercidens memoria tot ſcriptorum erroribus anſam dederit, tum cum urges, ſententiam meam ratione & authoritate pronuntio firmatam Grutam nihil aliud fuiſſe, niſi Myrthum Brabanticam, quæ celeberrimo noſtro Botanico audit Rhus Myrthifolia Belgica, hæc enim unica eſt, quæ in defectu Lupuli Sali-

Salictarii olim inuſitati Cereviſiæ coquendæ, & ut appellant, *fermentandæ* â veteribus deſtinata fuit. Audi famigeratiſſimi *Simonis Pauli* trium Daniæ Regum Archiatri in Quadripartito Botanico *claſſe ſecunda p.* 44. de hac ſententiam: *Nullum alium uſum doctus ſum, quam quod tam in Belgio, quam bis aliisque locis Cereviſiam coquentes ei addant, ut tenuis dilutaque carius veneat, quippe qua aptior evadit, ut ocyus impediat greſſus debilitetque caput.*

Quod quia in illa veteri cereviſia ſic fermentata vitium obſervatum eſt, Poſteritas in re Botanica verſatior flores lupuli ſalictarii magis inſontes ac iſti fini aptiores ſubſtituit, unde paulatim gruta in deſuetudinem venit, manente tamen eodem ex Lupulo proventu & cereviſiæ braxandæ vectigali, quod hodiedum ſub *Acciſarum* nomine ubique in urbibus ſolvitur. Ne vero id meam tantum conjecturam exiſtimes, tuus ipſemet notiſſimus Patriæ ſcriptor *Kerſenbrockius*, utpote iſtius cereviſialis Conditurae ævo jam ante centenos annos proximior, loco âte citato hanc urbis ſuæ, in qua maxime grutandi jus viguit, cereviſiam myrtheam appellat. *Duo ſunt* (repetamus, ſi jubes, ipſiſſima verba) Gruthern, *Præſides Schomarii, qui præſunt vectigalibus & proventibus, qui et a* Myrthea Cereviſia, *primario ſcilicet urbis potu, tributum exigebant, qui proventus olim uberrimus erat.* Quid illo in rem meam apertius? Vnde autem myrthæum hoc Cereviſiæ condimentum *Grutæ* nomen obtinuerit, ædipus dixerit. Quod ſi minutum pulverem indicet, probabile eſt ob diverſas cauſas;

maxime vero intimius communicandas fermentationis vires aptis molis in ſubtilem pulverem redactam fuiſſe, certius namque ea ſubforma unicuique cereviſiæ vaſi & ſua determinari quan itas, & vectigal exigi ac perſolvi poterat. Adhuc vero in dubio eſt, num *Gruta* illa, quid ſimplex ac compoſitum fuerit. Dubitandi rationem ſuggerit *Athenæus L. X.* qui tradit antiquiores, ut potum ab acore tuerentur, condirent, diù ſervarent & potantibus amariorem redderent, loco lupi ſalictarii (qui nulli niſi forte uni Plinio *L.* 21. *c.* 15. memoratur) *Parabiæ* ex milio paratæ addidiſſe *Conyzam*, ut ſcribit Henricus Meibomius Tr. de Cereviſiis *C.* 26. *n.* 21. jam vero notum ex Lexico *S. Hannoti* & *Hoogſtrati* Milium apud Batavos dici *Grute*, ut quis ſuſpicari poſſet ex *Myrto* ac *Milio*, ut antiquiſſimis temporibus ex *Mylio* & *Conyza* paratam fuiſſe vectigalem iſtam Cereviſiæ conditura*m* *Gruttam*, quamvis id pro veritate indubitata nolim venditare, ſi enim ſimplex tantum Myrthus vendita fuiſſet, eadem facilitate ac hodie Lupulus etiam â Gregariis diligentia æconomica haberi potuiſſet, neque â Dominis Grutariis vectigali ſoluto comparare neceſſe fuiſſet.

Judico igitur iſtam conditurae mixturam in arcanis, ne publico innoteſceret, habitam fuiſſe, unde quoque factum, ut quid proprie fuerit, poſteri non reſciverint, nec ſcriptorum quiſquam detegere potuerit, ex quo illæ *Pontani*, *Matthæi*, *Parſii* hallucinationes facile ſubnatæ ſunt.

Sufficit ex his patere primum ac præcipuum illius *Gruttæ* conſtituens *Myrthum* exſtitiſſe, quæ æque generoſam, ut hodie Lupulus, Cereviſiam,

ſed magis inebriantem, ſeu Caput. pedesque turbantem, conſtituit.

Habes nunc, Amicorum maxime, nodum hunc Antiquitatis Gordium pœnitus, ni fallor, â me extricatum, quod hactenus ob rei obſcuritatem pauci auſi ſunt attentare, ſolvere nemo. Quæ tua Eruditorumque noſtri ævi de hac re ſententia ſit, ſcire aveo. Vale ex Muſeo Vredenſi pridie Calendar. Julii ☉ DCCXXXVIII.

Epiſtola Amœbæa Pyladis ad Oreſtem.

EX Monumento Officinæ ferrariæ Bucholdienſis Sacro pertractans argumentum, an ferrum poſſit mutari in metallum nobilius, aurum vel cuprum?

Ea ſolet eſſe natura genuini Patriæ nati, ut natale ſolum fauſtum fortunatumque in votis habeat, & quantum in ſe eſt, ad ejus promovendam felicitatem omni cura atque ſtudio collimet, ut ſcite plato ad Architam ſcribit *non ſibi ſe ſoli, ſed patriæ natum recordatur.* Notum tibi eſt, Amantiſſime Oreſtes, ut præfiſcine loquar, ad hujus morem atque genium me quoque omnes impendiſſe nervos, ut patriæ ſervirem, in eaque quoquo modo prodeſſem amœniorum litterarum incremento, unde antiquitatibus ejus eruendis tot annorum labores tot quoque impenſas feci, nihil magis exoptans, quam ut patriæ ſua ſtabilis foret felicitas atque ornamentum, tum exprimævis ac vetuſtis Privilegiis tum ex ſpontaneis redditibus, quos terra ipſa fundit. Non intermiſi illa ex antiquis Tabulis ac Diplo-

plomatibus, hos vero in Monumento Officinæ Ferrariæ Bucholdienſi Sacro aliquatenus deſcribere. Inde mihi quoque nata eſt Panegyrica in illam Inſcriptio, inqua alia inter hæc utique legeris verba: *Qui ſe naturæ Myſtas & Hermetis profitentur filios, in ipſa Martis minera auri ſcrutantur ſemina & primam operis Sophici Materiam.* Quæ non fruſtra à me adducta cenſebis, nam mox infra adjeci: *Quis novit patriis quid adhuc abundet in agris, quod poterit lucri ſiſtere ſera dies?*

Cum igitur confabulantibus nobis ſeſe aliquando inſinuaverit diſcurſus de Minera Martiali, ſcriptores nempe quosdam chymicos ſuſtinere in illa auri contineri particulas certa enchireſi ſeparabiles, alii vero primam Sophorum materiam in illa reperiri ſibi perſuadeant, hanc ipſam materiam hujus Epiſtolæ volui eſſe argumentum, ut quid de illa ſentias, à te, ceu per multorum temporum experientiam in laboribus ſpagyricis verſatiſſimo explorem. Multos & magnos quidem labores in officina Bucholdienſi ad ferrum ex minera eliciendum depinxi, ex quibus aurum & argentum ſufficienter procurari notum eſt, ſed ſi aurum ipſum materialiter ex illa extrahi poſſet, pro! Quantum lucri redundaret in artifices! Weſtphalia Mimigardica neque aurum neque argentum, quantum hactenus conſtat, in mineris progenerat, neque ferrum ipſum apud antiquos Saxones magno in uſu fuiſſe Tacitus his verbis teſtatur: *Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicut è genere telorum colligitur.* Quod tamen ipſum, quod eos latuit, vel ipſa terræ ſuperficies producat. Si vero hoc auri particulas contineret, immenſa foret laboris merces atque incredibilis in patriam ex uberaret proſperitas.

Tranſmutatio ferri in aurum mediante Tinctura Phyloſophica an poſſibilis ſit, non vacat tecum diſputare, particulas autem auri ex variis ſubjectis, quibus illas natura indidit, ſeparari aut præcipitari arti non videtur adynaton. Ita ex antimonio Talco aureo, Smiride &c. particulas quasdam aureas Secerni memini me legiſſe apud Adeptos. An autem ferri minera Sulphure Scateat aureo, ut de prædicata portio labores & expenſas compenſet, ab experientia diſcendum. Ego quidem totus perſuaſus ſum Lucelli potius votum eſſe quam realitatem. Interea neſcio, an Regionem feliciorem dixeris, ubi Princeps mineras habet aureas, quam ubi ſubditi in copia ferreas. Auro & argento carere poſſet hæc Mundi Univerſitas, non tamen ferro, quod *optimum peſſimumque* audit Plinio *vitæ inſtrumentum Nat. Hiſtor. L.* 34. c. 14. ubi reſcenſet illius neceſſitatem his verbis: *Hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria, vites ſquallore deciſo annis omnibus cogimus juveneſcere. Hoc exſtruimus tecta, cædimus Saxa, omnesque ad alios uſus ferro utimur.* Rolfincius *Diſſertat. Chymmica VI.* his addit: *Tanta Authoritatis eſt hoc metallum in mundo, ut in pace & quiete in magnis Regnis Res Publicas in Rebus Publicis Civitates, in Civitatibus Domos conſervet, cuſtodiat ſolitudines, muniat Turres, ut in omnibus locis ſumma ſit ſecuritas.* Qnamvis è converſo non nullorum ſit ſententia, metallum illud, ceu humano generi execrandum, omnibus viribus potius ſupprimendum eſſe, quam ut tanto ſumptu atque labore è terræ viſceribus eruatur; Ita ut contemptu potius hoc opificium quam Privilegiis excipiendum ſtatuant, cum ejus na-

Digitized by Google

ſuræ inſtrumenta perficiat, quibus promovetur humani generis exitium, de quo illud Tibulli:

Quis fuit horrendos qui primus protulit enſes?
Quam ferus & vere ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata.
Tunc brevior diræ mortis aperta via eſt.

Verum non inculpemus fabros, Slopeta, Machæras & id genus ſæva belli tormenta parantes, potius eos, qui his in perniciem hominum abutuntur, ut gnaviter priores ſuos verſus interpretatur idem Poeta:

At nihil ille miſer meruit. Nos ad mala noſtra
Vertimus in Sævas, quod dedit ille, manus.

Utut hæc: Veteres Romani tanta in æſtimatione illud habuerunt, ut nobiles ſoli annulos geſtare poſſent eosque ferreos. Tanta ergo cum ferri neceſſitas ſit, illam patriam feliciorem eſſe conſequitur, ubi terra ferri copia ſubditis quam auri Regentibus tributum ſoluit.

Ferri neceſſitatem ipſa natura indicat, nam majorem illius in mundo quam auri quantitatem inveniri certum eſt, ferri autem copiam viſa eſt natura negaſſe barbaris gentibus, ut inſtrumenta in cædes mutuas deeſſent. Quomodo autem veteres Saxones ſine copioſo ferri uſu vivere potuerint, vix ſatis comprehendas, cum nec de ollis nec inſtrumentis ferreis pro culina, nec pro agris colendis aratro, nec armis, acinace, aut gladiis ad ſe defendendos proviſi fuerint.

Si igitur Proceſſus ferrum meliorandi, exaltandi, aut in metallum generoſius transmutandi tibi noti aut explorati ſint, velim eos publicè communi-

Digitized by Google

nices, ſatis enim curioſi in patria erunt, qui Societatem Metallurgicam inibunt pro tentaminibus faciendis & capienda in his experientia. Conſiderandum tibi eſt illud Celeberrimi veſtri Anglorum Medici Sydenhamii monitum, quod alias de non occultando arcano antifebrili proponit. Textus ſeria penſitatione aut ſequela digniſſimus, ut noſti, hic eſt:

Si quis inter mortales reperiatur, qui patriæ felicitatem invento aliquo promovere poſſit, exiſtimo omni jure teneri, ut humano generi rem illam ſummopere expetendam patefaciat, quod ſi non fecerit, ego illum nec boni Civis nec prudentis viri nomen promereri pronunciare auſim, neque enim civis boni eſt, illud in rem ſuam vertere, quod toti patriæ tam ingens beneficium apportet, nec viri prudentis divina benedictione ſemet ipſum privare, quam à ſumma bonitate liceret exſpectare, ſi ad publicum bonum promovendum ſe accingeret, honoris autem ac divitiarum longè minor apud probos ratio habetur, quam virtutis ac ſapientiæ. Vale & ſi quid hanc in rem Commercio litterario dignum habes proxime reſcribe. Equidem ut gnaviter Bœthius:

Hæret profecto ſemen introrſum veri,
Quod excitatur ventilante doctrina.

Iterum vale. Dab. ipſo Martis die Octobr. XXVII. ⅭIↃDCCXLIX.

Svaviſſimo Oreſti.

Novum conceptum pro Supplemento & Ornamento Tomi tertii Commercii Litterarii Suggerit Pylades.

NOtus eſt inter eruditos Magnetiſmus Litterarius inſtar

inſtar Herculis Gallicani catena quaſi aurea attrahens mutuoque devinciens Sacræ Palladis Alumnos, Inde tot nata Commercia Litteraria: tot Virorum Doctorum Societates rerum phyſicarum, Medicarum, Mathematicarum, Meteorologicarum arcana detegentes. Coaluit quoque noſtra ex eo amicitia: Ortum eſt noſtrum Commercium Litterarium medium prope jam ſeculum durans, cujus *Tomus IIdus* jam in lucem prodiit, & Minerva ſecundante faventeque Apolline nunc *Tertius* ſequitur. *Pyladis* atque *Oreſtis* prædicatis in Tomo 2do uſi ſumus ad Amoris & Amicitiæ noſtræ deſignandæ vincula, ceu tot ante annos non infeliciter nexa.

Conteſtatus ipſe es jam illa anno hujuſce Seculi decimo ſexto, quando Præludium Pacis nomini meo inſcripſiſti, cujus quidem MSCtum, ne blattis ac tineis pabulum relinqueretur (Opuſculum enim lectione dignum eſt atque à genio tuo Poetico apprimè commendatum) meis Sumptibus *Burgoſteinfurti* prælo ſubmiſi.

Tranſière jam plura luſtra, quando alium pariter Tractatum de Vegetabilium tranſitu in fundos alienos mihi voluiſti dedicatum, qui curioſitate phyſica nulli alteri cedit, utpote de quo argumento nemo hactenus, quod ſciam, pertractavit. Hujus quidem libri impreſſionem in Commercii Litterarii Tomi primi *Epiſtola III. p.* 30. meis Sumptibus promiſi, quod promiſſum publico factum, cum cadat in debitum, haud inconveniens judicarem opuſculum iſtud, mole non adeo grave, Tomo huic Tertio adjungi, tum, ut obligationi meæ ſatisfaciam, tum, ut hoc ceu Amicitiæ hactenus inviolatæ

latæ pignus oſtendam, Tabulas Æneas ad eandem requiſitas ornatus cauſa adjecturus.

Occaſionem, memineris, huic tuo ſcripto dedêre Vegatabilia, neſcio qualia, conchulis adnata, præter alium majoris moduli fruticem pariter conchylio accretum, quæ Muſei mei curioſi partes ſunt, tibi in Wickinghoviana Campeſtri Bibliotheca â me aliquando commonſtratum, ut tuam in illum excitarem expectaremque Criſin, quæ ſi ad quam ſpeciem Geneſeos pertineant, indicare valeas, exquiſitum te Botanices, æſtimaturus ſum Magiſtrum.

Mirabile eſt Conchas etiam præbere natalem fundum, in quo frutex provenire & ſucco nutritio hauſto tanquam ex ſemine ſuo ſuccreſcere valeat. Revera hunc recte appellitas fundum peregrinum, id quod procul dubio non unis exemplis non poteris non docere. Rari autem; ni fallor, argumenti eſt hæc materia, Critico tuo calamo non indigna, qui proletariis aut vulgo notis ab aliisque jam pertractatis ſeſe diſtringere, actumque agere minime ſolet, ut teſtes uno plures habemus ſcripta â te jam ab annis bene multis evulgata, Eruditorumque calculum promerita.

Conceptus igitur meus eſt, ut hæc Diſſertatio tua, ceu plura continens naturæ Myſterioſæ arcana Tomo Tertio, hujus Litterarii Commercii & ornamento addatur & Supplemento; quod nec tibi nec Lectori noſtro ingratum fore confido. Perinde namque eſt, ſolitaria, an aliis comitata prodeat in lucem. Suffecerit tribus his Commercii Tomulis (nunquid inſueto in tam decrepita ætate exemplo?) Amicitiæ noſtræ Pyladeæ ad funera uſque perennitatem typo conteſtari. Vale, eaque proſperitate per-

Digitized by Google

perfrui perge, quam nec infirmitas imminuat, nec hebetat fatorum caſus. Ex Wickinghovio ipſis Nonis Novembris Ao. ƟDCCXLIX.

Amantiſſimo Pyladi
Gemina Erotemata ſolvenda proponit Oreſtes.

MEmineris procul dubio inter nos Sœpius moti diſcurſus, ubi & quibus varia tua & *Monumentorum Monaſterienſium & Weſtphaliæ Sacræ atque doctæ*, nec non *Diatribes* de *Vita Epiſcoporum Mimigardiæ Manuſcripta*, & ex polienda & perficienda, ſi forte eo usque vita tibi ſuberſtes non foret, aliquando poſt fata committeres, non ambigens, quin inter bonorum tuorum hæredes ſint futuri, qui id Manibus tuis præſtent beneficium.

Verum enim vero, ſi tibi narravero, quid mihi adhuc quidem vitales auras inſpiranti in tractatulo meo Neotheali contigerit, non dubito, quin omnem ejus ſpem ſis abjecturus.

Emiſeram in lucem, ut tibi quoque ex *Bibliographia* mea *Commercii* noſtri *Litterarii* Tomo Primo adjuncta conſtat Anno 1716. *Neotheam* ſive de medicatis Herbarum Infuſis ad omnis generis morbos ſervientibus Tractatum ſumptus præli *Fuhrmanno* Bibliopola Oſnabrugenſi faciente, qui ita ſuæ ſanitatis ſtudioſis Amatoribus in Hollandia placuit, ut Anno 1719. fuerit in idioma elegans Batavicum â linguæ iſtius experiſſimo D. *Graſpero* additis quibusdam notulis & infuſis febrifugis translatus. Editioni quoque Germanicæ ea contigit fortuna, ut pauco tempore

ejus

ejus exemplaria fuerint divendita & fruſtra in Bibliopoliis quæſita. Unde vix ſumme induſtrius *Meyerus* Bibliopola Lemgovienſis è re ſua judicavit hunc de novo ſuis ſumptibus anno 1728. imprimere, cui Editioni quidam Botanicus ſive *Kreutermannus* medicinæ, ut ſe appellat, Practicus, fideles manus præſtitit? illi quidem non ad Calcem adjiciens, ſed mox in principio præmittens Schediasma de Vino, Cereviſia, vino aduſto, Tabaco, fumali & naſali, potu *Caffé* & *Chocalade*, quo quidem totum opuſculum magis vitiatum quam exornatum eſt. Sanitati namque conſervandæ morbisque curandis deſtinatus Liber variis vino ejusque ſpiritu, Cereviſia, Tabaco vitæ abbreviandæ expeditis mediis locupletatus eſt, & mox in libri veſtibulo noxia ejusmodi catharmata quaſi venalia ſuſpenſa ſunt, quod jam uberius in *Bibliographia* mea ad Tractatum *Neotheiæ p.* 138. commemoravi.

Contigit vero, ut deficientibus rurſum Editionis ſecundæ exemplaribus prædictus Bibliopola molitus ſit tertiam editionem, cui eadem vitæ accurtandæ media rurſus inſerta ſunt, quæ nunc univerſum Orbem literatum pervagantur. Singulari autem aſteriſco notari meretur, quod in præfatione ſua dictus ſcripti mei augmentator me â vivis jam exiiſſe ratus me *beatum* appellarit, cum tamen nemo ante funera dicendus ſit beatus: Hoc tamen ſuppoſito licentiam ſibi permiſſam, judicavit ſcripto meo addendi ſeu potius præmittendi varias ejusmodi quisquilias. Mirandum porro, cur vir ejusmodi in re literaria & libraria apprime verſatus, me inter vita de functos reputare potuerit, tot poſt liminio libris in lucem miſſis publico non ignotum.

Ma-

Majorem autem admirationem meretur, cum ex *Pica Naſi* & *Raptu exſtatico in montem Parnaſſum* facilè cognoverit, quantus ſim Nicotianæ naſalis in peſſimum abuſum nunc in utroque ſexu verſæ oſor, & licet forte dixerit, utrumque libellum utpote Amſtelodami impreſſum ad manus ſuas non perveniſſe, id ipſum tamen ex *Pica Naſi* â Profeſſore Lipſienſi Anno MDCCXX. in idioma Germanicum verſa ſcire potuiſſet, ut additamentum tabaci Sternutatorii excuſationem habere non poſſit. Super quo libros tractandi modo tuam Criſin expecto.

Memorare hæc tibi volui, Amantiſſime Pylades, ut ex iis ſubſumere poſſis, ſi illa ſors meo libro me adhuc vivente obvenire potuerit, quid de tuis MCSptis adhuc imperfectis & aliena opera aliquando perficiendis ſit augurandum. Eſto manſionem illis, quæ aliis libris tuis publico deſtinatis futurum, nunquid metuendum, ne alii iis abutantur & varia ſumma diligentia â te ex Archivis conquiſita tabularia, imo totos textus excerpant, & ſibi gloriam acquirant tibi poſt fata debitam. Taceo quod vel vitiosè tua ſint deſcripturi Amanuenſes, quod multoties in antiquis Autoribus contigiſſe Tibi ex Barthii aliorumque Adverſariis ignotum non eſt, Tum quod etiam variis abſurdis MSpta Tua repleri valeant, & tu illorum Author audire &c. de Bibliotheca quidem tua non adeo grandis eſt difficultas, ſed magna ſatis de manuſcriptis, quo loco eadem â Plagiariorum rapina tutari valeas. O quam multa aliorum MSpta ſub nomine aliorum publicata ſunt, unde illud natum:

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honorem ſic vos non vobis mellificatis apes. Facilis eſt jactura

MSptorum

MSptorum. Multi audiunt Authores, qui nec unicum quidem Paragraphum editi operis confecerunt. Voveo igitur. Deus tibi det vires & annos, quibus MSpta tua exaſcies, expolias, perficias, quod cum illorum multitudine: Cum grandæva tua ætate collata vix poſſibile videatur, ſaltem eadem ab Harpyarum ſeu plagiariorum deprædatione ſalvandi & conſervandi ſalutarem methodum concedat. Quam ſi jam noveris, & mihi aperueris, rem facies gratiſſimam. Vale.

Epiſtola Amœbæa Pyladis ad Oreſtem de Apoſtolatu & Legatione Weſtphalorum in orbem.

Vredenam.

WErnerus Roleſincius *Lacrio* Monaſterienſis Sacræ D. *Brunonis* familiæ ad S. Barbaram Colonienſis Socius, cujus vitam *Mimigardiæ docta* inſeruimus, egregium quem noſti de *Weſtphalorum* ſeu *Antiquorum Saxonum ſitu* ac *Moribus* edidit libellum, in cujus Libro tertio per aliqua Capita de *Apoſtolatu* & *Legatione Weſtphalorum* in Orbem terrarum pertractavit, & multa in gentis ſuæ laudem de illius virtute ac fidelitate & ad omne exercitiorum genus habilitate protulit.

Libellum hunc de novo editum anno MDXIV. Reverendiſſimo & illuſtriſſimo Principi Erico Duci Brunſvicenſi in *Grubenhagen* Quadrageſimo Nono Monaſterienſis Diœceſeos Præſuli Optimo Maximo *Ortwinus* de *Græſs* pariter Weſtphalus dicavit & conſecravit. In cujus Præfatione aſſerit nullum eſſe in orbe, locum neque tam recondi-

tum

tum neque tam ſcopulis præcipitem in quo non inveniatur Weſtphalus & Fide & Religione præclarus, quod Apoſtolatum ſeu Legationem per Orbem terrarum appellat *Rolevincius* illique applicat illud Propheticnm: *in omnem terram exivit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.*

Qua Ratione vero Weſtphalorum populus per orbem ſic fuerit diſperſus ipſe *Rolefincius* & ex eo *Bartholdus Nihuſius* Epigrammatiſta ſequenti alias ſat noto Apologo referunt:

„ Dicite mihi quare Weſtphalones ita diſperſi
„ ſint per orbem terrarum, ſi neſcitis ego vobis
„ Cauſam reddam; aliquando dum ſtaret coram
„ Domino *Sathan* quæſivit unde veniret, at ille,
„ cum ſe diceret circuiſſe terram ait Dominus con-
„ ſideraſtine populum Weſtphalorum durum ut ſic
„ tecum loquar & inconvertibilem ac omnibus fi-
„ delibus moleſtum? ait Sathan, conſideravi, ſed
„ ſi mihi dares ipſum amplius tibi moleſtus non
„ fueret, ait Dominus, do tibi ſed ſub illa con-
„ ditione & extra Mundum illum transportes &
„ egreſſus Sathan, Lætus & alacer illa adhuc no-
„ cte cum ſuis magnum ſaccum præparavit in quo
„ ſummo mane Weſtphalos omnes Dormientes de-
„ trudens & humeris imponens poſtea per aera vo-
„ lare cœpit ut eos extra mundum deportaret, quia
„ vero tota nocte nil dormiverat & graviſſimo illo
„ onere portando laſſatus erat, in monte quodam
„ præ laſſitudine ſaccum deponebat & in ſomnum
„ incidens ronchizabit, quo ſono excitati Weſt-
„ phalones, & pro innata aſtutia olfacientes pro-
„ poſitum Sathanæ rauco murmure ſe invicem co-
„ hortati cultris, quos à Sathana ſibi per impru-

„ den-

„ dentiam relictos gaudebant, foramina diverſa in
„ Sacco fecerunt, & per illa auſugerunt, ita ut
„ nullus recordaretur proximi ſui ſicque factum eſt,
„ ut per totum orbem Weſtphalones diſpergeren-
„ tur experrectus poſtea Sathan & cum dolore ac
„ gemitu Domum revolare coactus, Weſtphalo-
„ nibus omnes mundi partes turbantibus citatus
„ eſt ad Dominum, qui in crepavit eum dicens,
„ quid eſt quod facere voluiſti! nonne tibi Weſt-
„ phalones donavi, expreſſe, ut ipſos extra mun-
„ dum portares & tu econtra illos per totum or-
„ bem diſpergiſti; ait ille: *Domine, ne imputes*
„ *mihi, tu ſcis quod populus iſte duræ cervicis eſt &*
„ *neque te neque me audit.*

Etſi nonnulli ſcriptorum eandem oculo non admodum benigno inſpicere videantur. Quo potiſſimum referas Schertzerum ejusdemque Commatis alios. Sane Jo. Ludolphus Bünemannus Regiæ Bibliothecæ & Gymnaſii Mindenſis per celebris Rector in *Hiſtoria Domus & Fratrum Prædicatorum Templi Paulini & Init. Gymnaſii Mindenſis pag.* 18. Ubi hunc Relevincii locum ex Leibnizii *S. R. Br. Tom. III. p.* 634. totum inſperſit, *Fabulam* vocat *Ridiculam*, ſed *Ambone S. indignam*, quam quidem nottulis non plane inconcinnis interjectis adhuc magis reddidit ridiculam, quas Aſteriſco quemadmodum & variantes Lectiones, notatas modo legiſti.

Arguta ſane Fabula, cujus primus, quod ſcitur, author eſt, Wernerus *Rolevincius*, ſub qua tamen occulta latitat veritas. Notiſſimum interea Weſtphalos, ut jam olim ſic hodie in omnibus paſſim Orbis regionibus & Europæ urbibus reperiri, non

qui-

quidem Bajulo. *Sathana*, ſed alio & Dæmone deductos. Ipſe quærit *Rolevincius* Capite primo, quorſum ibis, Lector Candidiſſime, ubi non invenias Weſtphalos ſedere in arduis negotiis & præcipue in illis, quæ ex fide aguntur? Hunc Weſtphalorum per terras excurſionem ingenioſe ſatis *Apoſtatum* & *Legationem* in orbem terrarum nominat, & per numerationem partium hujus gentis qualificationes, fidelitatem præcipue, & humile obſequium oſtendit, virtute cujus ſi extra patriam præter corpora nihil pretioſum afferat, conditionem tamen promotionem & fortunam aucupantur & quoque conſequuntur, ita ut de illis verificetur illud Scriptum: *Cœlum Cœli Domino terram dedit filiis hominum.*

Credit plures cum Weſtphalia generet proles, quam nutrire poſſit, quod & Cæteræ terræ in poſſeſſionem cedere debeant, donec ſufficiant nutrimento eorum unde merito legatos ſuos in terras peregrinas mittere exiſtimat;

Legatos vero hos in triplici ſtatuit differentia videlicet *opulentos*, *Mediocres* & *pauperes*: de *opulentis* extra Patriam auro refertos loculos ſecum ſerentibus nihil memorat magnificum, tales enim nominat *Matutinos Dominos* ac *ſervos veſpertinos*, id eſt ſua ſœpe conſumentes, ut ad paupertatem redigantur ut Patriæ fiant dedecus, tametſi primo hæc ipſis decus fuerit. *Mediocres* appellat, quos proſpera nulla comitantur parum aut nihil præter corpora habentes, aut ſi quid poſſident veluti non poſſidere ſe putantes hos ſolennes legatos dicit, quibus ſola virtus in animo eſt eo glorioſioribus, quod non alienis laboribus ſed Apoſtoli exemplo

ſuis manibus vitam tranſigant. Talem utpote in agreſto tuguriolo natum ſatis feſtive deſcribit, quali exhortatione & quibus monitis â parentibus ad Myſterium Legationis mittatur fuſius capite tertio exponit & ad ſcholas forſitan ſors eum miſeri,t quomodo mirabili practica nunc laborando, uunc mendicando, nunc ſtudendo divitibus plerumque antecellat, tandem concludit egrediuntur Bannoſi, futuri glorioſi, ſtipem quærentes, ſed magnas largitur Elemoſynas, pedibus terram calcant, magnos caballos equitaturi inter ſuos non æſtimati, ſed palatia depoſituri, urbes Provincias, populos gubernaturi, beneficia promotiones, honores ſuſcepturi atque donaturi, plura horum exempla & varias, iſtorum legatorum fortunas recenſet & tandem capite tertio concludit. Habeantur ergo in honore legati iſti & amore, quia neſcitur quid per eos Deus facturus eſt, in orbe terrarum. Quos hodie deſpicimus aliquando mirabimur. Quia igitur in Analectis Weſtphalicis in *Bibliographia* tua *pag*.248. memoratis *Nro*. 5*to* memoraſti materiam hanc de Weſtphaliæ legatis in orbem te pertractaſſe, & quidem de quo non dubito, more tuo exactius commentario illuſtraſſe viſum eſt hanc de hoc argumento Epiſtolam Criſi tuæ ſubmittere, ut quæ ad hujus majorem lucem faciunt, mihi reſcribere aut ſaltem diſſertationem illam de legatis in orbem communicare non graveris. Cum enim teſte *Bibliographia* tua ea ſit in pulpitis manuſcriptorum tuorum multitudo, cui indies nova accedunt, vix mihi perſuadeo ea omnia te adhuc vivente prælo fore ſubjicienda.

In

Digitized by Google

In Analectis tuis Weſtphalicis Weſtphalia extra Weſtphaliam â te ponitur, cujus rationem harriolari nequeo, etſi enim incredibilis ſit legatorum ex Weſtphalia in univerſum terrarum orbem numerus propterea tamen id dici non poſſe videtur, quare ſi modum & rationem â te intellexero, rem mihi præſtiturus es oppido gratam.

Interim medullitus voveo, concedat tibi Deus iſtam adhuc dierum longitudinem, ut ingenii tui fœtus jam pridem perfectos luce per impreſſionem accepta in orbem Litterarium quoque exire conſpicias. Dabam ex *Vicicarte* mea.

Epiſtola Amœbæa Amantiſſimo Oreſti ſuo genuinum Apollinis Granni Etymon detegit Pylades.

IN Hercule meo *Polynimo* pluribus oſtendo, quot prædicatis Deaſtrum hoc â gentilibus coli & ſalutari amaverit. Nec *Apollinem* unius cognominis honoribus contentum fuiſſe ex primæ ætatis ſcriptoribus tibi non eſt incognitum. Certe dubites, quis alter alterum prædicatorum ubertate præcellat. Inſtituti noſtri eſt ex tot reliquis originationem Granni ſive Granii ſaltem hac Epiſtola perſcrutari. Eccardus Diſſertatione de *Apolline* Granno *Mogouno* geminas tantum has in lucem productas memorat Inſcriptiones: *Apollinem Grannum* ſive *Granium* cognominatum oſtentantes, etſi quatuordecim *Granni* axiomate famoſos Gruterus diverſis locis in lucem protulerit. Primam *Horburgi* (Alſatiæ ad *Illum* ſive *Ellum* fluvium vicus eſt)

Digitized by Google

vix ducentos paſſus Colmaria diſſitus noſtris temporibus repertus Lapis eſt Romanus hac Inſcriptione Illuſtris.

APOLLINI GRAN-
NO MOGOVNO
Q. LICINIVS TRIO
A R A M
D. S. D.

Altra haud procul *Aquisgrano* vico *Erp* ex lapide mutilo detecta, hodie in *Blanckenhemenſi* Illuſt. Comitum gentilitia arce cum tot aliis adorandæ antiquitatis Monumentis ſervatur. Huic inciſum legitur:

APOLLINI. GRAN-
NIO. ATTIVS.

Indago harum quidem Inſcriptionum variis eruditis crucem fixit. *Morellus* de *Mautour* Academiæ Regiæ, quæ Pariſiis floret, Numismatum & Inſcriptionum Illuſtre membrum â Nobiliſſimo de *Corberon* Conſilii Summi in Alſatia Præſide primario excitatus primus Obſervationem ſuam de *Ara Apollonis* Colmariæ in Alſatia nuper reperta anno 1726. conſcripſit, atque in publico dictæ Academiæ conſeſſu prælectam atque approbatam, dein *Diario Politico* (La Clef de Cabinet) Menſ. Jan. Anno 1727. *p.* 1. *ſeq.* inſertam, quæ inde Actorum Eruditorum ſupplementor. *Tom. IX. Sect. VII.* â *pag.* 325. usque 328. inſerta legitur. Hanc Clarimus *Eccardus* alia ſua Diſſertatione diſcutere, rejectaque Mautourii opinione Aram hanc de *Apollinis* Granni ab Urbe Aquisgrano deducendam demonſtrare allaborat.

Hanc

Hanc Diſſertationem Auctor Celſiſſimo Hero ſuo Principi Epiſcopo Würceburgenſi inſcriptam Würceburgi Typ. edidit Anno 1727. quæ deinde eisdem *Actis Eruditorum* eodem *Supplement. Tom. IX.* â *pag.* 346. usque 359. integra inſpergitur. Eandem poſtea Diſſertationem ad exemplum Beati Auctoris recudi fecit Jo. Georg. Eſtor, atque Analectis Haſſiacis Anno 1730. inſeruit Jo. Phil. Kuchenbecherus *Collect. III. N. XI. pag.* 220. *fin.* Primus omnium *Morellus Mautour* Academiæ Regiæ Numiſmatum & Inſcriptionum Pariſiis inſtitutæ Illuſtre membrum á Summi in Alſatia Tribunalis Præſide Domino de *Corberon* excitatus. In Commentariis Würceburgenſibus *Lib. XXIV.* §. *LXXXIII. pag.* 584. ſcribit. Eccardus Romanis Thermas *Grani* fuiſſe notiſſimas ex Inſcriptionibus Apollini Granno aut Granio dedicatis ſe oſtendiſſe, eo quod *Apollo* Aquarum Medicinalium & Calidarum Præſes creditus.

Eſto: Thermarum Aquarumque Calidarum Præſes creditus *Apollo*. Immo vero agnoſco Apollinem Medicinæ Deum, & vel ipſiusmet Æſculapii creditum parentem. An ideo ſequitur Apollinem â Thermis Aquenſibus accepiſſe *Granni* cognomen? Aut ſequitur hujus loci Aquas â *Grano* Romanorum ævo fuiſſe denominatas? In Inſcriptione non longè Aquisgrano *Apollinem Grannum* cultum fuiſſe vult Eccardus *d. Diſſ. p.* 10. Probari ex lapide Mutilo in vico *Erp* reperto & Blanckenhemium ad arcem Illuſtriſſimorum Comitum gentilitiam translato, eique inciſum legi:

APOLLINI. GRA-
NIO, ATTIVS.

 Quid

Quid inde ſolidè concludendum! Innotuerit, largior, aliquamdiu ante Pipinum *Aquisgrani* cognomen, attamen antiquiſſimas Romanorum Inſcriptiones inde Apollini ſuo mutuaſſe cognomentum, ut ſtatuas aut concludas, omnia prohibent. Sequioris ævi eſt Aquas *Grani* vocabulo illuſtrari, ceu Romanorum Ætate incognito. Inſignior quoque fabula eſt, qua â *Granno* Neronis Fratre *Aquas* antiquitus appellatas fuiſſe fingitur, quam ut vir doctus eidem ſubſcribat. Mittamus hic diſcutiendo fatigare linguæ Cælticæ origines, an ab illis proceſſerint Cimbrorum & Walliorum Angliæ *Gro* & *Grajan*, ut & Saxonum *Grant*, quæ ſaburram Glaream, ſabulum ſignificant, & quæ ejusdem furfuris plurima ſunt, ex quibus Eccardus Diſſertationis ſuæ *pag.* 13. Aquisgrano appellationem deductam concludit, quod & ſolum ei præter ingentem arenoſum collem proxime adjacentem magna parte ſabuloſum ſit, quam ob cauſam non tantum Urbem olim *Grannum* vel *Granum* dictam quam maximè veroſimile eſſe, ſed & inde retinere Aquas *Grani Apollinem Grannum*, donec aliquis edoceat his certiora.

Lubeat itaque meam tibi hoc de argumento proponere ſententiam. Hæc diſcutienti occurrit ceu Lupus in Fabula reperta in *Lodoney* ſive *Pictlandiæ* finibus prope *Muſſelborow* Comitum *Mottoniae* olim ſedem Inſcriptio, quam *J. Napier* doctis ſuis ad Apocalypſin Commentariis inſeruit, inde poſtea *Petrus Junius* Regi *Jacobo* VI. â ſtudiis deſcripſit, ac iterum ſuæ *Scotiæ pag.* 5. vindicavit Guilielmus Cambdenus,

APOL-

APOLLINI.
GRANNO.
Q. LVSIVS.
SABIA-
NVS.
PROC.
AVG.
V. S. S. L. V. M.

Quæ poſtremi Verſiculi initialia Grammata communi Antiquariorum interpretatione ita legit Auctor.

Votum ſuſceptum ſolvit Lubens Merito.

Omiſſum V. ante Ly *Merito*.
Cambdenus fatetur neminem Officinæ antiquariæ expoſuiſſe, quis fuerit *Apollo* Grannus, nihil ominus eundem Romanis celebratum putat, qui Græcis. Ἀπόλλων Ἀκερσεκόμης. i. e. *Crinitus*, quod Iſidorus promiſſos Gothorum crines *Grannos* vocitet. Enim vero mi *Cambdene*, nil aptius, nil antiquitati affinius his tuis conjecturis!

Huc facit Concilium Braccarenſe *II. Ann.* 563. *Can. II.* apud Cangium Voce *Grani*. *Placuit, ut lectores in Eccleſia habitu ſæculari ornati non pſallant, neque* Granos *gentili more demittant.* Imo vero etiam barbatorum Grana, nodulos & Myſtaceas ſub naribus corollas (*Harlocken am Haupt und Bardt, noſtris Crüllen*) voce *Granni* denotari, ex his liquet Ernulfhi Roffenſis Epiſcopi verbis *Tom. II.* Spicilegii Acheriani, ubi quærit, cur ſacer Calix laicis propinandus non detur? *Evenit enim*, reſpondet *frequenter, ut barbati & prolixos habentes* Grannos, *dum poculum inter epulas ſumunt, prius liquore pilos inficiant, quam ori li-*

quorem infundant. Quemadmodum quoque ſtatuta antiqua Carthuſienſia 3. *Part. Cap.* 28. §. 13. de Converſis: *Barbam non decurtent*, *nec Raſoriis Grenones radant.* Ubi barba â Grenonis ſive Grenonibus diſtinguitur. Et vetus poema vernaculum MS. apud eundem de Inventione S. Crucis: *Cit qui n'avoit barbe, ne grenons.*

Sane Cangius Savorone & Salmaſio teſtibus *Granum* ſive *Grannum* capillos ſparſos ac diſcriminatos eo denotare docet, quia cum in fine rotundati ſint, *Granorum* formam efficiant, quod veteri interprete Hiſtoriæ *Judith*, ut alia mittam, confirmat: *Comam diſcriminavit*, id eſt *Granam fecit.* Inſpice Apollinis Imagines tot in Nummis & Gemmis effigiatas, easque Inſcriptionibus noſtris ad amuſſim conformes eſſe neutiquam inficiaberis, unde Lapis Romanus cum Inſcriptione Apollini Granno Mogouno nihil aliud denotat, quam Apollinem Crinitum *Moguntinum* ſive Moguntiæ cultum.

Sententiam Cambdeni non terret lapis, mutilus licet, in vico *Erp.* haud procul Aquisgrano inventus, ac theſauro Antiquitatum Blanckenhemenſi illatus, in quo Legi ſupra monebam

APOLLINI GRAN-
NIO ATTIVS.

Unico namque huic vico, ceu ab Aquisgrano haud longe remoto loca opponimus quam longinquiſſimis ſpatiis disjuncta, interque ea â Grutero & Velſero monſtrata, ac cum primis Monumenta *Romæ* reperta, *Muſelburgi* in *Scotia*, *Enderaci* prope *Edenburgum*, *Brettæ* in *Dacia*, in Diœceſi Auguſtana *Phinnigiaci*, *Laulingæ* & *Faingenæ.*

Reponit

Digitized by Google

Reponit quidem *Eccardus* militem Romanum continuo motu Orbem terrarum, quo juſſa Principum armorumque urgeret neceſſitas pererraſſe, ideoque ex Belgio in Germaniam Inferiorem, in Britaniam, Scotiam, Daciamque tranſiliiſſe, & vel hac ratione unam eandemque Legionem in terris longe invicem diſtantibus militantem reperiri. Proin Deorum Dearumque etiam localium, â quibus beneficiis ſeſe affectos opinabantur, erectis ubique monumentis memoriam conſervaſſe, unde & factum, ut *Dianam Arduinam* ab Arduenna Sylva, moſellam inter & moſam fluvios extenſa denominatam ejus Sacerdos in Alma Urbe coluerit. Verum ex omnibus iſtis nihil inferas pro deſtruendo Comati atque ex Grannis & Grenonibus compoſiti capitis habitu, quo Apollo in Gemmis & lapidibus conſpicitur.

Habes ejus figuræ Icones apud Begerum *Theſ. Brandenb. pag.* 56. qui & *p.* 511. ejusdem ſimulacra exhibet Comis Tænia religatis inſignia. Hinc Pauſanias in atticis de Appolline loquens *Tænia Comis redimitum* vocat. *Intonſos ſemper agitat Apollinis aura capillos*, de quibus Plutarchus in Theſeo. Statius *Sylv. VIII.* alii. Atque inde eſt, quod appelletur *Comoſus*, uti *Hercules Lacertoſus*. Sane priſcis frequens erat Appollini crinium votum facere, Exemplum Votæ Comæ habes apud Martialem Epigr. XXXI.

At Inſcriptionem Horburgenſem non tam â Ly Granno, quam *Mogouno* cognomen oſtendere in propatulo eſt. Hanc denominationem â *Mœno* fluvio aſſumpſiſſe, nemo refragabitur. *Mogounus*

 idem

idem denotat, quod hodie *Moguntinus.* In priſcis Diplomatibus *Mogounus* mœni pagus eſt, qui in Præcepto Ludovici *Pii* anni DCCCXXIII. vocatur pagus *Mœngove Moingouue* in *Moingeuue.* vid. D. Eccard. D. L.

Quare minime neceſſarium æſtimes voces *Mogouno* cum Cl. de *Boze* ejusdem Academiæ Pariſienſis membro in illam *Moguntino* ſeu *Moguntuno* ſiniſtra lectione detorquere.

Sane Mogus dicitur pro *Mœno* in Henrici IV. Imp. Præcepto anni MXCVII. apud Schannatum *Vindemiar. Literar. Nro. VIII. p.* 179. quo Thariſſenſi Cænobio Telonii, mercatus & monetæ cudendæ jura concedit: Pro *remedio* (ſunt verba Præcepti) *animæ noſtræ parentumque noſtrorum ac totius poſteritatis ſalute Telonium in* Mogo, *mercatum, ſed & monetæ uſum ex Imperiali authoritate tradidimus &c.*

Similiter *Wenceslai* Romanorum & Bohemiæ Regis Diploma *Friderico* Colonienſi Archi-Epiſcopo de Inſtitutione Frigraviorum anno MCCCXXXII. conceſſim ad calcem habet: *Datum Franckfort ſuper* Mogano. Certe *Mœnum* Fluvium hac voce indigitari in aprico eſt. Unde jam apertè colligis *Appollinem* noſtrum apud Moguntinos olim cultum, indeque *Mogounum* ſive *Moganum* fuiſſe denominatum. Sexcenta hujus farinæ teſtimonia in promptu ſunt, niſi pauca hæc ſufficerent, aſſenſum tuum eliciendo: Etiam ipſemet Eccardus Diſſert. ſuæ *pag.* 14. à Confluentibus *Mœni & Rheni*, *Mogouni*, ſive *Moguntii* vocem, quaſi à *Mo* ſive *Mœn Mount*, *Mond*, os & oſtium fluminis dedu-

Digitized by Google

deductum, ut *Lippæ-Mundæ Veſalia* ad Lippiæ & Rheni confluentes; *Ruræ munda &c.*

Quod vero *Mogouno* pro *Mogono* lapidi inſculptum legitur, durioris dialecte fætus eſt, nondum enim avorum ævo ea oris compoſitio erat, quæ mitioribus labris has voces ederet; Quemadmodum & noſtris diebus Mimigardicularum linguis uſus non eſt Ly panis *brodt*, aliter, quam *braudt*: *broudt* nec *Doet* mors, aliter, quam *Daut*: *Dout* pleno ore exprimere. Unde non mireris mautourium ab Eccardi & Velſeri ſententia planè fuiſſe alienum, quem modo hæc noſtra legiſſet, haud dubio iis propius acceſſurum fuiſſe nobis perſuademus.

Appollo ακειρεκομης, qui ακερσεκομης Homero *Hymni I.* 134. eo quod illi non ſit tonſa neque raſa. Unde *Deus Intonſus* Propert. *III. II.* 54.
Dum petit intonſi Pythia regna Dei.

Quid quod à Dione *Excerpt. Peireſc. pag.* 753. Ubi de Imp. *Caracalla* agit, alios inter Deos nominatur ὁ Ἀπολλων ὁ Γραννος.

Quis denique *Quintus Licinius Trio* fuerit, Aram Apollini dedicans, non eſt hujus loci pluribus diſcutere, Liciniæ gentis fuiſſe patet, Trio cognomen erat. *Lucretiæ* genti commune. Utramque vel patritio vel plebejo ſanguine ortam, atque in plures Ramos diſperſam ex nummis conſularibus apud Patinum de *Familiis Romanis* probe obſervat Mautourius.

Vides igitur, ſuaviſſime oreſti, actum non eſſe de *Appolline* noſtro *Granno*, ac gratis juberi à Mau-

Digitized by Google

Mautourio abire ad *ignotos* Sponii *Deos*, quorum Numerum ad LIII. aſcendere oſtendit.

Videt quoque, quisquis emunctæ naris eſt, Benevolus Lector, ut qui ſub *Apolline Granno Mogouno* Deum Crinitum apud Moguntinos cultum non recognoſcunt, â vero ab errare. Ac potius ab ingenii fæcunditate ſeſe commendare, quam â detectis genuinis ſontibus myſterioſæ antiquitatis. Tu ubi veriora me docueris, haud illubens ſequar præeuntem. Vale, atque bonarum literarum incremento ſenectam tuam conſecrare perge. Ex *Wieckinghovio* ipſo Divi *Laurentii* ⊖DCCXLIX.

P. S.

Quia de Apollinis tecum egi cognomento, lubeat quoque Jovis Vicilini a te expetere natales. Indago, Hercle! tanto illuſtrior ac majoris pretii, quo liberaliori præmio celeberrimi per literatum Orbem Cenſores Lipſienſes Actis ſuis anni Menſ.
pag. ſe remuneraturos pollicentur eum, quicunque genuinam cognominis originem detexerit.
Sane H. *Jovis* prædicata operoſe recenſens &c.

Ad amantiſſimum Pyladem

Epiſtola Oreſtis reſponſoria

De Etymo Apollinis Granni Mogouni.

LAudabile cenſeri debet ſtudium, quod antiquiſſimis monumentis & inſcriptionibus indagandis

gandis & explicandis impenditur, licet juxta C. *Barthium* Adverſar. l. XLVII. p. 2228. *Difficillimæ ſint originationes vocabulorum priſcæ linguæ germanicæ.*

Excelluerunt in hoc genere ſtudii viri præſtantiſſimi *Grüterus*, *Velſerus*, aliique plures, quos imitari voluit Cl. *Jo. Georgius ab Eckart* in enodatione vetuſtæ Inſcriptionis Horburgi in Alſatia detectæ, & Apollini *Granno Mogouno* dicatæ, in qua hoc Apollinis prædicatum valde obſcurum in controverſiam venit, & mentem ſuam ſatis induſtrie atque ingenioſe aperuit, à quo tamen totum te alienum profiteris in Epiſtola nuper mihi miſſa, meam pariter ſententiam præſtolans.

Cum igitur ſalvâ amicitiâ in rebus phyſicis ac litterariis diſſentire liceat, aliam adhuc, quam Cl. *Eccardus* & Tu, ſententiam ſequi, proponere, & probare in hac Epiſtola reſponſoria Decrevi.

Cl. Eccardus quidem pro fundamento ſuæ ſententiæ, & tanquam Principium generale ponit, antiquis Gentilium Divinitatibus pro ratione cultus aut habitationis in diverſis locis varia tributa eſſe cognomina, cujus aliqua in Marte, mercurio, Hercule &c. affert exempla, cui fas eſt ſubſcribere, & facile alia addere.

Sic enim jupiter denominabatur *paganicus*, & *vicilinus*, quia antiqui credebant exſtitiſſe Deum tutelarem vicorum, atque adeo ruſticum Numen. Jupiter *anurus* arvis præſidere tradebatur, à virgilio Æneid. VII. verſu 799. de quibus uberius confer. Nova acta Eruditorum Lipſiaca anno 1747. p. 41.

ita

Digitized by Google

ita quoque Apollo à locis, quibus colebatur *Delphicus*, *Pataræus*, *Tregeæus* appellabatur, unde verſus:

Cui Delphica tellus
Et Claros & Tenedos, Pataræaque Regia ſervit.

Hoc ſuppoſito Cl. *Eccardus* ſtatuit Apollinem eſſe dictum *Grannum* à Thermis aquisgranenſibus, has autem denominationem accepiſſe vera etymologia ex lingua celtica ſeu antiqua germanica, à *Grant*, quod juxta Saxones dicit ſabulum ſive arenam; Territorium namque circa aquisgranum totum ſabuloſum & plenum arena eſt, imo ibi prope reperitur collis, qui non eſt niſi ſabulum.

Concludit itaque hanc urbem primis temporibus accepiſſe nomen de natura ſoli, in quo eſſet ædificata, & de *Grant* ſabulo fuiſſe appellatum *Grannum*, quod nomen quoque conſequenter *Apollini*, cui hæc Balnea fuerunt conſecrata, ſit datum. Et hæc ingenioſe magis & ſubtiliter, quam verè & fundamentaliter à Cl. *Eccardo* prolata eſſe judico.

Nec minus Tu ingenioſe Etymon nominis Apollini *Granno* conceſſi deducis à Grannis, quos *Iſidorus* promiſſos Gothorum crines, ſeu capillos vocitat. Adducis *Cambænum*, & Concilii Braccarenſis ex *Cangio* legem Canonicam, ut nemo Lectorum in Eccleſia habitu ſeculari ornatus, aut gentili more grannis demiſſis compareat. Myſtacis quoque ſub naribus corollas ſeu potius cincinnos voce Granni denotari animadvertis, & Ernulffi Epiſcopi Raſſenſis verbis probas, & inde Apollinem *Grannum* eſſe appellatum ſuſtines.

Eſto

Digitized by Google

Eſto verò barbæ aut capillorum cincinnos anti-quitus Grannos ſive Grenones eſſe appellatos, ea propter Apollinem ab iis Granium dictum eſſe non ſequitur, ſic enim inferri poſſet, & ipſum aquis-grani nomen à Grannis ſive Grenonibus derivatum eſſe, quod ſatis foret abſurdum. Eſto Apollinis *Granni* etymon à Grannis eſſe deductum, non tamen inde probabis, & urbis quoque aquisgrani nomenclaturam eſſe oriundam.

Nunquid ipſe tibi tacitus contradicis, quando concedis Diis ab ipſis locis, quibus beneficium præſtiterunt, cognomen eſſe adjunctum, quod *Diana Arduenna* à Sylva inter moſellam & moſam fluvios ſita & ſic appellata cum Cl. *Eccardo* probas. Quibus conſideratis nec Tuæ nec *Eccardi* ſed antiquiſſimæ illorum ſententiæ adhæreo, qui à *Granio* Romano principe & aquisgranum & ipſum Apollinem in Inſcriptionibus cognomen accepiſſe referunt. Dum enim olim Romani adverſus Germanos bellum gererent, illos inter Rhenum & Moſam conſediſſe & munimenta habuiſſe ipſæ Inſcriptiones, Numismata, urnæ, lampades, aliaque monimenta adhuc hodie reperibilia atteſtantur, & ex Julii cæſaris & Corn. Taciti ſcriptis manifeſtum eſt. Domeſtici referunt annales iſtis temporibus quendam è Romanis Principibus nomine *Granium* in Galliam belgicam veniſſe circa annum ſalutis quinquageſimum tertium, quem pragmatica Sanctio D. *Caroli M.* Neronis & Agrippæ fratrem fecit, Chronicum autem ultrajectinum Romanum Senatorem cum univerſa familia à Nerone proſcriptum aſſerit, alii in hiſce locis Neronis proconſulem fuiſſe ſuſtinent, eumque has aquas ca-

lidas

Digitized by Google

lidas inter montes ſylvasque tunc abditas inveniſſe, eas in modum Romanorum Balneorum ornâſſe, uſurpâſſe, juxta habitâſſe atque arcem ſtruxiſſe, cujus in hodiernum diem extat ſpectandæ vetuſtatis monumentum Turris *Granum* dicta, domui civicæ ad plagam orientalem juncta, à quo & ab ipſis incolis aquæ graniæ appellatæ ſunt. *Granius* hic Thermarum repertor & cultor fuit, & his & urbi nomen dedit, quæ appellatio permanſit, crevitque locus ad *Attyli* tyranni tempora, ſub quo paſſus eſt à Gothis & Hunnis primum excidium, poſt annum ſalutis quadringeteſimum.

Hæc eſt vera hiſtoria appellationis urbis & aquarum granenſium, & probabile magis ab hoc *Granio* potius quam à ſolo ſabuloſo & ipſius quoque Apollinis *Granni*, quam ab à crinibus factam eſſe denominationem.

Notum eſt Diis Deabusque à Gentilibus aquas medicatas, ut Calderianas Junoni, Cluſinas Æſculapio, Hygææ albulas, Mammonæ Borbonias, & conſequenter Apollini has Granias fuiſſe conſecratas, nec minus in more fuiſſe, quod illuſtres viri aquis nomina ſua contulerint, ita in Gallia aquas ſextias à Cajo ſextio. Nerias à Nerone, Carolinas in Bohemia à Carolo Cæſare, aquas denique in Germania Granias à *Granio* denominatas novimus. Quid enim ſacri quid miraculoſi Ariſtoteles & Plinius in aquis ſtatuerunt, unde Martialis blanda dona naturæ, Langius Sacra Dei dona, Andernacus, & Savonorola Sanctuaria appellarunt.

Meretur hic addi panegyris, qua Orator Belga ad *Conſtantinum* Imperatorem *Conſtantii* filium Treviris eleganter peroravit:

Dii

Dii immortales, quando illum dabitis diem, quo illos quoque Apollinis lucos & Sacras ſedes & anhela fontium ora circumeas? miraberis profectò illam quoque muneris tui ſedem, & calentes aquas ſine ullo ſolis ardentis indicio, quarum nulla eſt triſtitia ſaporis aut halitûs, ſed talis hauſtu & odore Synceritas, qualis fontium frigidorum &c. quod antea infirmavit *Vitruvius* l. 8. 3.

His verbis. *Sunt etiam nonnulli fontes calidi, ex quibus profluit aqua ſapore optimo, quæ in potatione ita eſt ſuavis, unde nec fontanalis nec martia ſaliens deſideretur.*

Audio te nunc dicere, ſi Apollini à *Granio* appellatio unde ergo in Scotia, aliiſque regionibus. Memorante *Guil. Cambdano* ſub eodem denominatione poſita à Q. Lucio, Sabiano inſcriptio, quid hic de Apolline *Granno* reſcire potuit?

Reſpondeo, quod Apollini *Granno* etiam Romæ, in Scotia, Dacia, aliiſque locis remotioribus ſub iſto prædicato exaratæ ſint inſcriptiones inde votum, quod etiam Cl. *Eccardo* referente Thermæ Graniæ fuerint notiſſimæ, eò quod Apollo ſeu medicorum Deus & Æſculapii ex Nympha Coronide pater aquarum medicarum præſes fuerit ſtatutus. vid. ejus Diſſertatio.

Accedit, quod Aquisgranum dictum fuerit Roma ſecunda, quod patet ex *Ferii Aelperici* verſu XCII apud *Barthium* in Adverſar. l. XLVI. p. 2123.

> *Sed & urbe potens ubi Roma ſecunde flore novo ingenti magna conſurgit adalta mole, tholis, muro, præcelſis ſidera tangens.*

Unde & perpulcre iſto ævo *Nithardus* apud Eundem:

Digitized by Google

glecta, malehabita, imo diffracta, atque exuſta ſunt, eadem explanare, reſtituere integritati, illuſtrare, defectus ſupplere. Hoc fato exemptum non eſt illud *Walberti* Comitis in Eccleſiæ noſtræ Fredenſis navi adhuc dum conſpiciendum. Conſiſtit illud I. in magnæ molis quadrangulo, ſed oblongo Cippo è terra ad ſesqui pedem elato. II. In marmore rubeo muro ſeptentrionem verſus ad Altare S. *Agathæ* ſacrum impoſito, cum Epigraphe, quam inferius ſuo loco daturi ſumus, atque hoc ipſum monumentum eſt quod noſtris temporibus alii genuinum Walberti, Wie-ſive *Wigberti* filii, *Witichindi* M. Nepotis ſepulchrum alii Cenotaphium eſſe poſtulant. Si obiter ac primo vultu ſingula inſpicis, non mediocris obſcuritatis agitatur quæſtio. Nos ſingula breviter percurremus, quo apertius depulſis dubiorum tenebris luce clariora innoteſcant.

Ex *Witichindo* M. & *Geva* Danorum Regis filia *Wigbertum* procreatum, ex *Wigberto* & *Odrada* Walbertum, nemo diſputat. *Walberti* Natales, ſtudia Conjugium atque poſteros operoſius eruere non eſt hujus loci, neque fori mei.

Ex *Romeri Sedichii* Annalibus, tum & *Laurentii Michaelis* Chronico Oldenburgenſi MSčto conſtare ſcribit Herm. Hammelmann *Chr. Oldenb. Proëmio p. 21.* Lesmonæ Comitis filiam unicam Altburgam ſive *Altburgim* Walberto Widekindi M. Nepoti ceſſiſſe conjugem ejuſque Nomini & honoribus Altenburgum arcem haud procul Wildeshuſa conſtructam. Horum opinio-

in

ni: adſtipulantur Reusnerus opere Genealogico.

Alii ex hoc conjugio illi natum *wie*-ſive *Wigbertum* primogenitum Verdenſium poſtea præſulem anno 908. defunctum, tum & *Reginbertum* ſive *Reginbernum* comitem, qui a Danis Saxoniam liberavit contendunt. Ex Diplomatum aliorumque authenticorum Documentorum fide ſtatuit & docet J. G. Eccardus *Hiſtoria Genealogica Principum Saxoniæ ſuperioris in ſtemmate Witikindi M.* imo vero non tantum *Witikindum*, *Wigbertum* & *Walbertum* Patrem, Filium & Nepotem ſibi invicem ſucceſſiſſe, ſed & Walbertum S. *Alexandri* reliquias *Roma* allatas Wildeshuſii collocaſſe diſerte memorat chron. Regia S. Pantaleonis apud eundem Eccardum *Tom. I. Corporis hiſtorici pag.* 880. *Hujus*, ait, *Witikindi Filius* Wigbertus *Chriſtianæ Religionis cultor devotus filium procreavit, qui & ipſe ab infantia Religioſus, cum factus eſſet vir, Romam cauſa orationis & reliquiarum acquirendarum tetendit corpuſque Alexandri filii* S. Felicitatis *integrum accipiens à Papa tum temporis* Leone, *Saxoniam detulit & in loco, qui dicitur* Wildishuſon, *locavit.*

Huic adſtipulantur Chronici Sigebergenſis eadem propemodum verba, quod tamen pro *Wildishuſon Wigaltingohuſon* ſcripſit.

Iterum eadem conteſtantur Urſpergenſis Abbas, & Albertus Stadenſis. His paria ſermone patrio retulit Chronicon Luneburgicum apud Leibn. *Tom. III. S. R. Br. p.* 172. ad annum DCCLXXXV. *Do bedwang mit Gades Hulpe Keiſer* Carolus *de grote, Wedekind den Hertogen tho Saſſen und*

Weſtphalen, brachte en und alle ſin Landt tho dem Chriſten Loven, leth Wedekind Dopen, wart ſin Vadder. De Wedekind was der erſte chriſtene Hertog tho Saſſen und Weſtphalen. Darna gewann de einen Sone Wickbertus *genomet, de vort ein gut Chriſten bleff, de Krech einen Sone genomet* Walbertus, *de ock ein gut Chriſten bleff, he ſtichtede de Kereken to* Wildehuſen, *dar leeth he* S. Alexanders *Libham, den he van Rome bracht hadde.*

Idem diſertis verbis teſtatur Krantzius *Saxon. Lib. 2. pag. 48. lin. 20.* qui *VVigbertum* quoque patrem pari devotione accenſum Romam olim profectum, indeque *Sanctorum reliquias* retuliſſe memorat, easque Collegio Wildeshuſii recens excitato collocaſſe.

Hinc facile erroris argueres Krantzium, qui *Walberti* loco *Wigbertum* proin Patrem pro filio ſubſtituerit, Ita namque idem author eodem *lib. pag. 49. lin. 10. Walbertum Wigberti filium in gente Saxonum nobiliſſimum & in Chriſtiana pietate ferventiſſimum Romam devotionis gratia petentem à ſummo Pontifice* Leone *Corpus* B. Alexandri *Martyris* (qui *filius erat* Felicitatis) *acceptum dono in Wildeshuſen, perfecto Collegio à Patre inchoato perduxiſſe* refert, ibique religioſe fuiſſe veneratum. Verum altius rem perpendens, neutrum horum veritati repugnare judico, equidem Wigbertum Romam iter reliquiarum cauſa inſtituiſſe, nec iis deſtitutum ad patrios lares reverſum conſtans eſt Chronologorum aſſertio, unde *Walbertus* filius Patris *Wigberti* inſtituto extimulatus

latus itidem ad Urbem itineri ſeſe accinxit, indeque ſpeciatim Divi *Alexandri* reliquias ad collegium à Patre inſtitutum à ſe vero perficiendum allatas depoſuit.

Sane *Walbertum* Wigberti filium reliquias S. *Alexandri* ex alma Urbe retuliſſe docet vetuſtiſſimus codex membraneus manu Meginhardi Seculo IX. Conſcriptus, cujus autographum auro contra æſtimandum *Fridericus Pacius* pretio 400. Flors. vendendum Programmate expoſuit, quod ſuo tempore ſecundis typis promoturi ſumus.

Ineunda nunc ad tumulum *Walberti* noſtri via eſt, ex quo Fundatoris Vredenſis major elucescat certitudo. Maxime namque nos urget difficultas ruminantes obitus atque ſepulturæ locum, quo Walbertum perveſtigare fas eſt. Eum cum *Wigberto* Patre in *Wildeshuſen* contumulatum aſſerit Botho Chron. Brunsw. ad annum DCCCVII, *Und duſſe Hertoge VVypręcht de begundete buwen* Wildershuſen, *dat ſine Sone* Walbrecht *vullen rede makede. unde brachte dar grot Hilligedom vam* Rome, *unde* Wiprecht *und* Walbrecht *ſyn dar albeyde begraven.*

Non ſolum *VVigbertum* ſed & *VValbertum* filium in *VVildeshuſen* in pace obdormiviſſe, ſepultoſque confirmat Krantzius Saxon. *lib. II. cap. 26. & 28. p. 50. N. 10.* diſertis hiſce verbis: *Interea* Walbertus *Saxonum vir primarius tranquilla pace compoſitus in Chriſti Religione obdormivit, ſepultus apud Patrem in VVildeshuſen.*

Krantzium ſecutus Herm. Hammelmannus Oper. Weſtph. *Tom. I. p.* 39. 84 & 145. utrumque in dicto oppido terræ mandatum perhibet, quod & corroborat in *VVitikindo* ſuo J. G. Cruſius *Cap. XI Num.* 12. & 16. arbitratus ceu *nemini non notiſſimum* Wichbertum *in Monaſterium* Wigbershuſano *cum uxore* Sindacilla *nec non* Walberto *filio anno* 856. *ſepultum eſſe.*

VValberti nomen ut nemo collegii noſtri fundatori diſputat, ita nec Monumenti ejus vetuſtatem illud hodiedum præferentis. Legitur illud rubeo marmori inſcriptum ante Aram D. *Agathæ* ſacram vulgo *Sholaſtici* dictam, quod ejus Scholarum Rectori deſerviendum committi ſoleat. Eſt autem illud:

HIC WALBERTE COMES SERVATUS PROTEGIS. EDES.
CUSTOS. IPSE. LOCI SACRA. PER. OSSA. TVI.

Scio: apud nonnullos ea prævaluit opinio, contendentes, non ſepuchrum, ſed *VValberti* Cenotaphium conſpici Vredenæ. * Honorarios tu-

* Pro genuino ni omnia fallant Walberti Comitis Baſilicæ Vredenſis fundatoris monumento facit Joannis Henrici Hindberi teſtimonium (von dem Begräbniß aber des Stiſters Walberti iſt jetzo nicht die geringeſte ſpuhr verhanden, woran vielleicht mit ſchuld iſt, daß nach Abſterben des groſſen Guſtav von Waſaburg, dem das Ambt Wildeshauſen, von der Königin Chriſtina von Schweden auf gewiſſe maaß geſchencket geweſen, deſſen hinterbliebene Wittib Anna Sophia eine gebohrne Gräfin von Wiedrunckel Reformierter Reli-

mulos memoriæ defunctorum à majoribus erectos exemplis deducere plane ſupervacaneum. Quod ſi in monumentum corpus vel reliquiæ hominis inferantur, *Sepulchrum* fieri, ſi vel nihil eorum inferatur, eſſe monumentum memoriæ cauſâ factum, a græcis *cenotaphion* dictum, præter tot alios docet Florentinus in *L. 42. de Relig. & ſumpt. fun.* Etiam Pauſanias refert e foro exeunti verſus Solem occidentem Braſidæ Tellidis filio, tumulum extructum fuiſſe honorarium, cum tamen ſepulchrum ejus conſpiceretur Amphipoli.

Verum hoc ipſo rem non confici opponunt Wildeshuſii Fautores *cenotaphium* Vredenæ potius, quam *Monumentum* latere ſubodorantes.

Exuvias Heroum virorumque Principum dividi, ac diverſis diverſorumque locorum ſepulchris recondi in propatulo eſt Hiſtoriæ cultoribus, immo hodierni mores Regiorum cadaverum Corda vel Codicillis, vel Hæredum providentia ad templa & ſacella memoriæ ergo transferri non raro conſuevit, avitis vero Cryptis corpora deponi. Ut ut hæc: Vel quidquam circa *VValberti* reliquias contigiſſe nulla ſuadet ſuſpicio,

 neque

gion die Wildeshauſiſche Kirch anno 1664. etwas verbeſſern und ausweiſſen, mithin auch die darinn befindliche Bilder und alte Epitaphia ausraumen laſſen, worüber verſchiedene gute Nachrichten verlohren gangen) apud voigtium in monumentis Bremenſibus tom. 1. part. V. §. 1. p. 411. ubi apertè docet, nullum in Eccleſia Wildeshuſana Walberti monumentum, nedum ejus ſupereſſe veſtigium, quod quidem, modo unquam exſtitiſſet, ſublatum haud dubio obſervaſſet avorum curioſitas.

ſive *Gualberti comitis ex primis, quod paſſim ajunt, fundatoribus, cantatur miſſa pro ejusdem anima eaque finita itur ad ſepulchrum dicti comitis ante altare S. Agathæ.*
ſi in diem Dominicum incidat, anticipatur in Sabbatho.

Walbertus noſter (de Vredenſi loquor) gentis Witikindeæ num fuerit qui dubitat, donec alium coævi teſtimonio fultus nobis oſtenderit, non exauditur.

Non ignoro, H. A. Nyenbuſium *Monaſterologia totius orbis* manuſcripta, quæ rarum Bibliotheca meæ campeſtris membrum eſt, *Walbertum* Vredenſis Eccleſiæ Fundatorem e Zuphanienſium Comitum gente accerſere, cum ait: *Vredenſis abbatia fundata à quodam comite Zutphanienſi in templo virginum ſepulto.*

At quantæ authoritatis recens hic ſcriptor adverſus Eccleſiæ traditionem à tot ſeculis propagatam, tot reliquiis etiam divæ *Felicitatis* & VII. Martyrum ejus filiorum Roma allatis atque hoc templo depoſitis confirmatam? Accedit *Walbertum* Zutphaniæ Comitum Genealogia, ni totus fallor, ſeculo præſertim nono penitus exulare; tum & illud præcipue tibi dijudicandum relinquo, an ſtatuere fas ſit, quod alibi locorum contigiſſe Annales referunt, nempe diviſa Virorum Sanctorum, ſummorumque corpora diverſis inferri ſepulchris, ut ſuperioris atque noſtri ævi mores in Regibus & Principibus probare ut ſupra jam monuimus, ita & quotidiana experientia compertiſſimum eſt. Quorum cor & Caput, Brachia, etiam Inteſtina, aliave corporis

ris Membra famæ, meritorum, memoriaque augendæ cauſa non uno loco reconduntur. Quemadmodum Langenhorſtenſis hujus Patriæ ſecularis Nobilium Virginum Collegii Eccleſia Conditoris & Fundatoris ſui *Franconis* de *Kann-* ſive *Kennenborg* in *Wattringen* inteſtina ſervat, Cadavera in *Langenhorſtenſis* itidem Nobil. Virginum collegii Eccleſia terræ mandato.

Quidquid horum: An Fundatoris monumentum, præclariſſimum Baſilicæ noſtræ decus, gratitudinis honoriſque cauſa, à Majoribus noſtris e terra elevatum, novorum ſubſelliorum cauſa dejici ac humo demitti citra injuriam potuiſſet, imo plebeculæ pedibus indies conculcandum exponi, viri cordati, docti atque emunctæ naris æſtiment.

Etiam valde demiratus ſum, cum lapſis diebus capitulum generale frequentaturus Vredenam excurrens altero mane Eccleſiam ingreſſus ingentem Altarium tam Principis quam cæterorum animadvertens mutationem, illud quidem elegantiori penicillo adumbratum inauratumque, cætera vero ab Oriente ad ſeptentrionem converſa ac muro affixa ſpectavi.

Factum id audio in finem, quo liberior & apertior ad aram principem dirigeretur proſpectus. Ut hæc ad ornatum Eccleſiæ pertinere concedam, dolendum tamen nihil diſſimulo, illam S. *Agathæ* nuncupatam removendo ac muro applicando, quod in eo marmori inſculptum viſebatur **D. Walberti** Fundatoris noſtri monumentum, de quo ſupra, oculis ac venerationi intuentium penitus ſublatum eſſe, ne dicam

æterna

diſpenſet. Vale. Dabam ex *VViecking hovio* ipſis Calendis Septembris MDCCXLIX.

P. S. Nunquid adhuc ex me quæris, an *VValberti* oſſa, quia Sacra in Monumento Vredenſi deprædicantur, venerationi publicæ unquam fuerint expoſita Candide proteſtor; nulla in Capituli Flaviſcis ejus rei, nulla Apotheoſis ſupereſſe veſtigia. Accedit Anniverſariam pro Anima *VValberti*, ut in Epiſtola legiſti, adhuc dum celebrari Memoriam; quanquam hoc ſanctitati minime repugnare ipſemet noveris. Ita *Altfridi* Eſſendienſis Collegii, nec non *Godefridi* Cappenbergenſis cœnobii fundatorum beatitudinem non obſcurare in confeſſo eſt eorum memoriæ preces funebres quot annis perſolvi, quas ſanctitatis intuitu ex familia prædefunctis applicari introductum eſt. Sacra Itaque appellari *VValberti* oſſa Sanctitatis nullum adfert Teſtimonium. Ipſiusmet *VVitikindi* Monumentum prodigiorum ab eo patratorum, tametſi luculentiſſimum præbeat teſtem, attamen *Sanctitatis* connotato in Eccleſia Romana unquam celebratum fuiſſe Hiſtoricorum nemo diſertè prodidit. Eſt namque illud:

OSSA VIRI FORTIS, CVIVS
SORS NESCIA MORTIS,
ISTE LOCUS MUNIT, EUGE BONE
SPIRITUS AUDIT.
OMNIS MUMDATUR, HUNC REGEM
QUI VENERATUR.
ÆGROS HIC MORBIS COELI REX SAL-
VAT ET ORBIS.

In-

Interea de *VVidikindi* M. oſſibus an Sanctitatis axiomate olim donata extiterint, tempore *Chriſtophori Bernardi* opt. Mem. Principis Epiſcopi noſtri denuo quæſitum eſt, eáque opinione, ut cultui publicè exponerentur, ex Herfordienſi Civitate ad Monaſterienſem ejus auſpiciis translata ſunt, donec compertum exiſteret ſacris honoribus nunquam antea fuiſſe celebria, Præterea ſereniſſima Princeps Palatina Herfordiæ Antiſtita oſſa Widikindi ſibi remitti ardenter inſtaret, unde per Joannem *Rotgerum Torckium* ſummum Cathedralis Eccleſiæ ſuæ Decanum anno 1674. reſtituta ſunt, teſtibus *Johannis Alpeni* Vicarii in ſpiritualibus Generalis Litteris, à v. c. Herfordienſis Aulæ Archiatro *Lud. Car. Storchio* benevolè nobiſcum nuper communicatis, quas tibi ac Lectori meo ceu non ingratas transſcribo.

„ Celſiſſimi & Reverendiſſimi Principis Domini
„ Domini *Chriſtophori Bernardi* Epiſcopi Mona-
„ ſterienſis Adminiſtratoris Corbienſis, Burgravii
„ *Strombergenſis* S. R. J. Principis Domini in
„ *Borckelo* &c. Domini noſtri clementiſſimi Vi-
„ carius per Civitatem ac Diœceſin Monaſterienſ.
„ in ſpiritualibus generalis Conſiliarius & ſigilli-
„ fer &c. Nos *Johannes Alpen* collegiatæ Eccle-
„ ſiæ ad S. *Martinum* Decanus &c. tenore præ-
„ ſentium notum facimus & atteſtamur, poſt-
„ quam ſub annum ſeptuageſimum tertium pro-
„ ximè elapſum oſſa *VVidekindi* Saxonum Ducis
„ ex Civitate Herifordienſi ad Diocœſin hanc
„ Monaſterienſem eum in finem tranſlata ſunt,
„ ut majori venerationi exponerentur, nunc au-
„ tem compertum ſit altefatum Ducem *VVide-*

„ *kindum* religioſâ veneratione hactenus cultum
„ non eſſe, adeóque oſſa hujuſmodi præconcepto
„ cultui exponi non debere, & inſuper altefacta ſua
„ Celſitudo cupiens non minus ſereniſſimæ Princi-
„ pis Palatinæ nunc Herifordiens. Abbatiſſæ de-
„ ſiderio animitus deferre, quam ut oſſa dicti
„ Ducis in celebri illo fundationis loco porro
„ conquieſcant, ad iteratam inſtantiam antefatæ
„ Serenitatis ſuæ eadem Herifordiam denuo re-
„ mitti demandavit, quòd eadem omnino oſſa
„ ſint, quæ inde huc aſportata nunc per Reve-
„ rendiſſimum ac perilluſtrem Dominum *Joan-
„ nem Rotgerum* Baronem de *Torck* Cathedralium
„ Eccleſiarum Monaſterienſ. ac Paderbornenſ. re-
„ ſpective Præpoſitum Decanum, ac Capitularem
„ Canonicum Celſiſſimorum Principum Mona-
„ ſterienſ. ac Paderbornenſ. Conſiliarium inti-
„ mum &c. Dominum in *Asbeck* & *Vorhelm*
„ &c. adjunctæ Capſulæ ſigillo noſtro munitæ
„ incluſa illuc denuo aſportantur. In cujus rei
„ fidem præſens atteſtatum manu & Sigillo no-
„ ſtris roboratum dedimus Monaſterii die 17.
Julii 1674.

J. Alpen Vicarius Generalis
Monaſterienſis

(L.S.)

Digitized by Google

„ Oſſa Widekindi. M. Cranium in quo
„ os frontis ad naſum uſque bifidum, oſſa
„ femoris cum tibiis &c. Hervordiæ in templo
„ *S. Joh. Bapt.* Neapolitano hucuſque aſſer-
„ vantur “

L. C. Storch 1751.

Oreſtis noſtri hanc ad Epiſtolam reſponſorias deſiderari ne mireris benevole Lector. Remoram illis injecit indies augens corpòris invaletudo ac denique ſubſecuta mors ipſa. Accipe bina ejus ad me data Epiſtolia inſtantis obitûs præſaga.

Amantiſſime Pylades &c.

„ Voves mihi vitam Neſtoream, quam nun-
„ quam ſum adepturus, Varii enim corporis
„ dolores, noctu diuque affligentes, metuo ne
„ mihi brevì finem faciant. Studiis ſaltem ac
„ lucubrationibus me penitus ineptum reddunt,
„ unde nec mentis vigor tam acer eſt, judicium
„ vacillat; memoria deficit; phantaſia Vitia-
„ tur & corrumpitur; ut extimeſcam, me pro
„ *Tomo III. Com. Litt.* Epiſtolas aut elaborandi
„ potentiam habiturum, unde Stuporem meum
„ in meis revidendis excuſabis.

„ Vale ipſo Feſto *Mathiæ* MDCCL. En alte-
„ ras *Cohauſeni* litteras, eaſque poſtremas

 MDCCL.

Digitized by Google

MDCCL. *Kalendis Julii* ad me datas, potiùs filio dictatas.

Suaviſſimo & Amantiſſimo Pyladi *miſerabilem ſuum ſtatum refert* Oreſtes.

Wieckinghovium

„ Miſerrimo adhuc Statu apud me ſunt om-
„ nia. Acceſſit morbus niger Hippocratis, id
„ eſt vas breve lienis in orificio Stomachi ſan-
„ guinem coagulatum penitus nigrum effundit
„ vomitu redditum, ùt & lateris quoque ſiniſtri
„ dolores, licet obtuſiores, ſentiuntur. Dolo-
„ res interim acerbiſſimi ex calculo Veſicæ &
„ Hernia me fatigant. Etiam decretum in mea
„ cauſa contra Magiſtratum Vredenſem circa
„ domum meam Ritbergicam, cujus ſat ſtre-
„ nuum te ſemper meî, meorumque gratia ex-
„ hibuiſti patronum, animum infeſtat, quod
„ in aliis cauſis meis etiam nihil reſpondeatur,
„ affligit. Spero, quod exemplaria Tomi II.
„ Comm. Litter. Confluentiâ appulerint & tibi
„ placuerint. miſerere mei tui *Oreſtis*, qui ſe
„ vivum mortuumque ſuosque recommendat.
„ Vale forte in æternum.

Vredenæ I. Julii MDCCL.

Hoc Epiſtolium excepit nuncius pii obitûs, qui contigit die XIII. Julii DCCL. R. J. P.

Exuvias Viri contegit ſepulchralis menſa ex Bombergenſi lapide in templo Parochiali Vredenſi impoſita cum Epigraphe

JESUS

JESVS MARIA JOSEPH SVb proteCtIone DIVIna trIVM In terrIs VIVens SVb terrIs tVte qVIesCIt. *

Dominus Joannes Henricus Cohauſen Phil. & Med. Doctor, Clariſſimus per Dynaſtias Horſtman & Abaus quondam Archiater, ſuper annos 44. Med. Provincial. Practicorum Patriæ Senior ætatis 85. Obiit 13. Julii 1750.

R. J. P.

Addimus amicitiæ cauſa inter cordis & calami luctus, animæ æternum bene precati

Amen.

Lubeat itaque Monumenti loco cineribus defuncti conſecrare Oden Gallicam ab Amico quodam Monaſterienſi memoriæ *Pyladis* atque *Oreſtis* concinnatam.

Par quel deſtin cruel! Par quel tranchant funeſte
La Parque te ravit *Pylade* ton *Oreſte!*
Arrâche vos deux cœurs, que la tendre amitié
Dans un ſiécle de fer à toujours enchainé,
Arrâche deux Eſprits, que, malgré l'ignorance,
Unit le germe heureux du goût de la Science.
Quoi? Le germe, qui dût pouſſer ſous nos climats
Ses branches & fruits d'or, dont la main de Pallas

* Qui vivens devotè ſuſpirans dicere ſolebat:
Spes Mea prima DEUS Spes Altera Virgo MARIA
Spes mea JOSEPHUS tertia ſemper erit

Pridie mortis ſuæ hoc ſibimetipſe fecit & poni juſſit Epitaphium; prohibuitque ſeriò, ne ulla ſuperadderentur Elogia.

Enrichit tant de lieux, depuis que la lumiere
De leurs vieux præjuges chaſſe la nuit groſſiere,
Eſt étouffé ſe perd? des luſtres de travaux
N'ont pu former encor des changemens ſi beaux?
Quel Demon envieux du ſort de ta Patrie
Soutient ſes Prejugés, ſoutient ſa letargie!
Et ferme ſa paupiere au grand jour de nos tems!
Ton Ami cependant vit en ſes Monumens,
Qu'au fleuve de l'oubli vient d'oppoſer ſa veine,
Son deſtin eſt trop beau, calme tes pleurs, ta peine.
Conſerve à tes Amis, conſerve aux beaux Eſprits,
Ta perſonne, ton cœur, tes veilles, tes Ecrits:
Que ton Païs enfin forme par tes exemples,
Soit l'Ami de Minerve & dreſſe en gout des Temples,
Et admire longtems dedans ſon changement,
Et la cendre *d'Oreſte* & *Pylade* Vivant.

Hochwohl-Ehrwürdig Hoch-Edel-gebohrner
Sonders Hochgeehrter Herr Scholaſter

Da Ewr. Hochwohl Ehrwürden HochEdel-geborn mir durch den Herrn Doctor Schürcking dero gelehren Correſpondentz nicht nur haben communiciren, ſondern mir dediciren wollen, ſo hätte Deroſelben für ſolche attention den ſchuldigen Danck ſchon längſt erſtatten wollen, wann nicht derſelben verleſung, wozu

wozu ohne vielfältige unterbrechung nicht habe gelangen können, gerne wollen vorgehen laſſen, umb darüber auch etwas zu melden, welches, wie nun an dem iſt, ſo verrichte daſſelbe hiemit auf das verbindlichſte.

Meiner Hochſchätzung gegen Ew. Hochwohl-Ehrwürden Perſohn und gelehrheit werden dieſelben auß mehreren meinen ſchreiben vollſtändig überzeuget ſeyn, wie wünſchete ich? Daß mir meine vielfältige Beſchäfftigungen mehrern dergleichen wiſſenſchafftliche Correſpondentz zulaßen mögten, unter deſſen ſehe und höre doch ohngemein gerne etwas davon, und ſuche nicht minder gern deren wiſſenſchafften emporbringung in dieſen Landen, es dorfte aber die bloße Univerſität Stifftung ſolche nicht zuwege bringen, wie man ſchon deſſen beyſpiel in anderen hat, wovon mir, wie von meinem Gottſeeligen Herrn Vattern gehöret, daß weyl. Fürſt Fridrich Chriſtian von einer benachbahrten hat-pflegen zu ſchertzen, daß denen daſelbſt graduirten die gelehrtheit im Kopffe oder in die Füße zu ſchlagen pflegte, kein beſonderer Ruhm oder Nutze zu erwerben zu ſeyn ſcheinet, ſondern müſte gewiß eine Academie dabey reichlich dotiret werden, umb ſo wohl verſchiedene anderwärtige gelehrte an ſich zu ziehen, als eine æmulation ſolcher Wiſſenſchafften unter denen Landes-Kinderen zu erwecken.

Es will zu weitläuffig fallen mich über alle darein enthaltene Materien zu äuſſeren, wie ich über einige Deroſelben Schrifften formiret wer-

den wollende Critique ſchon vorlängſt gethan, einige kan ich doch nicht gantz vorbeygehen.

Als daß Ewr. HochwohlEhrwürden den verderblichen untergang verſchiedener an denen Kirchenwänden befindliche, zu erkennung deren alten Zuſtänden ſitten und kleyderen dienliche Mahlereyen bedauren, wie iſt es aber wohl anderſt möglich, da alles in der Welt zergänglich auch alles einmahl im grundt vergehen wird, daß wäre doch zu wünſchen, daß zu allen Zeiten, ſich Leuthe befunden hätten, die wie Ew. HochwohlEhrwürden und verſchiedene andere antiquitäten liebhabere gethan deren abzeichnungen machen, und der poſterität überlaſſen wolten, wobey dannoch zu erinnern, daß in den Damen Stifftern, welche vorhin Klöſter geweſen dieſelbe zuweilen umb den vorherigen monialiſchen Stand zu verdunckelen dergleichen Mahlereyen gefliſſentlich gern ausgeſtrichen werden.

Auf dem was per Tranſennam darbey gemeldet, ob Götzen Nahmen in denen zum GOttes Dienſt gewiedmeten Oertern zu dulden, oder zu ehren deren Heiligen oder deren verſtorbenen zu drincken erlaubet, ſehe ich das erſte abzuſprechen eben ſo wenig zweifel, als wenig der wahre GOtt jemahlen einen Abgott vor ſich hat leyden wollen, was aber das andere angehet, habe von dem geweſenen Kayſerl. Feld-Marſchallen und General Kriegs-Commiſſario am 3. Febr. nächſtlitten Gottſeeligen verſtorbenen Graffen von Neſſelrode in mehrern vernommen, daß er in Ungarn und Siebenbürgen beſonders

bey

bey groſſen Mahlzeiten zu Ehren der Allerheiligſten Dreyfaltigkeit, der Allerſeeligſten Jungfrauen mehreren Heiligen, auch Gedächtnuß ihrer verſtorbenen Freunden groſſe Gläſer und gu he Räuſche habe drincken ſehen, welches wann bey der mäßigkeit bliebe wohl eben wenig übel ſeyn könte, als daß die lebendige einer dem anderen mit dem drincken gutes anwünſchen.

Von der Medaillen Materie hätte ich gerne mehreres darbey finden mögen, die mich vor dieſem beſonders beluſtiget hat, die überziehung einiger mit Gold und Silber iſt ohne allen Zweiffel, dann deren ſich verſchiedene finden, und ſeynd die platten ſo dünn, als ein Papier ſeyn kan, ſie werden in Frantzöſiſch Medailles fourées genennet, und ſeyn ſicher alt, deßwegen ſie gern auffbehalten und nicht weniger als andere von gleichen Metall geſchätzet werden. Der Syracuſaner pfenning iſt bekannt, deſſen gleichen es mehrere gibt. Von denen ſo genannt werden wollenden patellis Jridis aber iſt viel zu ſagen ſie ſeyn ſo viel ich deren geſehen Concave und Convexe, mit einer blinden kaum erkäntlichen Abbildung und etwähiger inſcription verſehen, daß ſie aus der Lufft fallen ſollten, und ſonſten Helenen pfennig darumb genannt ſeyn ſolten, daß die Heilige Helena wunderthätiger weiß in abgang zu Zahlung der Militz nöthiger Gelder auß nahe angenommenen blech zwiſchen ihro Daumen und Finger, mithin wegen der Eindruckung alſo formiret haben, und dahero denen Kinderen angehangen gut zu verhaltung

deren Terminiſen oder Convulſionen zu halten ſeyen iſt wohl was einfältiges.

Den Kupfernen Ottonem mögte ich ſehen umb zu judiciren, was davon zu halten, Griechiſche ſoll es ein und ander geben in Gold und Silber, aber beſonders letztern ſeyn ſie nicht rahr, deſſen Urſache gegeben werden will, daß dieſer Kayſer aus hochmüthiger Uppigkeit ſein Bildtnuß nicht auf gemeine ſondern nur auf koſtbahre Metallen, ſolle haben pregen laſſen wollen und deßwegen faſt oder gar keine kupferne Lateiniſche zu finden ſeyn.

Bey denen Taliſmaniſchen einbildungen oder Teuffels-Künſten und das pretendirte Blutregnen gefällt mir nur Ew. Hochw. beleſenheit und wiſſenſchafftliche Beſchreibung dann keines vernünfftiger weiſe natürlich ſeyn kan, ſondern erſtes ein Abergläubiges Pactum, wann auch implicitum, anders aber nur ein Straff GOttes ſo wohl als ehemahls die Egyptiſche plagen exod. 7. und folgends ſeyn kan und davon mehr geſchrieben als wahr ſeyn mag.

Lieber will ich mich bey Dero idealen, doch gantz frugalen Weſtphäliſchen Mahlzeit des Pumpernickels Roggenbrey und Schüncken aufhalten: welchen aber der Münſteriſche Potthaſt, Braunen-Kohl, Bohnen, und Münſter-Käſen wohl zu geſetzet werden können: bey dermahligen üppigen in Fraß und Füllerey lebenden Welt werden ſolche wohl auſſer die Schüncken beſonders in denen mit delicioſen Weinen, Früchten, Fiſchen, Wildbret und ſonſtigen ſpeiſen, dann mit ſtets rafinirenden Kochen verſehenen Landen

we-

Digitized by Google

wenig Ruhm finden, dieſe üppige überflüßige Lebensarth reiſſet doch auch in dieſe Landen dermahlen leyder eben wohl ein, ſo daß die ſinnlichkeit der nothwendigkeit vorgezogen und dieſer Orthen nun faſt eben ſo delicat als in anderen Landen, wann man rare Früchten, Fiſche und einig Wildprett ausnimmt (dann die Weine auch beſtellet werden) gelebt wird.

Doch ſchadet ſolche dermahlige üppigkeit nicht wenig dem Leib ſowohl als der Seelen, dann iſt der Brey wenig ſchmackhafft, ſo iſt er doch der Geſundheit und denen Kräfften überaus dienlich, das Brodt hat neben der Tugend vielmehr dan feineres Kräfften zu geben, auch bey vielen beſonders in Teutſchland die angenehmigkeit des Geſchmacks, ſo daß ſelbes mit den werth oft überſteigenden Koſten nach viele Höfen, und ſonſten als nach Wien, München, Praag, Mannheim, Coblentz, Caſſel, Bonn und Düſſeldorff geſchicket wird.

Der Potthaſt, und braunen Kohl, die Bohnen wann ſie halb gewachſen ſeyn und der Käße finden bey vielen auch ihre approbation, und ſeyn ſonſten die Handwercker und Ackersleuthe in dieſen Ländern beſſer als in andern, auch gar in denen Weinländern wo ſie wenig Fleiſch zu eſſen, und wann das nachſpühlſell über die ausgekelterte Trauben geſchüttete Waſſer wenig beſſer als das pure Waſſer ſelbſt conſumiret iſt, welches ſchon bald geſchicht, das gantze Jahr nur Waſſer trincken, an ſtatt daſſelbe dahier Bier zu trincken haben, die wohlhabenden aber an platz das in denen Weinlanden

den der beſte Weiñ verkaufft und der ſchlechter getruncken, jener aber deſſen Fracht nicht mehr als des geringern koſtet, anhero gebracht wird, trincken dahier den beſten * mithin was dieſer Orthen

* In exteris Regionibus: quibus Natura Vini proventum denegavit optimo & fortiſſima ſæpius potari certum eſt, bibuntur tamen & illa puriora nullo ſuſpecta Mangonio iis in locis, quæ nobiliſſimo hoc producto Beavit altiſſimus ab illis, quibus Deus divitias dedit NB Artemque fruendi, ſanè pro ſtolido reputandus foret, qui optima vendendo nil ſibi reſervaret; & id promiſcuè nunquam, nec niſi cogente gravi neceſſitate, vel premente rei pecuniariæ egeſtate vel ex ſordida avaritia fieri credimus, imo tanta penes plurimos remanet & ſervatur ſelectorum vinorum quantitas, ut multi copioſiore eorum uſu propriam valetudinem maturius Labefacient; illud S. Ambroſii lib. 1. cap. 82. contemnentes: *non propter voluptatem bibendum eſſe ſed propter infirmitatem, pro remedio igitur parcius, pro deliciis redundantius.* delectatur, imo ſæpius abutitur his gutturis refocillationibus ſi non indies, ſaltem frequenter & ipſa inferior plebecula guſtatque avidè pluries copioſius liquidum illud defeſſos & elaboratos confortans acopum triſtes exhilarans, puſillanimes erigens. Magno labore & multo ſudore partum; huic dein felicitati adhuc accedit. quod in montanis locis Baccho ſemper aſſideat gratiſſima & pulcherrima Thetis; præter copioſum enim vinum palatui tam gratum, ſtomacho tam ſalutare & valetudini firmandæ adeo proficuum copioſiſſimis limpidiſſimisque fluviis, rivis & fontibus plurimis virtute medica imbutis Patria Treverica irrigatur, quibus amæniſſimum ſitis adfertur ſolamen. non ſatis miranda Almæ Naturæ benignitas cuilibet Regioni affluenter proſpiciens, quæ in uno negat, in alio ſupplet. ars addit & corrigit; aquæ noſtræ fere ad Xythi cocturam inutiles ſunt, quia puriores duriore que, ſed ad potum gratæ & ſalubres, in ſimis

Orthen an delicaten naturalien abgehet, wird durch von GOtt gebende Geld mitteln erſetzet. Daß Bier trincken iſt ſonſt dieſen Landen mit vielen anderen als Holland, Engelland, Sachſen, Bayern und gantz Norden gemein, und wird doch auch in Franckreich beſonders das zu Paris gebrauene Biere des Gobbeleins beſonders geliebet, die bey letzterer Frantzöſiſcher Bequartirung in dieſen Landen ſich befundene Herrn Generalen truncken daſſelbe auch ſonderlich gerne, und anfangs Geſundheit darein, ſo ſie doch bald wie ſie geſehen, daß man es dahier nicht thäte, nachgelaſſen, zu Rom ſelbſten habe ich in einem Caffee Hauß Bier getruncken ſo dahin wie auch nach Malta mit Schiffen aus Holland gebracht wird.

So

regionibus moliores, reſtagnantes ſemiputride, fæculentiis imbutæ inſalubres correctione indigent, aſt polentum facilius extrahunt & artificioſa coctura ac fermentatione in potum abeunt ſua Laude propter neceſſitatem non defraudandum ingeniis quippe uſus & utilitatis, neque pro ratione præparationis palato ingratus eſſe ſolet, ſed non æquè ſanitati proficuus, quod benè notante. *O. Grembs Arbor. ruinos. & integr. lib. 3. C. 1. p.* 464. cereviſiæ potus in ſanguineis putredinem ac proinde brevem vitam cauſet, in gracilibus ſi ſemper ordinarius eſt, cachexiam progignat videmus enim Xythi potores pleruemque Megans plangnos, obeſos quadratos pinguem geſtore aqualiculum, nam in fermentato hoc decocto contentæ particulæ Mucilaginoſo-pingues fæculentæ viſcera interna infariunt atque extendunt, non inique poëta:

Neſcio quod Stygiæ monſtrum conforme paludi
Cereviſiam plerique vocant, nil ſpiſſius illa

So daß ſolches keineswegs gering zu ſchäzen, ſondern in ſupponirter guten qualität dem ſchlechten Wein, wie auch dem in denen Franzöſiſchen Provincien Bretagne und Normandie machenden Apfeltranck vorzuziehen iſt. was iſt nicht durchgehends das Bayeriſch Minder, Hildesheimiſch, und ſonſtiges weiß Bier die Moll und der Keuth ein angenehm doch wohl nicht ſo geſundes geträncke, als das ſtärcker gebrauene mit Hopfen verſehene ſich viele Jahren haltende dem Wein an Klarheit gleiches braun Bier, dann von dem nicht guten oder verdorbenen iſt keine rede ebenwenig als von verdorbenen Wein.

Vom

Dum bibitur, nil Clarius eſt dum mingitur, unde
Conſtat, quod multos fæces in ventre relinquat
quale quid non ab aquis Limpidiſſimis, puriſſimis & ſoteriis multo minus à vino pertimeſcendum; ingenua & ſincera & ſimul vera eſt confeſſio C. B. Behrens practici quondam Hildeſienſis *in ſelect. diæteti. Sect. 3. c. 5. p. 338. quod vinum potus omnes præſtantia & nobilitate ſuperet tempeſtivè quidem & moderatè ſumptum*; concoctionem enim in ventriculo vel divi Pauli teſtimonio, maximè promovet, alimenta intimius miſcet flatuſque diſcutit; Spiritus vitales animalesque excitat & puſillanimes, Melancholicoſque confortat, ſenum etiam moroſam anxietatem lenit; ac ſomnum iisdem conciliat; præterea eruditis meditationes ſublimiores reddit, ſpirituſque exaltat, inſuper medicinæ loco multis in morbis exiſtit, namque & diuretica vi pollet, renumque & Meſenterii oppillationes reſerat, optimumque hypochondriaci mali imò peſtis ipſius, ne dicam morborum omnium præſervativum eſt. hæ reales vini Moſellani virtutes ſunt, eo enim ſalubrius Naturæ humanæ convenientius ſub ſole reperiri, eſt de quo dubito, cujus fuſiorem Æthiologiam & Ep[illegible] in aliis

Vom Brandtwein deſſen gebrauch uns wohl aus denen kalten Ländern, als Schweden, Dännemarck, Moſcau und Pohlen wird zugekommen ſeyn will ich nichts ſagen, als daß deſſelben übermäßigkeit vieler Zeitliches und ewiges Unglück verurſachet, dann was iſt ein Menſch der ſich dazu ergibt; ohnfähig faſt zu allen verrichtungen, verächtlich denen, mit welchen er umgehet, ja zum Gottesdienſt ohngeſchickt ſitzen etliche und Schlaffen in denen Kirchen, wann aber auch deſſen gebrauch einiger maſſen tolerirt werden könte, ſo ſollen ſolch hölliſch gedränck dergeſtalt lieben, das kaum eine mäßigkeit darinn zu hoffen ſeye.

Nun auf den mit einer Gold-Minen verglichenen torff zu kommen, ſo bin ich der Meynung nicht, daß derſelbe aus bey dem Sündfluß zuſammen getriebenen ſchlamm Blättern und ſonſt erwachſen, ſondern vielmehr, daß er von GOtt wie auch koſtbahre Mineralia zu De-

ren

tempus ob paginarum anguſtiam reſervare cogor. Verè itaque fælix illud Clima eſt in quo Pater Lenæus

Ipſe Racemiferis frontem circum datus uvis
Pampineis agitat velatam frondibus haſtem & ſuis omnia plenis
Muneribus ſibi papineo gravidus autumno
Floret ager, ſpumatque plenis vindemia labris.

Terram enim, quæ maturas uvas producit, ſimiliter omnis generis ſapidiſſimos arboreos alioſque fructus, ut pyra, poma varia, Armenica, Perſica, ac juglandes, amigdalos & affluenter progerminare Læti annuatim cernimus, cui felicitati Patriæ omnino nil deeſt, quam ut ipſi pax continua illumque perpetuum amicum habeat, quem vicinum habere tam periculoſum eſt.

ren Menſchen vieler orthen ohnentbehrlicher Nothdurft gleich erſchaffen ſeyn, und der Orth, wo er ſich findet die Materie der verwehrung und erneuerung derſelben nach gleichnuß aller vegetativen Geſchöpffen die ihre vermehrung und wiedervorbringung in ſich haben, erſchaffen ſeyn, welches dafür zu halten mich beweget, daß kentlich nach dem Sündfluß, darum ſteine gewachſen ſeyn müſten, weil ſich in verſchiedenen Steinbrüchen insbeſondere auſſen Bamberg zwiſchen denen Steinbancken eingedürrete Fiſche befinden, welche anderſter nicht darinn gekommen ſeyn können, als das mit ſtarcken Wind und Würbel, in denen Gruben getrieben oder bey herben Froſt umgekommen und darein verſuncken, mit dieſe ſchlammige vorhin wäßrige Materie erſt zu Erde verderret, dar zu Steinbancken, die Fiſche darein dürre und deren Geſtalt alſo darein gedrücket worden.

Und was ſolte dabey beſchwerlich zu Glauben ſeyn, da man zu heutigen Tagen in Italien, Böhmen, abſonſt insbeſondere im Carlsbad Waſſer ſiehet, die was man darein wirft in Stein verwandeln, deſſen ich Champignon, Oliven, theile von Schildkroten, Holtzzweiger mit augenſcheinlicher Erkantnuß der vorherigen Qualität noch würcklich bey mir aus Italien mitgebracht habe. Daß auch in denen Moraſtigen Graben die auszieheude Motte, wann ſie gedrücket wird ein guten torff werde, bezeuget die ohnwiederſprechliche Erfahrniſſe, in denen Holländiſchen Provinzien Canalen und anderen desgleich örthern, aus welchen die Kügele müſ-

ſen

ſen gemacht ſeyn, von welchen der angezogene Patinus zeugen will, wiewohl demſelben daß ſie ohne rauch, wenigſt zum Anfang brennen ſolten, nicht glaube. Vom Brandt insgemein iſt mir bekannt, daß in Sachſen in Abgang anderer Materie als Holtz Kohlen und Torff, weil es daſelbſt als in ein beſonder fruchtbahres Korn-Land viel Stroh gibt, ſolches der Orthen den Brand verſchaffe, immaſſen bey ſelben feſt zuſammengebundene Bündlein, alles Kochen und Brathen und vieles warmen geſchicht.

Daß aus gedürten Kühmiſt ein noch miſerabler Brandt könne gemacht werden iſt nicht ohnglaublich, zumahlen aber das aus eyß immaſſen doch ſo gar Feuer und Waſſer als contraria gegen einander geſetzet werden, vielmehr daß eyß als ein noch kälteres Weeſen dann das Waſſer dem Feuer zuwieder ſeye, es möchte dann ein ehevoriges Eyß mit Seeſchlamm, ſchaum und ſonſten durch den Wind zuſammen getrieben, verhartet und verdürret ſeyn, welches aber alsdann nicht mehr wie Eyß, ſondern als eine dürre Erdiſche Materie anzuſehen, und alſo nichts mehr auſſerordentliches zum Brand wäre.

Uber Ew. Hochwohl-Ehrwürden ehemahlige empfindliche beraubung, von welcher unter anderen auch ein meldung finde, habe denenſelben meine Condolentz vorhin ſchon bezeuget, GOtt mache durch Fürbitt des wunderthätigen Heiligen Antonii von Padua deſſen noch etwas wieder geben, dann die Curioſa als zu kennbahr nicht werden verkaufft oder verbragt,

ſondern vergraben ſeyn, indeſſen werden Ew. Hochwohl-Ehrwürden ſich in den Willen GOttes ergeben, und gedencken, daß doch alles Zeitliche wie ſchön, koſtbahr und angenehm es auch ſeyn möge, eins vergehen müſſe und uns verhoffentlich darfür ſo viel unendlich vergnüyliches werde wieder gegeben werden, das man deſſen alles Gedächtniß verliehren wird.

Desgleichen in den Verluſt Dero Herren Bruderen und Collegen dann Dero Gelehrten Freund und Correſpondenten Doctoren Cohauſen, denen GOtt die ewige Seeligkeit zu geben bitte.

Zum Beſchluß will ich Ew. Hochwohl-Ehrwürden eine Uberſetzung des pag. 223. angeführten Senecæ Gedancken in folgenden Frantzöſiſchen Sonnet geben:

S'eleve qui voudra par force ou par adreſſe,
Juſqu'au Sommet gliſſant des grandeurs de la Cour.
Moy je veus ſans quitter mon aimable ſejour
Loin du peuple & du bruit aprendre la ſageſſe
La, ſans crainte des Grands, ſans faſte & ſans triſteſſe
Mes yeus apres la nuit verront naitre le jour
Je Veray les ſaiſons ſe ſuivre tour à tour
Et dans un doux repos j'attandrai la Vieilleſſe
Ainſi lorſque la mort viendra rompre le cours
Des moments bien heureux, qui compoſent mes jours
Je mourray chargez dans inconnu ſolitaire
Qu'un home eſt malheureux a l'heure du trepas

Lors-

Lorſqu'ajant negligez le ſeul point neceſſaire
Il meurt connu de tous & ne ſe connoit pas.

Und verbleibe übrigens mit anwünſchung vieljährigen wohlſeins und meiner beſtändigen Ergebenheit.

Ew. Hochwohl-Ehrwürden Hoch-Edelgebohrnen meines Hochgeehrten Herren Scholaſters

Schloß Lembeck
den 11. Junii 1751.

Dienſtergebenſter Diener
Ferd. Dietrich Graf v. Mervelt.

Hochgebohrner Reichs-Graf Gnädiger Graf und Herr.

Ew. Hochgräflichen Excellenz deuten hoffentlich nichts ohngnädiges und mir zuwieder daraus, daß meine unterthänige Pflichten bis noch auszuſetzen veranlaſſet worden, und nicht allein die gefühlige danckbahrliche ausdrückung für ohnlängſt dedicirten Tomum II. Commercii Litterarii mit tief gehorſamſten Gemüthe zu erkennen, ſondern auch daß von Anfang biß zum Ende das geringe Büchlein durchzugehen, mit eins auf die wichtigſte Paſſages Ihro Hiſtoriſche und hochhervorleuchtete remarques an mich abgehen zu laſſen gnädiges Gefallen gehabt. Leibs anhaltende Schwachheiten ſeynd daran die vor-

vornehmſte Urſachen, indeſſen Abſicht alles zur gnädigen aufnehmung gedeyen zu laſſen mir die beſtändige Hoffnung mache.

Daß ſonſt Ew. Hochgräflichen Excellenz meiner geringen Meynung und Vorſorg beyzupflichten geruhen wünſchend von allen Zeiten ſich gefunden hätten Leute der erkentlichkeit, die alter Statuen Gemählde, Holtzſchnitt, und Stein-Figuren, beſonders Mahlereyen am Gewölb und Wänden in denen Kirchen, Klöſtern, auch Stifftern ſo wohl mit der Feder als auch mit dem Pinſell aufzuzeichnen, und der nachwelt zu hinterlaſſen, würde dem publico nicht mehr angenehm, und erſprießlich heut zu Tage vorkommen, ſondern auch der geiſtlich ehemahl diſciplinirten Stand heylſamlich erhalten, und dem zum verderb und Scandal immer mehr und mehr nahenden Ziel und End ſetzen.

Von denen Canonicis Monachis, ſo auch Canonicis Sanctimonialibus, wes Zuſtands ſelbige vormahls geweſen, hatt Don Marc. Anton. Colonna in gegenwart Ihro Heiligkeit auch ohnzahlbahren gelehrten den 9. May a. c. ein beſonders wohl aufgeſetzten Diſcours über den 6ten Canon del Concilii zu Tours mit ſonderlichen plauſu abgehalten, nemlich:

1. Si l'etat de religieuſe peut conduire juſqu'au tems de l'Egliſe primitive?
2. Si les religieuſes ſe ſervoint auſſi de Voile ou de quelque habit ſingulier?
3. Si elles étoint aſſamblées en communauté ou retirées chacune dans ſa propre maiſon?

Sonſt ſeynd auch anno 1745. zu Padua von dergleichen Materi einige Blätter in 8vo heraus kommen ſub titulo: Ragionamento di Giov. Brunacii ſopra il Titolo: Canonicheſſe nelle Monache di S. Piedro. Woben zugleich die Beſchaffenheit des Canonicall-München-Lebens in utroque ſexu Hauptſächlich beſchrieben, mit eins dieſe Monſtreuſe benamſung, und Lebensform nicht ohngelehrt erläutert wird. Was iſt es zu bedauren, daß kein anſehnlicheres Bücher Commercium in Weſtphäliſchen Landen angeordnet, auch kein mehrere Liebhaber dieſer Profeſſion erwecket werden. Man kauffet faſt ehender im Münſterlandt ein gantzes Erbe, als daß man ein anſehnliches Buch aus Rom oder Liſabon verſchreiben ſolte.

Was ad rem Numiſmaticam in ſpecie von denen ſchwemmer und Blech-Müntzen in der IV. epiſtel pag. 65. ſeqq. mit wenigen angeführt, ſoll, Deo dante, ac vita Comite dermahleneins weiter ausgeführet werden. Remarquabel iſt es, daß unter meiner vormahliger Sammlung denariorum Monaſterienſium kein eintziger nummus Cavus ſive Bracteus ſich angefunden, auſſer was jüngerer Tagen an Kupffern, und zwar Cosfeldiſchen Nummatis cum Inſcriptione S. *Lamb.* & notis numeralibus I. II. III. ſo gar IX. mir zu Handen kommen. Wiewohlen es kein gangbahres Geld; ehender aber ad Stm. Lambertum gewohnliche Chor-Pfennige geweſen zu ſeyn dafür halten könne. Sonſt bin unter anderm mein ausgearbeitetes Apoteleſma de Nummis ominoſis, als etwas dem Publico nichts angenehmers

nehmers zum Truck zu übergeben vorhabens, wann nur das Alterthnm mir den Paſs dahin nicht abſchneidet.

Es vergnüget mich innerlich, daß in meiner Epiſtel angerühmter Vortheil einzurichten der Münſteriſcher Univerſität bey Ew. Hochgräflichen Excellenz allen ingreſs gefunden. Inmaſſen mir dann auch die Hoffnung giebt, daß ein ſo wichtiges Werck zum ewigen dieſes Hochſtiffts Nachruhm und aufkommen gewiß angedeyen werde. Je mehr das de ſufficiendi uno ſat larga dote mit zulänglichen Capitalien ohnlängſt die Vorſehung geſchehen, alſo faſt ohnverantwortlich ſcheinen wolle mit deſſen Werck-Stellung bey dieſer erwünſchten Friedens Zeiten länger zurück zu halten.

Wie gern und gehorſamſt möchte ich mit meinen majoris moduli Kupfern Otto aufwarten wann nur einen Menſchen zu Vreden auszufinden wuſte, welcher ſelbigen zwiſchen drey oder vier tauſend in Beuteln und Laden durcheinander liegenden ſtücken aufzuſuchen fähig. Solte dahero dieſes biß dahin auszuſetzen verſtattet ſeyn, daß an Leibeskräfften angewunnen, um mich ſelbſten der endts einzufinden, gereichte es mir zum höchſten plaiſier, nicht nur dieſen, ſoudern auch andere Kaiſerliche gewiß rare Müntzen gehorſamſt præſentiren zu laſſen. Ubrigens quo ad raritatem Numismatum Ottonis æneorum ſoll dafür halten, daß ſelbige deſſen Lebenskürtze halber meiſtens herrühren, und die Römiſche Monetarii, welche faſt alle des Müntz-Weſens Gewalt hatten, fürs erſt den Senatum

&

& Primores Urbis mit Gold und Silbern Müntzlein zu flatiren und zu bedienen ſich befliſſen, daß gemein Pöbel aber zu ſeiner Zeit mit Kupfern zu willfahrten mit fleiß ausgeſetzet.

Die Talismata, ſeynd im Grunde nur phantaſmata & deliramenta, wobey es bewenden laſſe, wie dann auch de pluvia ſanguiuolenta nichts mehr anführen wolle, der Abſicht in monumento Decuriæ ſecundæ *Dalmaniæ* Sacro ſo auch ad Monumentum Decuriæ III. Saſſenbergæ S. meinen diſcours fortſetzen werden.*

* Cum admodum dubiæ ſpei ſit, num unquam monumentorum Monaſterienſium continuatio Lucem publicam viſura ſit, de pluvia prodigioſa, cujus apud chronologos non infrequens occurit mentio, quædam ſuperaddere & commentari Licebit: in Gallia Anno 1516. in feſto S. Johannis ſanguine pluiſſe (qui ſi in lapides aut carnem hominis incidiſſet, elui non poterat, in veſtibus autem & Ignis abluebatur) refert ſethus Calviſius *oper. chronolog. p.* 716. Romæ ſanguine pluit ut teſtatur dio ante necem Neronis, plutarchus narrat poſt Cimbricam Cladem ſanguineam de cælo pluviam decidiſſe; anno poſt urbem Romanam conditam 626. in oppido cære ſanguine pluit. dum ſueciæ Regnum obtinuit *Birgerius* magnus prope *Ringſtabolmium* guttæ ſanguineæ è nubibus cecidiſſe memorantur. idem anno 1502. contigiſſe ſcribit Joan Binhardus *in Thuringiſcher chronic. lib.* 3. *p.* 34. & Narciſſus Schwelin in Würtenbergiſchen kleinen *Chronic p.* 406. *ad ann.* 1623. Lehman Schauplatz des Meisniſchen Ertzgebürgs XI. Theil. C. 8. *p.* 646. *ad ann.* 1555. vid Becman. *de prodigiis ſanguinis C.* 1. §. 3. *p.* 5. Am Heiligen 3. König Tag 1643. hat im Würtenberger Land um Weinsberg Blut geregnet, daß die rinnen davon vollgefloſſen, vid. Breßlauiſche Samlung der Natur und Kunſt-Geſchichten. *Volum.* 19. *p.* 280. Legitur, quod lignorum orgyæ & linteamina in inſolation ſoli e poſita valde maculata reperta fuerint, cujus rationem cum accuratior Phyſicu nquireret

Indeß nicht zu verwerffen, daß wann auch dergleichen Blutigen oder wenigſt als Blut ausſehender Materie öfters die Natur theil nimt, jedannoch mehrmahlen ja meiſtens unter die Straffen GOttes zu rechnen ſeye.

Daß ſonſt in Annalibus Francorum apud Pithæum, wie auch in Exceptis Chronologicis Andreæ Presbyteri de geſtis Langobardorum circiter annum Chriſti DCCC. *de ſanguine Domini Mantuæ invento Imperatori* (Carolo M.) *denunciatum eſſe* geſchrieben wird, utpote *cujus rei veritatem perquirendam Leoni* PAPÆ *denunciaverit &c.* Halte ich beſtändig davor, daß ſeculo iſthoc admodum adhuc barbaro, certe inculto ac Naturæ geneſeos ignaro nichts Wunderthätiges ſon-

non deciduam pluviam, ſed copioſiores papiliones, quos Zoologi erythramelanon vocant, ligna, lapides, Lintea, arborumque folia maculaſſe detexit, cujus teſtimonium quoque perhibet Thuanus *Hiſt. lib.* 12. & Schleidanus *comment. lib.* 25. *de anno* 1553. ſequentibus verbis: ſane quantum ad guttas illas cruentas pertinet, Multis in locis vulgo conſpectæ ſunt, & Argentinæ quidem ſub initium Junii, cum ſuper Herbas, frondes, tegulas & ſaxa decidiſſent, volitabat tunc ingens turba papilionum, neque deerant, qui cruorem hunc ab iis emanare dicerent, alii contra portenti aliquid, atque ſignificari indicabant; Valisnerius Profeſſor Patavinus *in Ephemerid. G. N. C. centur. V. & VI. obſ.* 13. p. 198. recordatur, quod anno 1689. Venetiis pluvia cujuſdam terræ & pulveris minutiſſimi rubri ſapore Salsacidi ceciderit, quam multi cum ſtupore ſanguineam crediderunt, quæ orta fuit ex montis ignivomi vel Veſuvii horrenda apertura, ex quâ terribili cum violentia ſimul cum igne magnam terræ aduſtæ copiam aut cinerem rubrum eructavit, qui ſub pluviæ rubræ ſpecie decidit. J. C. Weſtphalus *Lib. cit. obſ.* 42. de pluvia

Google

ſondern mehr ſanguineo colore tincta materia geweſen ſey, beſonders, daß es auf einmahl bey allen annaliſten ſelbiger, auch folgende Zeiten merum & altum ſilentium geblieben ſey. Sed & de hoc prolixius ſuis locis præcitatis. Wann ich die Gedancken über daß Bier-Getränck weiter gehen laſſe, werde jederzeit bey unſeren Münſteriſchen und Hämbſchen Keuth fürnemlich aufgehalten, wiewohlen den einen ſo wenig als den andern ſelbſt trincke. Nur möchte wünſchen hinter das eigentliche Alter und Benennung oder Etymologie dieſes Nectaris zugerathen, wie dann auch ob die Ehre deſſen Erfindung denen Münſteriſchen oder Hämbſchen zugeſtatten ſey, worunter bißhero mir noch keiner gnug thut.

quadam ſanguinea ita ſentit. Sanguineæ illæ creditæ guttæ neque Papilionibus, multò minus prodigio alicui debentur, ſed operatio ſaltem Naturæ ſunt, & nihil aliud quam particulæ vel Atomi ſulphureæ, oleoſæ pingues, æſtivis caloribus ex plantis, fructibus & arboribus, horumque floribus aromaticis pinguibus, una cum ſalinis volatilibus mercurialibus, evaporantes, quæ in ære una cum rore matutino vegetabilium unitæ circulentur & digeruntur, hinc cum dicto rore condenſatæ defectu pluviæ, guttularum rubicundarum formâ delabuntur; quam opinionem quoque Athan. Kircherus *lib. Scrutin. peſt.* S. 1. p. 160. foviſſe videtur, ubi ait: Sicuti nubes terreſtres nihil exotici in terra parturiunt, niſi eo tempore quo Aſtræo profluvio imbutæ, ſpuria quædam rerum peregrinarum ſemina in altum una cum vapore elata, ibidemque antiperiſtaticè quâdam Luctâ excluſa una cum imbribus mirificam fæturam præcipitant, &c. Franc. Reinzerus S. S. in *Meteorologia Philoſophico Politica* p. 139. Sanguine pluere poſſe ſuſtinet, quando ſol, vel ex campis ubi magnæ

Der Bruckmann ſelbſten in ſeinem Tractat de omnibus totius orbis potibus, da er dieſes Getränck anführet, iſt mit ſeiner Epicriſi und Erklärung zumahl zu Hauß geblieben. Nun dieſes iſt noch bey dem löblichen Bier-Weſen die der unterſuchung der vormahligen Gritz, ſo auch Juris grutatici als wovon nebſt Weſtphalen gantz Brabant und Holland groſſes gewach machen, in der Stadt Münſter einbeſonders Haus, und Amt mehr dann zu berühmt iſt, nicht auſſer acht zu laſſen, doch hierunter handle ich in einer beſondern ad Oreſtem vorlängſt abgefertigten Epiſtel, ſo dem Tomulo Commercii Litterarii tertio nächſtens zu inſeriren ſteht. Der Gelehrte Botanicus Abr. Münting de vera antiquorum

Strages eduntur, uel ex locis aquoſis infectis rubedine vapores ſanguineos eluit & attrahit, vel ſuo immenſo calore vaporem aqueum ita percoquit, ut quæ inde deſcendit aqua, colorem capiat rubeum, & quaſi ſanguineum, proinde atque urina febricitantium immodico calore rubeſcit, & lixivium per calidos Cineres colatum ſimilem colorem trahit; imò concluſione tertia Statuit in aere naturaliter formari poſſe verum ſanguinem, Lac, carnem (quam comæ pluiſſe Tit. Livius tradit) rationem ſubjungit, *aſt admodum frivolam*, quia in aere & nubibus plurimæ exhalationes ex omnis generis terra velut argillacea, petroſa, nitroſa, bituminoſa metallifera, ſimiliter ex omnis generis plantis, arboribus radicibus, Herbis & animalibus effluvia ſunt vaporibus adjuncta, à quibus facta activorum paſſivis applicatione hæc mixta generari potuerunt; Verum hæc imaginaria Syſtemata minimè ſatisfaciunt, ultra captum enim eſt, nec credibile multo minus probabile extra corpus animale vivum generari poſſe verum ſanguinem & Carnem, eſto poſt ingens certamen bellicum & aliquot millium interneccionem terram ſanguine fluere &

Digitized by Google

rum herba Britannica cap. xi. pag. 106. nebſt ſo vielen andern berühmten Scribenten iſt der ohn-umſtößlichen Meynung, daß die terræ Veneæ kein productum naturæ ſondern ex quisquiliis arborum fruticum atque foliorum tum & mericæ Concretum ſey ex ipſo Cataclyſmo herſprießend inconcuſſo argumento, daß erſtaunlich lang-ſtreckende Fichen und Feuchten oder Tannen-Bäumen von Weſten ins Nord-Oſt ohnweit denen Stämmen tief unter der Erd oder Torff-kennen heut zu Tage in groſſer menge ſich ligen finden, welche gewiß daſelbſt vormahls erwach-ſen durch allgemeinen Sündfluß ſtürmenden Waſſer ab und niedergeworffen, verfüglich mit und durch Gewalt deren Wällen gleichfals zu

pap

rubere, ſuccedat ardentiſſimus ſolis Calor, nunquam tamen particulas rubras attrahet (neque enim poſt tot Luctuoſos conflictus hoc ſæculo in Europa habitos id unquam obſervatum fuiſſe memini) poſtea ſub pluviæ forma deciduas, ſed effuſus ſanguis ingenti calore aut exſiccabitur, aut in liquamen putredinoſum etiam cum rubri coloris jactura reſolvetur; neque ulla experientia hactenus probavit, aſt ex Theoria ſpeculativa gratis ſupponitur ex effluviis diverſis conſtanter ex terra ejuſque productis exhalantibus in aere fieri poſſe miſcelam rubrique coloris productionem. Quemadmodum in pyrophylacio chymico ex mercurii & ſulphuris mixtura rubicundiſſimus Cinnabarinus color emergit ſubtiliores enim ex terra ejuſque productis exhalantes particulæ, vix terreæ ſunt qualitatis, ſi illas quos ventorum violentia in altum extollit, excipias, in aere libero irrequieto moventur continuo, ſurſum deorſum, ſiniſtrorſum dextrorſumque variè agitantur, ut difficilius illarum ſit Connubium, quod in particulis ſalinis etiam ſulphureis per aer eum humidum diſperſis vix ſupponendum; & ſi ex ejuſmodi exhalationum conjunctione humidum

Digitized by Google

pap getriebner Erde bedecket und übergegoſſen worden, welche durch länge der Zeit durch ein natürliches fermentum angewachſen, und der Nachwelt ein dem Vulcano dienendes fomentum mitgetheilt. Zu Beſteiffung meiner Meinung wird es gnädig genommen werden. Ob ange-
zogene

atmoſphæricum tingi poſſet, non tam raræ ſed frequentiores eſſe deberent, poſita ſemper eadem cauſa, ſcilicet omnis generis particularum exhalatione, ac in aerem elatione, ibidemque facta combinatione, reactione, & ſub pluviæ forma in terram Lapſu. Non audeo quidem omnem hiſtoricorum fidem in dubium vocare tametſi timidior Phantaſia fertilis ſimilium Lucina eſſe ſoleat; ſi quid inſueti eveniſſe narretur, ocius popellus prodigium ſeu ut St. Auguſtinus *tract. & in Joann.* porrocidium clamitat, quod porrò dicat, porrò ſignificet, & aliquid futurum eſſe portendat; hinc:

Diriguere metu, gelidus pavor occupat artus
Et tacitos muto volvit in pectore queſtus.

Sicque Vano timore debilioris phantaſiæ producto vera cauſæ naturalis inquiſitio negligitur, vilipenditur, vel non penetrantibus dilucidanda relinquitur, unde ex cauſarum ignorantia ad ſupernaturales ſtatim ſumitur recurſus, & ſimile phœnomenon tanquam imminentium malorum & pœnarum ſæpius ex ſuggeſtu ſatis frivole infelix proclamatur augurium; memini ante annos viginti ſex, cum ad Moſellam Berncaſtelli phyſicum agerem, famam inter vicinos increbuiſſe Crucifixi in vinea erecti imaginem copioſum ex oculis ſanguinem fundere, ingens ſuccedebat populi multus præſagientis accurſus imò non nulli, qui ſapientes audiri volebant, prodigium ne dicam miraculum ſe vidiſſe & credere ſanctè teſtabantur, re autem penitius inſpecta. Obſervatum fuit, quod effigies tecta eſſet Bracteâ ferreâ ſtanno & dein colore rubro obducta & picta, tractu veró temporis rubigine eroſa & caſualiter ſupra imaginis oculos perforata fuerit, per quod viſum ſubterfugiens foramen roris & pluviæ guttulæ colore rubro tinctæ in imaginis

zogene Müntingii eigene Worte in kurtzen zu wiederhohlen: *hodierno hoc tempore in drentia aliiſque Friſiæ noſtræ locis,* „ Interdum ſub ea „ tellure interioribuſque ejus penetralibus recon-„ ditæ deteguntur integræ arbores, earumque „ trunci; Noachis tempore per diluvium procul „ dubio, ut multi autumant aquarum vi ejuſ-„ que venti impulſu collapſæ qui inter auſtrum „ & Zephyrum collocatur medicus. Omnium „ enim cacumina ad orientis regionem, ſepten-trio-

oculos ſerpentes ex eorum canthis elabi videbantur, hac detecta & demonſtrata cauſa rumorem eundo ſemper accreſcentem excepit altum nimis credulorrm cum pudore ſilentium, per paralogiſmum forte non iniquè infertur creberrimè in Hiſtoricis narratiunculis ex ſolo auditu non propria autopſia notatis commiſſum fuiſſe Elenchum cauſæ non cauſæ, falſamque irrepſiſſe fabulam, à ſubſequentibus excerptam, adductam, & inutili commentario, & non factorum Æthiologia exornatam; quæcunque autem verè de cælo labens obſervata fuit, eam nunquam propriè ſanguineam, ſed E. G. bolari quadam rubra terra inſt‹a›r ſuperius ex *act. G. N. C.* adductæ tinctam fuiſſe autumo; Typho vel Turbo Nautis maximè infeſtus ventus qui oriri videtur, cum venti per lineam rectam in ſe invicem ſpirant. qui cum unus impediatur ab altero in orbem ſe torquent, & more aquarum vorticem efficiunt, taliterque incredibili violentia ponderoſiſſima corpora in altum tollunt & aliorſum deportant, proprio meo damno vidi ſimilem turbinem ex fullonica rapidiſſime omnia linteamina etiam palis terræ affixa in altum clamante & ſtupente populo ſuſtuliſſe, quo venti furore remittente, in altum evecta lintea, Xylena ſtrophia, induſia, collaria & variè diſperſa decidebant; in ſorani agri monte tantam ſævitiem ventorum eſſe, ut integrum porcorum gregem ventorum turbinibus involutum, abreptum & in vicini montis ſcopulos illiſum periiſſe narrat Ath. Kircherus

„ trionemque mediam procubuiſſe cernuntur, „ inter quas cum omnis generis ſint, tum illarum, quæ Coniferæ dicuntur maximum exiſtit „ miraculum præcipue quod & plurimæ & longiſſime alta ſub humo Jaceant, cum nullæ „ amplius hac ætate noſtra illis in campis provenire videantur; Daß aber ferner idem Auctor „ eodem contextu anführen wolle, ob ſolten ſich Welſche Nüßſtauden ſchuh, überbleibſels von Häuſern, ** ohnbekannte Müntzſorten einige ohn-

Mund. ſubterr. lib. 4. *Sect.* 24. *c.* 5. an non cauſam ſubticens vel neſciens Hiſtoricus verum ſcribit, cum Linteis & ſuibus pluiſſe refert; per analogiam itaque concludere licebit ab Hiſtoricis Notatas pluvias ſanguineas, quarum geneſis tordefatigavit ingénia, & timidiores obſtupere & mirari fecit, *Turbinis* argillam rubram quod (quæ in æſtate valde ſicca pulverulenta, & in minutiſſimum ſæpius pollinem comminuta apparet) vel ſimile quid attollentis, per aerem diſpergentis, nec non in diſſita loca transferentis plerumque certiſſimum eſſe productum.

** Id paritur teſtatur Cl. Degnerus in *Diſſertatione Phyſica de Turfis. p.* 43. §. 16. in quibuſdam vicis & locis paludoſis in Hollandia & extra eam fundo limoſo arbores innumeræ & prægrandes, maximam partem quercus, rarius alni & coryli (& hæ quidem minores erectæ cum foliis, frugibus Nucibus & glandibus ſuis adhuc integris) incumbentes inveniuntur, in aliis verò locis Turfinis nil tale reperitur, ſed purus fundus limoſus, utplurimum planus. Arbores extractæ duræ admodum & nigræ ad fabricandum optimæ deprehenduntur, . . . quandoque ex illis paludibus cum materia Turfina ſimul extrahuntur aliæ res, ut carbones lignei, cineres fragmenta navium, inſtrumenta nautica, lora, remi, reliquiæ monſtrorum marinorum, aduſtæ arbores, ferramentorum, cretæ, fiſtularum tabaci, ollarum, ſimiliumque rerum fruſta quæ alii *ab inundatione præ-*

ohngewöhnliche mit alten inſcriptionibus prangende Steine zerbrochenes Gewehr und dieſer Gattung andern daſelbſt gefunden haben, ſogar in ſeinen Muſeo zum verwahrſam gezeiget wer-

greſſa reſidua, alii verò res inutiles ab incolis eo projectas credunt; quod admodum veriſimile eſt, cum eodem referente *p.* 49 §. 24. plurimus turforum tractus adeo humili & depreſſo ſit ſolo, ut mare extra aggeres tempore refluxus illum ad duos pedes ſuperet mare autem valde æſtuans ad viginti ſupereminea.

Gratis igitur recurrit Muntingius (totus occupatus, ut noviter detectam Herbam Britanniam) de qua producenda altercationis ſerra inter eruditos tot ſæculis tracta fuit, & ſemper dubia manſit (& inventionis gloriam ibi vindicet) ad cataclyſmum univerſalem, quod ex inundatione particulari ne frequentius eveniat, conſtans ſubeſt periculum, imò ſæpius jam eveniſſe triſtiſſimæ memorant hiſtoriæ; quam Turfæ geneſin illis in locis ex particulari non univerſali diluvio eveniſſe Cl. Roſ. Lentilius celebris, fælix & ſincerus Stuttgardiæ practicus *in Actor. G. N. C. volum.* 1. *p.* 230. *obſ.* 115. ſequentibus deducit: plane veriſimile glebam iſtam exiſtere è lignis & arboribus variis, utplurimum tamen pinis, abietibus, & ſi quæ plures in pinguium ſyſtema veniunt, & his quidem ſub limo ſeu palude maximam partem putrefactis, quum compertum ſit Hollandiam olim ſilvis Horridis abundatiſſimam fuiſſe, cujus rei veteres Romanorum expeditionum ſcriptores adhuc mentionem injiciunt; per creberrimas autem marium vicinorum exundationes, ſylvas iſtas ſubrutas in limo uſque ad Barbarum Helmontii quellem ſubſediſſe, inibique tractu temporis, accedentibus aliis quoque variiſque terræ portionibus, in cariem ſive putredinem vel quaſi abiiſſe, mixturamque hanc terræ, limi, putridorumque lignorum in hoſce glebas arte ac induſtria hominum compactam ac in turfas coagmentatam fuiſſe.

werden, ſehe noch nicht wie angegebenen Diluvio generali) die Wahrheit zu geſtehen, conbiniren werde, viel ehender auf die Muthmaſſung gerathen, daß dieſer ſich eintreffende Umſtänd viel

Suprafatus Noviogamenſis Phyſicus Degnerus, qui curioſo non minus, quam erudito Schediaſmate Turfarum originem dilucidare ac exhaurire ſtaduit. *lib. cit. p.* 142. §. 31. Turfas in locis humido paluſtribus Creſcere, & quotannis ſuccreſcere ſtatuit; nec abſonè dictum cenſet, ſi Turfas ceſpites Mucoſos, gramineos, paluſtres, lignum paluſtre, locum verò natalem ſylvam paluſtrem, aut mineram ligni paluſtris ſalutare libuerit; Bœrhaavius *element. chym. part.* I. *p. m.* 342. ſcribit: ceſpites NB. Bituminoſi duplicis ſunt Naturæ, primo in ericetis reperiuntur, ubi ablata ſuperior cruſta puros in igne ceſpites exhibet; dein ex humido atro, pingui limo, qui de fodinis hujus materiæ eruitur, exſiccatur ſole, dividitur in parallelipedia, nobilem ſalubrem, lucidum ignem faciunt: verum quantum ego à triginta annis, à quibus Weſtphaliam fidiſſimumque meum Profeſſorem & Patruum amantiſſimum nunquam ſine honoris titulo ex debita gratitudine à me nominandum J. H. Cohauſen nunc beatum deſervi recordari poſſum, tribus turfarum ſpeciebus ad focos utuntur; unam vocant *Feld-Torff*, quæ conſtat ex lignoſorum ſibi invicem implicatorum radicum ericæ inexplicabili congerie atque ſcindentibus inſtrumentis ad palmæ altitudinem effodi ſolet in terræ ſuperficie, quæ in renaſcatur non dubito, ſi ſcilicet Erica in arenoſo & ſemiputido fundo ſe iterum extendat, ſuccreſcat, copioſæque radiculæ annorum ſeriè denuo complicentur; alia *Loſentorff* dicitur, quæ mollior, Leviorque & poroſior eſt conflata ex materia facile inflammabili, ut apparet convolutis arborum foliis ſubinde ſtramine, interſperſis ligni fruſtulis &c. Sibi invicem ſuperincumbentibus & compactis ſat altè uſque ad arenoſum fundum, hanc nun-

viel nahere mit dem diluvio Cimbrico Verwandſchafft haben dörſten als da man von ſchuhm Gebäuen Wohnbehauſungen gangbahren Gelde auch inſcribirten Steinen, nicht weniger mit Wehr und Waffen umzugehen gelehrnet hatte. Dieſem ſey wie ihm wolle, ſo iſt und bleibt der Schluß, daß das gehehle Torff und Krummweſen nicht von Natur, ſondern durch Gewalt des Waſſers entſtandenes, und zur ohnentbehrlichen Nothdurfſt durch Vorſehung Godts zuwegegebrachtes Mittel ſey.

Ver-

nunquam renaſci auguror, videntur enim eſſe reliquiæ ſi non univerſalis ſaltem particularis diluvii, alia *Kluentorff* apellatur, quæ ex limoſo paludoſo fundo non niſi valde ſicca & calida æſtate effodi ſolet, hæc ſpecies pro optima ad nutriendum ignem reputatur, aliis quoque carior eſt; hujus ego geneſin deduci poſſe reor ab ipſa, quæ levior & vulgo *Loſentorff* audit, cum enim hæc in locis ſiccis, in quibus nullæ aquæ Stagnare diu poſſunt, ſupra arenoſum fundum ſita eruatur, alia autem in ſemper humidis, aquoſis, conjicio reliquias illas diluvianas *Loſentorff* conſtituentes in putrilaginem & corruptionem abiiſſe, ſive magma Naturam inflammabilem ſulphuream retinens, quod magma exſiccatum ſub hac forma venit, quod eo tutius ſtatui poſſe confido, quoniam Notoriè tractus Hollandicus Weſtphalico multo inferior & humilior, conſequenter res illæ per inundationem advectæ, ibidem ſubſidentes, ac ſuperius quaſi ſtratum modò conſtituentes in continuo madore & humiditate paludoſa remanſerunt (quæ in aliis oris arenæ humiditatem abſorbenti inhærent) ac in putrilaginem abierunt; tam eminentis utilitatis, tantæque neceſſitatis in ampla Regione, cui ſufficientem lignorum productionem Natura non conceſſit, ita provida Natura omni Regioni de neceſſariis affluenter providit. Arbores ſub terra repertas pro diluvii univerſalis Noacii reliquiis Phyſici

Es erwecket bey mir annoch ein beſondere Frag auch ſcrupul worinnen mir ſelbſt nicht gnug thue wie es möglich, ob ſonſt hergangen daß eine Eiche eines Diametri ad vier Jahr fünftenhalben, wann die Rinde dabey ſetze Holtzſchuh immediate über den Horizont von ſeinen Stammen grad abgeriſſen, und mit ſeinen Zopff beſagtermaſſen von Weſten ins Nord-Oſt ſich ſtreckend befinde gleich ich in meinen eigenen in hieſiger Nachbahrſchafft obhandenen Torffenen zwey dergleichen ungeheure Hölßer in ſolcher poſitur entblöſſen laſſen, welches gewiß eine nähere Unterforſchung verdienen wollen. Dann einmahl gewiß ſeynd ſie durch Gewalt des Windes und Waſſers umgeworf-ſen

& Hiſtoriographi paſſim agnoſcunt, indoles pro ratione terrarum è quibus eruuntur differre ſolet, aliæ nigreſcunt, & tam ſolidè duræ ſunt, ut ferris vix findi queant, ac in Xylolytha quaſi abierunt quod iis in locis evenire opinor, quos particulæ martiales vitriolicæ copioſius permeant; prope acidulas Montaburanas (quas martialis proſapiæ eſſe analyſis chymica detegit) quercus pro formando aggere non ita pridem depoſitas ab exundatione adjacentis rivi erutas per totum & intimè nigreſcere obambulans notavi à particulis nempe vitriolicis ſe inſinuantibus, à quibus non duntaxat nigredinem ſed majorem ſoliditatem adipiſcuntur, à putredinoſa reſolutione præſervantur, imò ad multa ſæcula illæſa ſervantur, ubi autem iſtiuſmodi ſalinæ, vitriolica vel martialia effluvia vel ſubterraneæ pervagationes deſunt, vel aqueis nimium diluuntur, ligna facilius & citius reſolvuntur vel immutantur; in ducatu Naſſovico prope pagum *Hehn*, ut & in Weſtrowaldiæ paræcia *Salzig* ditionis Trevericæ cum magno emolumento copioſe eruuntur Anthracodendra, qui carbones foſſiles verè lignei ſunt, vid. Liebknecht *Haſſ.*

ſen, hätte der Zupff oder der Mittel-Leib die erſte Gewalt erleiden und dardurch abgebrochen werden müſſen, welchem nächſt daß unterſte oder Stamm-Stück ceu ipſum robur querceum äuſſerſte Stamm ohnbeſchädiget geblieben wäre. De petrefactis gibt mir die beſte ſatisfaction der berühmte Schweitzer Phyſicus Jo. Jac. Scheuchzer in ſeinen Orychtographia Helvetica, wie auch ſpecimine litographico Herbario Diluviano Piſcium Querelis, & præſertim Muſco diluviano, *

ſubterran. Lect. 1. *C.* 4. §. 4. *p.* 138. illi prorſus ſimili modo reperiuntur, ut ii, de quibus ſcribit Matth. Pilingius *Tract. de bitumin. & lign. foſſil.* C. 7. Scilicet ſub monte ſuperius terra fertili, dein argilla & ſabulo conſtante, in quo lythantraces ſive lignum nigrum ſemiputidum, ſi in ſole paululum exſiccetur, flammam promptiſſimè concipiens, atque egregiè calefaciens, nunc Clavorum, nunc teretis & oblongi baculi circumgyrati, demum ramorum nodi corticeſque Stirpium tot modis variantium conſpiciuntur ſpecies, ligni hujus ab aliquot annis maxima effoditur abundantia, multas jam continuat orgyas, eandem faciem, quam initio offenderant foſſores, ſemper oſtendere pergit; continuatas ſuas obſervat venas, nec dextrorſum, nec ſiniſtrorſum declinat, aut altiori vel depreſſiori effoditur loco, ſed ſemper hic ſimile, terminum ſecundum horologium Metallicum indeſinenter ſervat; indubia hæc ligni olim ſubmerſi ac temporis progreſſu putrefacti, indicia ſunt de quo in Hiſtoria mea naturali Treverica fuſior fiet mentio.

* Hiſtoria petrefactorum a plurimis phyſicis ſingulari & indefeſſo Studio hactenus excuſſa & rimata fuit, quin hodiedum multi curioſiores in eo deſudant, ut pompoſa & numeroſa undique conquirant Lythophyloci (quo & me abduxit ſumptuoſa curioſitas) & collectaneorum geneſin ortumque intimius perſcrutentur ac deducant; aſt ſæpius in eorum ſpeculationibus &

wovon ebenfals ein mehreres in Monumentor. Monaſt. Decur. II. Monumento *Bombergæ* S. an und ausgeführt, übrigens bin mit ſenſibleſter Unterthänigkeit verpflichtet, für die gnädige Con-

ſcrutinio plus laborat phantaſia, pluſque reperitur imaginationis, quam realis veritatis, annuo in hoc paſſu Cl. Kiliano Stobæo Londini Scandinorum Profeſſori Hiſtoriarum. *vid. Opuſc. de petrefact. C. 3. §. 12. p. 105.* confidens demonſtrari poſſe, primo Naturæ vi, ſine virtute aliqua plaſtica, aut quacunque veræ germinationis analogia, oriri poſſe ejuſmodi figuras, quæ fruticata, arbuſcula aliaſque res adumbrant. Secundo longè alio modo ſe habere ſuperficiarias & ſuperlitas has plantarum delineationes tumultuariè quaſi à Natura peractas, ac vera illa veſtigia & ut plurimum Epiglyphicas partium organicarum, juſta figurâ & proportione expreſſarum, imagines in genuinis illis phythobitis cuivis illos accuratè intuenti obvios. Tertio rationi & experientiæ maximè cōſentaneum eſſe, hos elegantiores Naturæ pictricis conatus deberi vaporibus plus minuſve metallica ſalina atque ſulphurea exhalatione fætis, qui ejuſmodi lapidum rimos, quanquam ſubtiliores ingreſſi, condenſantur, coagulantur, & ſub varia materiæ fluidiſſimæ mordiſatione, partiumque graviorum ſubſidentia exſiccantur, & talia poſt ſe relinquunt veſtigia, hinc quarto, ſi qui ſint qui revera characteres phytholitorum genuinos habent, illos eſſe omnino à dendritis diſtinguendos: & legitimo ſuo generi reddendos; forte autem non nullos phyſicos ſuis præjudiciis nimium indulgentes, hos non rite ſemper dijudicaſſe, his quoque aſſenſus ſui calculum addit Cl. D. Joſephus Monti in Univerſitate Bononienſi Botanices & inſtituti Hiſtoriæ Naturalis Profeſſor celeberrimus, nunquam ſcilicet dendritas commiſcendas eſſe cum phytholitis ſeu plantis foſſilibus, ut perperam à non nullis factum fuit. Non tamen adeo facile ut credamus adducimur, dendritas quaſcunque muſcos præſertim, Algos & fucos referentes his vegetabilibus roiginem debere, quin potius Naturæ luſu ex fluido

Condolence über dem mir allzutheuren Verluſt eines einßigſten allerliebſten Bruders, nicht weniger des Collegæ Oreſtis, geſtehe gern meine Schwachheit, daß der Brüderliche ohnverhofte Abſcheid mir tieffer dann alle vorige zugeſtoſſene

L 3 Lea

metallicis particulis ſaturato, inter terræ ſtrata quondam permeante, ipſos efformatos fuiſſe exiſtimemus &c. Unicum tantum idque perrarum ſpecimen ad noſtras hactenus manus pervenit, lapidis in quo revera genuini paluſtris muſci veſtigia conſpiciuntur; quantumvis ex variis regionibus dendritæ plures inter foſſilia noſtra occurrant.

Inter celebriores præcipuoſque materiam hanc ſcrutinio ſuo dignantes ſuiſque eruditis commentariis exornantes tenu s Bibliotheca mea ſequentes æſtimat.

Joan. Georg. Liebknecht Haſſiæ ſubterraneæ ſpecimen Clariſſima diluvii Univerſalis teſtimonia exhibens.

M D. S. Buttner Rudera diluvii Teſtes.

G F. M. memorabilia Saxoniæ ſubterraneæ.

G. A. Volckman Sileſia ſubterranea.

J. J. Bayeri Orycthographia Norica.

Petri Wolfart Archiatri Caſſelani Hiſtoria Naturalis Haſſiæ inferioris, dolendum non plura ab erudito & ſedulo authore fortaſſis præmaturis fatis prævento hactenus prodiiſſe.

G. L. Hueber Lithographia Wirceburgenſis ſub præſidio D. Beringerii anno 1726. excuſſa.

Joan. Chriſt. Kundmanni Medici Uratislavienſis Rariora Naturæ & artis.

Franc. Erneſt. Bruckmann Theſaurus ſubterraneus ducatus Brunsvigii &c. ejuſdemque Epiſtolæ itinerariæ.

Fatendum eſt Curioſiſſimi in rerum Naturalium conſignatione & ſcrutinio indefeſſi Cl Bruckmanni opera magno Studio, nec minoribus ſumptibus compilata & elaborata in qualibet doctorum Bibliotheca locum mereri inſignem, attentione ſummâ & Lectione æquè digna, quam jucunda eſſe; miror verò virum, tam ſapientem & doctum vulgi errores, actusque ſuper-

Lebens-Schickſaalen zu Hertzen gangen, daß menſchlicher Weiſe dardurch geſchwächte Lebens-Kräfften jemahlen zu erſetzen verlohren geben den Himmel inbrünſtig anflehend Ew. Hochgräfl. Excellenz, wie dann ſämtliche Reichs-Hochgräfliche Familie beym erſinnlichſten gröſten Flear Zeit und ewiger Wohlfahrt dem lieben Vatterland weniger nicht mir verlaſſenen, ſo auch meiner ohnermüdeten Arbeit, und vorziehl zum beſten auf die ſpäteſte Zeiten ad Illuſtriſſimos Ne-

ſtitioſos à ſe in itineribus notatos toties in Papiſmi cæcitatem ſive Eccleſiæ Romanæ caput conjicere, frequenter ſalſis ſannis at utplurimum ineptis ſine cauſa & fundamento excipere; quæſo? qualiter ea, quæ indoctus credulus, rudis ac ſuperſtitioſus populus perpetrat, in orthodoxa nihil ſine ratione agentis vel permittentis aut conſulentis vel mandantis Eccleſiæ dogmata ejuſque ſummum directorem tanquam caput perpetuum adverſus omnes etiam ipſius averni furias ſemper erectum, & uſque in finem mundi continuandum conjici! & huic attribui queunt? irrepſerunt hinc & inde aliquæ ſuperſtitiones paganiſmi partim reliquiæ nunquam doctrinæ veræ catholicæ partus, quas ſacra Romana ſedes tantum abeſt ut approbet, ut potius omnes Romani Theologi in libris & ex ſuggeſtu ad ravim contra Clament, omneſque abuſus eradicare ſemper conati fuerint; injuſta igitur contra Papam calumnia, & majeſtatis illius enormis Læſio eſt, cui tot coronata obediunt capita, & obtemperant imperia; abſurdiſſimum enim eſt, imò temerarium ſupponere & dicere velle, tot viros ſanctos, tam profunfunde doctos, ſpirituque ſancto verè illuminatos ducem cæcutientem ſequi potuiſſe, qui recta à majoribus fideliter & conſtanter trita via graditur, nunquam oberrat, ſed qui à Via Regia ſemel deſciſcit, abſque filo Ariadneo vix feliciter revertitur, aſt in perpetuo aberrat Labyrinto; indignabundus ſæpius Joan. Storchii inſolentiam, & impudentem ſcribendi temeritatem

Digitized by Google

Nepotum Nepotes allermiltigſt erhalten werden möge. Der mit ohnveränderlich tieffeſten reſpect biß am Ende Lebens bin und harre.

Ew. Hochgräfl. Excellence
Meines gnädigen Reichs Graffen
und Herrn Herrn
Unterthänig gehorſamſter Diener
Jod. Herm. Nunninch Canonicus
& Scholaſticus zu Vreden.

ferulâ dignam miratus fui, cum in ſcriptis ſuis & diffuſis & confuſis ſi penes Clinicos quidquam ſibi ſuperſtitioſum è viſum obſervavit, cauſam audacter & inſulſè in das blinde Pabſtthum referre, præſumat, anne quiſpiam ſanæ mentis, imò mediocris ingenii adduci poterit ut credat, Tantam inepto huic Critico connatam eſſe ſcientiam, talemque dexteritatem ut hæreditariâ Paternâ acu Sartoriâ (*vid. F. Borners* Nachricht von jetztlebenden Artzen. *decad.* 3. *p.* 485.) Romanæ Catholicæ Eccleſiæ ſummo capiti affictam Catharactam deponere, & glaucoma corrigere queat, Hercule demens & ſuperbum tentamen, ſtulta temeritas, fungoſi cerebri, cæcutientis & malevoli animi fatuas ſannas ſpirantis productum; errâs mi *Pelarge* ſi obſervatos imprudentis popelli errores, abuſus & ſuperſtitiones ab Eccleſia doceri, permitti, approbari, promulgari, vel ejuſdem præceptis, ordinatis & præſcriptis nunquam myſterio carentibus cæremoniis naſci & oriri tibi imagineris; inſpice ſi libet, & ſepoſita omni præoccupatione intimius ſcrutare & rumina genuina fundamenta; ſpondeo, reperies alium Eccleſiæ Romanæ Catholicæ ſenſum & ſolidam doctrinam, quam multi imprudenter ac impudentiſſime intricato falſiloquio denigrare, & multoties in frivolis ſcriptis, quæ lucem à flamma merentur, enormiter mentiri, & aliud quam in re eſt populo perſuadere & apertè docere non verecundantur. **Navita de ventis*, *de Tauris narret Arator*, Sartor de acu Sutor de Subula, tractent fabrilia fabri.

Oreſtis & Pyladis Epiſtolæ amœbææ de fundanda publica Bibliotheca.

Propoſiti
ſive
Alternæ Diſpoſitionis circa Bibliothecam meam & manuſcripta tenor.

Maturiori perſæpe appendens animo Civitatem *Mimigardiam*, exuſta pridem dolor! Illuſtriſſima *Langii* & præcipue Cathedralis Eccleſiæ Bibliotheca, nullius propemodum rei, majori quam ſuppellectilis Literariæ a ſeculo amplius integro laboraſſe penuria, adeo ut privatorum nullo nedum publico ad comparandam ſcientiarum encyclopædiam librorum apparatu ſplendeſcat, quod quidem Cathedræ Epiſcopalis ac Paulinæ Baſilicæ dignitas tum & ampliſſimi Magiſtratus Clariſſimorumque Officialium decus maximè dudum exegiſſe videbatur.

Huic defectui pro modulo noſtro ſuccurrere ſtudentes tametſi Bibliothecam integram fundare vires non permittant, attamen baſin, ceu primum ejus lapidem dicta in Urbe collocandam haud ſemel propoſuimus, utut numero librorum moleque haud æque commendatam in finem, ut auctoritate ſuperiorum, quos pro devotione noſtra hiſce imploramus, in publicam, quam fieri poteſt ocius, erigatur, optantes, ut ad Urbem monaſterienſem ſtatim poſt obitum meum tranſlata committatur fidei Clariſſimorum Virorum

tum DD. *Wettendorp Vagedes*, *Rave*, & *Fr. Arn. Zührmuhlen* J. U. Doctorum Nepotum meorum Sereniſſimo Electori Colon. *Clementi Auguſto* qua Epiſcopo Manſi a Conſiliis Aulæ & ærario, qui eandem ædibus ad hoc pridem liberali dono aſſignatis recipiant, receptam quoquomodo fovere & curare non deſiſtant, quo caſu dictam Bibliothecam ſingulari diligentia ad obitum uſque ſuum curare neutiquam intermittent, ſeduloque cavebunt, ut ipſi de loco publico & congruo mature proſpiciatur, nec in una parte diminuta poſt obitum ſuum publico reſtituta favente Deo perennet.

Quemadmodum vero prædictam Bibliothecam optimâ fide perpetuis temporibus in Urbe Monaſterienſi conſervari & augeri toto corde vovemus, ita præprimis ope divinâ tum & patriæ Procerum virorumque illuſtrium & amæniores Literas æſtimantium confiſi nunquam defuturos ſperamus, qui conatus hoſce noſtros pro ſingulari, quâ in patriam proximique ſalutem feruntur, pietate perpetuo ſint promoturi. Cum vero nihil adeo pium, firmum ſanctumque ſit, quod temporum hominumque injuria non labefactet, neceſſe duximus legibus hanc donationem ac regulis pro viribus munire: Hæ porro ſunto leges:

1. Ordinamus ut ſingulis diebus ferialibus ſex horis tribus ante meridiem, totidemque poſt illam, Dominicis vero feſtivisque diebus binis tantum & quidem pomeridianis publicus ad Bibliothecam hanc detur acceſſus. Feſtorum ſummorum quaternione ac hebdomata ſacra

 ſive

ſive majori tum & venerabilis ſacramenti exceptis.

2. Nulli permiſſum eſto librum è Bibliotheca ſecum ſumere, domumve aut quoquo alibi extra eam deaut transferre.

3. Luſtrantes ſive curioſitatis ſive ſtudiorum cauſa hanc Bibliothecam cujuſcunque ſtatus aut conditionis fuerint, quo & ipſimet bene precando fructum ſpiritualem ſibi colligant, nec minus eum procurent fundatori defuncto flexis in limine ad imaginem Crucifixi genibus ore & corde dicant: *Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant i. ſ. p. a* quam precatiunculam à recedentibus ex Bibliotheca pari ad priorem imaginem pietate & genuflexione exſolvendam ſedulò commendamus.

4. Confabulationes & vana colloquia eliminentur.

5. Nulli porro liceat vinò aliove potu, minus commeſſationibus, cujuſcunque nominis aut qualitatis, etiam ſub prætextu medicinæ in ipſo Bibliothecæ loco ſeſe recreare aut refocillare. Sobrii, non merum olentes Muſis amici.

6. Intrantes ſtudeant præferre modeſtiam & exactum ſilentium, ne garritando ſtudiis ſerio intendentes quocunque modo graves ſint aut moleſti.

7. Tres librorum conficiuntur Catalogi. Unum eorum Domini Executores ſub præſidio Reverendiſſimi Cathedralis Capituli Summi Prælati, alterum Senatus Urbis Monaſterienſis; Tertium Bibliothecarius in Bibliotheca ſibi reti-

tineat. Hic quartum pro meliori atque exactiori librorum ſibi commiſſorum comparanda notitia proprio marte conficiet.

8. Singulis anni quadrantibus Catalogi revideantur, iiſque novi ac recens acquiſiti libri ex amuſim inſeruntor, poſtmodum vero, ut ſibi conſonent, probe conferuntor.

9. In munditiem Bibliothecæ ſingulari cura invigilantor, ac binis perhebdomadam vicibus à blattarum nidulis aranearumque telis diligenter purgantor.

10. Quot annis per Dominos Executores meos Bibliotheca viſitator. Abuſus & defectus, ſiqui irrepsêre, ſtrictim emendator.

11. Hæ leges, quo publicæ ſint, & ne aliquando poſteritatis memoriæ intercidant, ad tabulam translatæ parieti affigantor.

12. Si quis præſcripta ſive pervicaciter ſive oſcitanter transgredi præſumpſerit, increpatione ſeria, aliave pœna exceſſui congrua, pauperibus applicanda mulctator.

Quo verò Muſarum alumni ad ſuccurrendum votis noſtris bonaſque Literas hac in urbe promovendum magis extimulentur, muſeum noſtrum Numiſmaticum quod Vredenæ aſſervatur, quam quod in ædibus Wieckinghofianis ex Urnis Ethnicorum ſepulchralibus tum maris ac foſſilium terræ ſpoliis conſtructum oſtenditur ceu Bibliothecæ appendicem, dono adjicimus, indiſſolubili glutine eidem copulandum atque à Bibliothecario parili, qua illa fide atque diligentia excolendum.

Muſei

Muſei porro noſtri autographa, Cartularia, codiceſque veteres membraneos tum manuſcriptos, tum vulgatos & id genus antiquitatis monumenta ſat magno pretio à nobis redempta, & collecta, tum & lucubrationes fœtuſque noſtros proprio marte elaboratos eodemque Muſeo reconditos, quorum plures eoſque exactos confici Catalogos ſtatuimus; eorumque alterum penes Senatum urbis piè deponi & aſſervari, ne rapacibus plagiariorum vulturumque iniquis unguibus diripiantur.

Volo denique ac ſtatuo & prænominatos hujus diſpoſitionis aut quoſcunque meos executores obligo, ut diſcretione ſingulari & multâ circumſpectione attendant caſu quo immatura fata me ante è vivis ſuſtulerint, quàm ut Manuſcriptis meis ultimam manum applicavero aut typis edidero, ut poſthumos iſtos ceu adoptitios fideliter curent, hominemque undequaque literatum ac Polyhiſtorem perquirant, qui ultimam operibus meis limam adhibeat, Amanuenſium errores corrigat, Lacunas ſuppleat, idque præcipuè agat, ne non exaſciata in lucem protrudantur; ſed prius viris hiſtoriæ patriæ conſecrantis, ceu totidem parentibus, certe cenſoribus pupillos iſtos committant.

Monitum
Ad Bibliothecæ Curatores.

QUia Bibliothecæ uſus auroram adamat ceu Muſis Amicam, eadem ad ſolis ortum omnino erit collocanda. Enimvero, ut teſtatur Vitruvius VI. 7. *Libri Orienti expoſiti nulla putredine*

dine corroduntur, illi verò, qui ad meridiem & Occidentem ſpectant, quàm maxime; Equidem Pleyades blattas procreant, & continuo nutriunt. Pauca hæc moneo ceu non unius voluminis diſpendio edoctus.

Tanto exactiùs non in eos ſolum, qui Bibliothecam ſtudiorum cauſa aut ejus ſub prætextu accedunt, ſed in illos præcipue attendendum eſt, qui eandem purgando, obſerando aut quovis alio modo per diem curant & frequentant; Referunt equidem certe ex Latio immo publici Nuncii anno 1734. menſe Julio in Alma Urbe deprehenſum eſſe, libros non exigui momenti complures, præcipue vero Manuſcripta è Vaticano Archivo ſublata ibidem vendi, ut ſerviant mercium involucris, jamque ſedulo inquiri in nequitiæ perinſignis auctorem.

Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino D. Jod. Herm. Nunningio &c. Amicorum Summo S. P. D.

Cohauſen &c.

Bibliothecula mea quidem confuſo ordine raptim atque tolutim in ædes veſtris vicinas mecum nuper tranſmigravit, Muſarum tamen nulla comitari viſa eſt, ita totus in novo habitaculo hactenus vivo amuſus, neſcio quæ vel ſenli moroſitas, vel aliarum occupationum, nugarum fere dixiſſem, tædioſa diſtractio iſtarum apud me olim delicias quaſi penitus ſuffocarit, ut nil difficilius ſit, quam in re Literaria quidpiam

ad manus eſſe nequeunt. Idem & forte expeditius præſtiterit Americana radix ipocacuanhæ, in officinis paſſim nunc præſto à me ſexcenties probata, & indies in uſu neque in ejuſmodi dejectionibus colliquativis utentem fallens.

Epiſtolas Patini aliquoties & neſcio quo præter morem fervore repetitas remitto ſexcenta in iis obſervata loca *Patino Redivivo* uſui futura lubenter excerpſiſſem, ſi otium fuiſſet, & *quamvis & hoc tam curioſum opus jam ad umbilicum perductum ad calcem nunquam perventurum præſagiam*. Interim grates pro mutuo reddo ampliſſimas & adjungo, ſcaligerana nuper deſiderata, ſi quid alias novi rari atque ad ſpartam meam facientis occurrerit, communica & tui amantem, imo totum tuum, amare ne deſine. Ex novo Muſeolo, properante crena, ipſa Virginis Deiparæ in cælum aſſumptæ feſtivitate.

P. S.

Ratione *Epiſtolarum Illuſtrium* repetitim in Bataviam ſcribam. Ambos fratres Janſonio Wæsbergios hac æſtate febris ardens extinxit. Eorum Officina publica ſubhaſtatione diſtracta jam ad plures abiit more ſolito.

Re-

ſint, ſua ſic amaritie perfundit, ut commedi nequeant, Pro dyſenſeria propulſanda cortex radicem circumvolutus & ipſa radix adhibeatur; coquuntur Drachmæ duæ hujus corticis in aquæ fontanæ libris duabus, ad dimidiæ partis exhalationem quantitas hæc tres doses ſingulis trihoris ſumendas conſtituit. *vid. Hiſtor. & comment. Academ. Regiæ Scient. Paris. An.* 1729. *Voyage du Chevalier des Marchais en Guenè, les Voiſines, & à Cayenne &c J. H. Degneri Hiſtoria dyſenteriæ Bilioſ. contagioſæ* 1736. *in Append. Actor. G N. C. Volum.* 4to. *item. diſpenſator. Wirtenbergic.* 1740. *edit. p.* 144.

Reverendiſſime Domine
Amicorum maxime

EX petito tuo & meo promiſſo tandem ſatisfacturus ſuper communicato conceptu de fundanda in Urbe Mon. Bibliotheca publica criſin deſideratam ſubmitto, acriori quidem alicubi ſtylo, veritati tamen penitus conſentaneo exaratam. Penſum quidem iſtud & diligentius & fuſius deduci potuiſſet, ut etiam quia pertractatio nova eſt, ſi tuas refutatorias, paris, ut ſpero, ponderis futuras, adieceris, lucem, vel etiam locum in tuo *Virorum doctrinâ Illuſtrium conſpectu* mereretur, niſi aliæ diſtractiones opuſculi filum ſæpius interrupiſſent. Interim conatus hos meos æqui bonique conſule, & exemplar hoc lectum, nam ex fragmentis tolutim compilatum copiam mihi non reliquit, vel ſub manu mea, vel aliena ſaltem deſcriptum velim remittas. Vale & amare perge tui amatorem &

Borckenæ
die 24. Sept. 1729.

ſervum paratiſſimum
Cohauſenum

Diſſertatio Epiſtolica
Ad Reverendiſſimum & Ampliſſimum Dominum
D. Jodocum Hermannum Nunningium J. U. D. Canon. & Scholaſt. Vredenſem
De conceptu fundandæ Bibliothecæ Publicæ in Urbe Monaſterienſi

CUm tuos maturioris animi de Bibliotheca publica in Urbe Mimigardenſi erigenda conceptus mihi pridem peculiari ſcripto communicaveris, & criſin à me candidam atque ab omni aſſentatione alienam (nil enim vetat amicitia illæſa diverſum ſentire) exegeris, non invitus in tui gratiam ſeu ex affectu potius erga Te meo hoc qualecunque penſum ſuſcepi, quod quidem ob profeſſionis varia impedimenta abſolvi ſerius, nihilominus eâ ſinceritate, ut nihil hic datum amori noſtro, nihil inveteratæ amicitiæ, ſed ſoli veritati, quæ utroque apud me eſt potior. Placuit verò ſuper hoc novo argumento vel ideo quidpiam commentari, quod autorum neminem de illo hactenus ex profeſſo ſcriptis editis pertractâſſe noverim.

Ne igitur confuſe atque intricate operis a te mihi injuncti telam pertexam ſequentia ordine excutere atque dilucidare conſtitui:

1. Naturam & conditiones Bibliothecæ publicæ exponere,

2. Fru-

2. Fructus & emolumenta, quæ inde ſperas & expectas, paulo altius ruminari,
3. Leges tuas, quas à Bibliothecæ publ. frequentatoribus ſervandas proponis examinare.
4. Denique requiſita ad Bibliothecæ publicæ fundationem neceſſaria in medium proferre.

Initium facio novâ relatione: α advenit nuper in Urbem Mimigardicam Vir extraneus in rebus ad frugalem Oeconomiam pertinentibus non inexercitatus. Suggeſſit hic diſertè conceptum de ampliſſima vinea exquiſitiſſimo vitium genere inſtructa in ejuſdem confiniis plantanda, quæ ſi ab incolis ſedulo colatur intra paucos annos fructus ſit datura uberrimos, & vinum longe generoſiſſimum ſuaviſſimumque, unde tota ſit ſuſtentanda & non ad ſanitatem dumtaxat, ſed & hilaritatem recreanda patria, ut magnis illis impenſis in vina exotica impendendis deinceps facile parci poſſit. β *O egregium inventum*, centum, ſi Diis placet, boum mactatione dignum! Verum prudentiores Weſtphali, ut ut magni œnophili, albo dente riſerunt ſtolidos viri conceptus & plantationem ejuſmodi vineæ, cui nec natale ſolum, nec inquilinum γ Cœlum faveret, ſeu nugatoris inſanam ſapientiam merito exploſerunt.

Habes apologum, accipe apodoſin, ſiquis in Weſtphalia, in qua, ut Italus olim ad pacis Monaſterienſis negotium ablegatus Orator ſcribere non eſt veritus:

Sunt homines Stupidi bardique ferique.

Bibliothecam publicam ceu ſcientiarum in ſpe futurum ſeminarium erigere præſumeret, dubi-

tare licet, an meliori ſucceſſus ſorte ſit beandus, crediderim plures futuros ejuſmodi vineæ cultores jam in conceptu vina naſcitura prægustantes, quàm Bibliothecæ publicæ acquirendi amore frequentatores. Etenim & hìc *ſubeſt natura ſolo.*

Videri equidem poſſet is magnam à Patria gratiam imò coronam civicam meriturus, qui incolarum corrigere poſſet ruditatem, majorem in Philomuſis excitare ſtudendi orexin, & ad ignorantes Librorum beneficio illuſtres propagare ſcientias, verùm, qui naturam, ſtatum, & conditionem Bibliothecarum publicarum penetras exactiùs, quàm inanes iſti conceptus ſint, non obſcure intelligis.

Bibliothecæ publicæ plus habent vanæ oſtentationis quàm ſolidæ, ſive pro bono publico ſive privato utilitatis. Bibliothecæ ejuſmodi quia publicæ ſunt, nullius ſunt, & dum omnium uſui deſtinantur, pauciſſimis, imò vix ulli ſunt proficuæ, viſui potius quàm uſui, curioſitati ſaltem potiſſimum inſervientes. Scientibus forte aliquando proſint, diſcentibus profecto parum. Illi inde ad memoriam neceſſitate exigente (qualem nonnunquam inter diſputatores eruditos enatam novi) repetere poſſunt, olim in Authore, qui amplius vel in poſſeſſione vel ad manus non eſt, alicubi lectam ſententiam. Hi ſi inde Doctrinæ favos meditentur, fruſtraneum experientur mellificium alveare inane.

Ad Bibliothecas publicas certis ſaltem in ſeptimana diebus & paucioribus horis patet acceſſus. Qui Librorum helluo eſt, & volumina devorare magis quàm legere amat, quid illum juverit Au-

toris

toris alicujus diffuſum opus horula una alteráve perfunctorie inſpexiſſe? ille ſanè præter ſuperficiariam Autoris, aut ſaltem ex indice contentorum notitiam, & ſuſcitatam majorem orexin nil ſecum Domum reportabit, cum voluminis majoris perlectio non paucas horas, ſed forte ſeptimanas, imo menſes deſideret. Pro exemplo ſint Decumana illa *Kircheri* volumina, non minoris numeri *Aldrovandi* ſtupenda opera, *Jonſtoni*, *Gesneri*, *Ferrandi Imperati* aliorumque immenſæ molis tractatus chymici, Anatomici, Botanici, quibus perlegendis vita hominis vix ſufficiat. Quid rerum naturalium ſcrutator ex horum horaria vel diaria inſpectione commodi haurire valeat, facile eſt hariolari. Idem judicium eſto de vaſtiſſimis operibus, hiſtorias Univerſales & particulares, Jus publicum, Canonicum, Theologiæ varias ſpecies pertractantibus, quæ ſi in Bibliothecis publicis legere intenderis, næ cani hauſtum aquæ ex Nilo tranſeunter haurienti eris ſimilis.

Nemo in Bibliothecis publicis libris impalleſcit, in iis namque neque profundis ruminationibus, neque elucubrationibus ſolidis locus aut mora datur. Aurora muſis eſt amica, nec minus noctis intempeſtæ ſilentium doctis pervigiliis, atque operibus, quæ oleum & lucernam redolere debent. At tum clauſa eſt Bibliothecæ publicæ janua: non patet ad Autores deſideratos, quos conſulas, acceſſus. Falleris, ſi magna illa Reipubl. Literariæ Lumina *Lipſios*, *Grotios*, *Gronovios*, *Voſſios*, *Pitiſcos* alioſque in omni gente innumeros ex Bibliothecis publicis

ſcientiarum encyclopœdiam hauſiſſe tibi perſuaſeris.

Fruſtranea igitur ſpes eſt ſecuturæ in Weſtphalia ex Bibliotheca publica ingeniorum culturæ perveſtigationis naturæ Doctrinæ uberioris mercatûs.

Miſeret me Philomuſi, cui deficiente Domi neceſſariâ librorum ſupellectile publicæ Bibliothecæ adeundæ ſunt, cum quod ex proprio penu non habet, vix ex alieno ſit capturus. Habuit Capituli Cathedralis Hildesheimenſis hodie famigeratiſſima bibliotheca me olim in adoleſcentia abſolutis philoſophicis ſtudiis, ſi quem alium, ſedulum viſitatorem, ſed en illâ ſi me dicerem exiiſſe doctiorem, veritati facerem injuriam, unde plerumque locum Bibliothecæ vacuum, & rarius unum alterumve in tanta ſtudioſorum & bonorum in iſta Urbe ingeniorum affluentia in eadem offendere licuit. An vero Weſtphali Noſtrates, quos magis LIBER, illud antiquorum numen, quàm *liber* delectat, in frequentanda ejuſmodi Bibliotheca futuri ſint diligentiores, non dixero. Refert Seneca Epiſtola 7. quendam (ambigitur de Autore) cum quæreretur ab alio, quo tanta diligentia artes ſpectarent ad pauciſſimos perventuræ, bene reſpondiſſe, *ſatis ſunt*, inquit, *mihi pauci*, *ſatis eſt unus*, *ſatis eſt nullus*. Si eadem tibi mens ſit circa Bibliothecæ tuæ futuros aliquando frequentatores, non eſt, quod amplius tecum diſputem.

Sed dic, ſodes, quosnam deſideras? an officiis Curiæ, Reip. negotiis, Principis & aulæ ſervitiis diſtentos? Certe his tantum otii non ſupereſt, ut ſtudiis Domi nedum alibi id fallant.

An

An cauſarum Patronos, advocatos, Juris Profeſſores? ſed hic lucelli nihil. Non ova, non vituli, non lepores, aut perdices ex Bibliotheca publica ad illorum culinas provolant. Oderunt ſtudia & labores, qui ſine queſtu ſunt. An Medicos? his per Urbem curſitantibus ſat laboris, & a curis clinicis parum temporis reſiduum eſt. Hanc non viſitabunt, niſi ex ſingulis viſitationibus, ex quibus vivere debent, ſoſtrum adjeceris. Fortaſſis Clericorum in illa exſpectas quotidianas congregationes? at abſolutis in choro divinis officiis, quo ament properare, me melius noſti. Guttur cantu raucum aliam poſcit refocillationem. ſolis igitur ſcholarum alumnis, iiſque vel tyronibus vel ſtudia humaniora aut philoſophica colentibus illam aperies? ſed quis ad illos erit uſus, quæ utilitas ex tot librorum in omni facultate chiliadibus? in vanum, qui ex ore Profeſſorum adhuc dependent, nec ſine cortice natare norunt, vaſtiſſimum iſtiuſmodi librorum pelagus ſubeunt, quibus potius lex ſcripta eſt, ut multum non multa legant. An autem operæ pretio dignum in horum gratiam tam enormes facere expenſas. Crede, Amice, in Bibliothecis publicis multa habitat ſolitudo, mortuorum ibi magna eſt ſocietas, Vivorum parcior accurſus, ſi in Urbe Minigardica Mimus quidam theatrum aſcendat, majorem habebit Studioſorum affluxum, quam vel ipſa ſi in Bibliotheca publica ibidem reſideret Pallas.

Spectemus ulterius Bibliothecæ publicæ utilitatem. Hanc aptè comparaveris Principum & Magnatum hortis. Ad hos cuilibet curioſo, mo-

Digitized by Google

modò ingenuæ indolis ſit, facilis permittitur ingreſſus. Hic amœniſſimorum florum grata frui licet anathymiaſi, hic oculos delectare fructuum exoticorum rara elegantia, & Pomonæ ubertate: Nil tamen licet ex omnibus decerpere, nil ſecum extra hortum deportare. Viſui publico iſta, non uſui ſerviunt, ſat eſt vidiſſe. Ita in Bibliothecis publicis abunde librorum amatorem recreant tot mille Voluminum ordinatæ ſeries, delectat hic illeve nuper in lucem emiſſus liber nondum antea viſus, quem inſpicere tractandi ordinem, contentorum farraginem ex indicibus volanti oculo obſervare permiſſum eſt, cui ſuppetit pecunia, eundem ad uſus ſuos privatos ex Bibliothecis ſibi facile comparaverit, cui deficit, ille præter ſuperficiariam Autoris notitiam & deſiderium nil ſecum auferet, an vero prudentiæ hac de cauſa tot nummos conſtruendæ Bibliothecæ publicæ impendere?

Ingredere Principum gazophylacia aut raritheca, hic licet pretioſiſſima hactenus non viſa Cimmelia oculis uſurpare, in hujus illiusve gemmæ pervenire notitiam varias in iis naturæ & artis annotare metamorphoſes, verum ſi ingreſſus fueris, *Irus*, *Crœſus* non exibis, ſatis eſt vidiſſe. Eadem natura: Idem genius eſt Bibliothecarum publicarum, in quibus magnus apparatus, magna ſpecies, pompa, oſtentatio: Verùm utilitatis publicæ nedum privatæ paucillum. Gratulor ſaltem Bibliothecario, ſi Librorum helluo ſit, de Literariæ pergræcationis libertate, è cujus confabulatione, ſi *Naudæos*, *Magliabecchios*, *Lambecios* offenderis informationis ac

Doctri-

Doctrinæ plus hauries, quam ex univerſæ Bibliothecæ perluſtratione.

Hactenus allata de Bibliotheca ſtabili & fixa, ex qua nemini liber domum conferendus conceditur *& qualem tuam abſolute vis eſſe*; intelligenda veniunt.

Secus enim ſe res habet, cum vaga, ex qua bonarum Literarum amatoribus data ad libri valorem hypotheca, niſi authoritas pro ipſo reſpondeat pro pretio certis diebus commenſurato Volumina ad Muſeum domeſticum deportari conceditur. Ex quo quanta ad ſcientiarum candidatos de libris non proviſos reſultet utilitas, quis non videt? taceo, quod id præterea admodum ſit Lucriferum, cum ex nummis à mutuatione comparatis nova ſemper peti poſſint Bibliothecæ augmenta, quale emolumentum ex Libris conſtanter uni loco affixis exſpectari non poteſt.

Do ſimile. Quid laudabilius utiliuſque eſſe poteſt in munitis Urbibus armamentario publico ex quo neceſſitatis tempore militibus civibuſque miniſtrentur arma, gladii, ſclopeta, glandes & pulvis pyrius ad defendenda urbis mœnia arcendumque hoſtem? Si vero hæc in armamentario perpetim ſitui ac rubigini relinquantur, quid in publicum commodi exhibebunt? Si nullus horum extra armamentarium ſit uſus, etiam nulla erit utilitas.

Conceſſerim Inſcitiam, ignorantiam, ſtupiditatem grandes eſſe Rerumpub. hoſtes. Deſideras hos fugare ab urbe Mimigardica: conſtruere ergo intendis armamentarium Literarium omni

Librorum genere inſtructiſſimum, ſed eum illos nullius privato uſui vis concedere, næ in Palladio levis armaturæ conſtitues milites. Umbraticæ ſaltem velitationes ſunt Literariorum pugilum, quæ intra Bibliothecarum publicarum carceres fiunt. Non hæ fugabunt ignorantiam, nec quenquam aptum reddent ad grandes expeditiones Literarias. Et hoc de natura & conditione Bibliothecarum publicarum.

Pergo nunc ad alios fructus & emolumenta, quæ exſpectas. Putas publicum librorum apparatum & Cathedræ Epiſcopalis & Paulinæ Baſilicæ dignitatem non minus, quam ampliſſimi Magiſtratus clariſſimorumque officialium ſplendorem maxime dudum exegiſſe. Mirum ſane, ſi vera narras, neminem inter Viros Mimigardiæ prudentiores tam ſagacem fuiſſe, ut ſuggeſſerit huic dignitati ac ſplendori ad augmentum ceu maxime conveniens, dicandam fuiſſe rariſſimam illam *Mallincrotii* Bibliothecam, tam exili tamen reſpective pretio ante biennium in orbem diſtractam, cujus vires an alia aliquando ſuppletura ſit valde dubito. Non obſcure inde colligitur, quotus ſit inter Weſtphaliæ magnates Bibliothecarum amator, cum tantus theſaurus illorum nemini tantillo pretio arriſerit. *Tullio* olim mens fuit, ut præ copia librorum, ut de ſe ipſo refert, omnes *Craſſi* divitias contempſerit. *Alphonſus* Rex pretioſarum rerum omnium potius, quam librorum facere jacturam maluit. *Non credo* Weſtphalorum ulli hunc eſſe genium, cœteroquin tantæ raritatis Bibliothecam patriæ eripi non permiſiſſent.

Sed

Digitized by Google

Sed redeo in viam, non memini in Politicorum ullo me legiſſe, vel ad Infulas Epiſcopales, vel rerumpub. Clavum Miniſtrorumque & officialium togas decoris aut ſplendoris quidpiam ex Bibliotheca publica accedere, qui enim de rebus publicis erigendis vel ſtabiliendis diſſeruerunt, nullibi de ſubſtituendo tali librorum fundamento, aut ſaltem adjiciendo fulcro mentionem fecerunt, aut Principes, Epiſcopos, Magiſtratus, de illius ad ſplendorem & decorem exigentia vel verbulo monuerunt. „ Librorum „ copia ùt poſſeſſorem privatum non doctiorem, „ non probiorem, non ditiorem facit, ſic nec „ reipubl. doctrinæ aut opum aut potentiæ „ quicquam tribuit. Bibliomania potius plures „ ad inſaniam redegit, & plures ubi docti „ evaſerunt, boni eſſe deſierunt. Utinam tot „ librorum millibus, non niſi adverſaria, col- „ lectanea, excerpta & millies recantata conti- „ nentibus, quibus ſuffarciuntur Bibliothecæ, „ Reſpub. careret, non neceſſum foret tantum „ pecuniæ extra patriam ad lucripetas Bibliopo- „ las (quos *animal ſourbiſſimum & avariſſimum* „ ſcite appellare ſolitus eſt Patinus) inutili plane „ impenſa mittere. Omne quod in qualibet facultate lucem vidit promiſcue in Bibliothecas congerere dementia eſt. Selectus librorum ſolidâ ſcientiâ, & quod caput eſt ſapientiâ refertorum omni Bibliothecariæ farragini longe eſt anteponendus. Aſſerere id poſſum de Libris medicis medicus, quin & in aliis facultatibus eædem locum habeant querelæ, non eſt dubitandum, utpote jam & ab aliis fuſæ.

Re-

Reponit hic nonnemo, Bibliothecam publicam fundantis intentionem ad Dei gloriam directam eſſe. Sed reſpondere quis poſſet cum Judæis ad quid iſta perditio! nunquid ſatius illam divendere, & nummos diſtribuere pauperibus? Noluit Carolus M. bibliothecam ſuam rariſſimis conſtantem manuſcriptis (prœlum namque nondum inventum erat) aut ſuæ aut divinæ gloriæ cauſa ad poſteros transmittere, ſed laudabili & merito *imitabili* exemplo publice divendi, ut pretium inter pauperes divideretur. Poſtremis his annis tot præclarorum Virorum, etiam Cardinalium & Archiepiſcoporum conſummatæ Bibliothecæ in Gallia & Batavia ſubhaſtatione publica diſtractæ ſunt, ex quorum divenditorum ſingulis florenis aliquot chalci in pauperes redundant. Næ illorum plurimi ſi noviſſent aut divinam gloriam inde propagandam aut Reip. Batavæ incolumitatem ſplendorem & felicitatem fore ſtabiliendam, illas neutiquam diſcerptas publico devoviſſent, imo Reſpublica ipſa eas quantocunque etiam pretio ſibi vendicaſſet, quod ſi quis hodie conſuleret, ad anticyras profecto ablegaretur. Innumeræ & viciniores & magis directæ ad Dei gloriam promovendam viæ ſunt, ut illam ex Bibliotheca publica peteres, quæ certe ubique quærenda eſt de loginquo ſit. Tu forte ita proponis, ſed *incertæ adinventiones noſtræ & providentiæ, Deus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.*

Repeto igitur ad quid Bibliothecæ? ad quid inquam conſociata tanta librorum farrago? ut famem ſitimque pellas, ſat erunt pauca, ut

vere

vere ſapiens evadas, pauci crede ſcriptores & forte quam credis pauciores ſuffecerint, ut vero literaliter adeoque pedantice doctus, ne iſta quidem omnis effecerit. Conſtrue Bibliothecam publicam, ex qua quoties quis egreditur, exeat potius ſapientior (*hoc opus, hic labor eſt*) quam doctior, in quo magna ſæpe imaginatio, major vanitas, maxima ſtoliditas. id agamus, Amice, ut nos paulatim ſenes indies ſapientiores, non doctiores evadamus.

Verùm ſingularis reſtat utilitas quam à fundatione Bibliothecæ publicæ exſpectas, nempe ab ejus à te conſtituendis executoribus, nec non viris pluribus Hiſtoriæ patriæ conſecraneis, ceu totidem parentibus, Manuſcripta tua ultimam manum needum paſſa nec typis edita, ceu Pupillos fideliter vis curari, hominemque undequaque Literatum ac Polyhiſtorem perquiri, qui limam operibus tuis adhibeat, Amanuenſium errores corrigat, lacunas ſuppleat, idque præcipue agat, ne non exaſciata in lucem protrudantur.

Ament me Muſæ! egregia ſpeculatio autorum hactenus quorum fragmenta ad poſteritatem transmiſſa ſunt nemini iſta fortuna obtigit, ideo neque tibi exſpectanda, imo ne optanda quidem. Edic, quis ille in Weſtphalia foret Polyhiſtor, quis vir undiquaque Literatus & hiſtoriæ patriæ conſecraneus, qui ſine inſigni redhoſtimento illam ipſe operam accurationis, correctionis, limitationis, editionis ſuſciperet. Nemo ſane ſutor ſartorque gratis iſtas lacunas ſupplebit, & lacinias adſuet, nullus artifex Limam operi, ex quo ramenti utilis, nil decidit, adhibebit, &

pro

pro quæ librorum ſpecies hactenus non viſa fo-rent opera iſta poſthuma *ſemi Nunningiana*, quæ variis laciniis fragmentis atque centonibus certo male induta ac interpolata Mendicabuli inſtar in publicum prodirent? à quibus utut exaſciatis, nec honor tibi foret exſpectandus, cum non illi, qui lapides, calcem, & arenam ſuppeditat, ſed qui domum erigit, ædificationis gloria debeatur, ſi mea res ageretur, Manuſcripta manca & muti-la, & quæcunque adverſaria & collectanea (ne collector, compilatorque poſteris audirem) vul-cani mallem ferulam, quàm ejuſmodi limam aut etiam Eoli ungues experiri, ita Viri prudentes, ne poſt fata, id fati paterentur, Manuſcriptis ſuis feſtivos ignes Muſis accenderunt. Mercurius Helmontius, Joannis Baptiſtæ filius, paterno-rum Manuſcriptorum hæres morti proximus & hæc & ſua flammis conſecravit, ut vir fide dig-nus, qui hominem à facie novit, imo in arce quadam ni fallor Batava, in qua defunctus, præſens adfuit, aliquando mihi ſancte aſſe-veravit.

Vides igitur, quàm pia illa ſint deſideria, quæ ne in vita quidem quantacunque etiam pe-cuniæ ſumma (nam quotus in Weſtphalia eſt Polyhiſtor, quotus antiquitatis patriæ conſecta-neus, quotus quod exigis undiquaque Literatus?) ne dum poſt fata ut impleantur omni cura effi-cies. Si fundationem inſtitueres anniverſarii Con-vivii ſympoſiique, cui aſſideant Mimigardiæ ſe-natus & Officiales, qui in tui memoriam vini optimi *Cyathos exhauriant*, facile voto potieris, & crateres aureos, argenteoſque hunc in finem de-

deſtinandos tibi ſatis fideliter commendatos habebunt. Si vero illis tua autographa Cartularia Manuſcripta & adverſaria, ad inſpiciendum, ruminandum, corrigendum, ſupplendum, edendum commendaveris, moriar, niſi nugatorem dixerint.

Sed ſupereſt magnum illud famæ ad poſteros ſic propagandæ emolumentum. Verùm quam futilis eſt gloria his fundatione Bibliothecæ publicæ indicare, in vita poſſediſſe tot & tam inſignes Libros, cùm hæc ſors etiam obtingere poſſit divitibus ſemiliteratis, imò, fatuis quales & ipſe novi multorum grandiumque Voluminum collectores, quibus voluptas erat illa poſſidere & aliis oſtentare, alias nec ſibi nec hæredibus, uſui futura. Stolida *Bibliomania*! Quid eſt poſteris colligere libros, quorum tu noſcis neminem, nec nemo unquam te novit aut noſciturus eſt. Quid ergo eſt nummos impendere rei tam parum proficuæ tam in Republ. ſupervacuæ? Quid proderit memoria fundatoris, qui poſteris perinde erit, an fuerit *albus*, *an ater*, Cajus an Sempronius? mille quotidie utimur inventis, mille artificiis, nunquam ſuper eorum authore facta reflexione, neque quis fuerit indagine, ita poſt ſeculnm ô breve gloriæ poſthumæ deſtinatum tempus! Bibliothecæ ſuæ publicæ Fundatorem, aut neſciet, aut ſilebit, aut diſſimnlabit Mimigardia, aliis, qui illi ſupplementa dabunt, viciſſim in lucem atque conſpectum laudemque publicam emergentibus. Exempla probant veritatem. Sic rivi ac fluenta, ubi majora flumina ingreſſa fuerint, nomen amittunt, neque in Rheno

no primus ortus, ſed in amplitudinem progreſſus æſtimatur. *Obſcuratur* & obliteratur fundatoris nomen, ſi grandior libraria ſuppellex à Munificentiori quopiam, inprimis Principe, aut Patriæ Magnate adjiciatur. Scripsère **Gesnerus, Lippenius, Jöcherus,** aliique Bibliothecas Univerſales, quâ operâ poſteros ſibi magis devinxerunt pluſqûe laudis immortalis obtinuerunt, quàm ſi totidem eoſdemque plane libros ſumptuoſe collectos non univerſo Orbi, ſed uni ſaltem Urbi dedicâſſent. Editæ iſtæ Bibliothecæ omni ævo ſunt perenniores, nec enim Vulcani furor iſtarum exemplaria ſimul omnia, ut forte hanc illamve Bibliothecam conſumere vel Bellonæ iniquitas diſtrahere atque diſpergere poteſt; exemplo Vaticanæ olim, & Haffnienſis nuper, ut fama tulit, flammis conſumptæ, Budenſis, ut alias innumeras taceam, martis impetu diſtractæ deſtructæque. Librorum ac Manuſcriptorum buſtum à furore Anabaptiſtico Monaſterii excitatum, notius eſt, quam ut opus ſit recentibus threnis proſequi. Ita & fata ipſis Bibliothecis creſcendi poſuere modum, cum quarum excidio fundatoris quoque nomen intercidit. Ut verum ſit in re tam facile pereunte nominis aucupari æternitatem, vide amice ne iſta, quibus noſtri memoriam aut admirationem parare volumus, aliis ridicula & odioſa ſint, aut ſaltem in ambitionem detorqueantur.

Examinabimus nunc *Leges*, quas à Bibliothecæ publicæ frequentatoribus ſervandas exigis, quæ forte nonnihil præcidendæ aut modificandæ erunt.

Lex

Lex prima eſt, *ſingulis diebus Ferialibus, ſex horis, tribus ante meridiem totidemque poſt illam, Dominicis vero Feſtiviſque diebus binis tantùm pomeridianis publicus ad Bibliothecam hanc detur acceſſus &c.*

Neceſſe igitur eſt, imó primum neceſſarium conſtitui Bibliothecarium, cui, cum maxima vitæ pars juxta hanc legem inter Bibliothecæ ergaſterium ex profeſſo tranſigenda ſit, merito ſufficiens ſalarium ſuſtentationi congruum ex depoſita ſat Larga pecuniæ ſumma in perpetuum fundandum eſt; nemo enim aris, nedum Muſis gratis inſervit aut inſervire poteſt.

Quamvis & adhuc ſatis negotii faceſſet, ſemper virum habilem & ſcientificum oneroſo huic muneri parem, nec minus ſedulum & indefeſſum & cujusvis ſervitio promptum, quem juncta eruditioni humanitas commendet inter Weſtphalos reperire. Non enim ſufficit Bibliothecario ſola auctorum nomina, ſolos voluminum Titulos dignoſcere, chartarum munditiem, compactionis tenacitatem, & membranarum vetuſtatem in medium proferre, & deprædicare Bibliothecam viſitantibus, ſed neceſſe eſt cerebro inſculpta ſingulorum contenta geſtare, & diſpoſitiones & ſcopum authorum poſſe oſtendere, & ſi quid in illis obſcurius petentibus elucidare. Sed quotus ille in Weſtphalia, qui vel habeat, vel habere geſtet, aut allaboret talem Librorum notitiam, ex qua diſſerendi promptitudine ſcientiarum candidatos veluti Profeſſor informare valeat. Crede mihi, ſi illâ polleat qualitate propter ejus eloquentem & vivam vocem magis &

major erit ſtudioſorum frequentia, quam ob omnes iſtos mutos Doctores, quorum præſentia & contubernium nullam eruditionis auram vel leviſſimam afflabunt. At nunquid diebus Dominicis atque feſtivis Bibliothecæ januam penitus clauſam manere fuerit decentius?

Lex Secunda. *Nulli permiſſum eſto librum è Bibliotheca ſecum ſumere domumve, aut quoque alibi extra eam de aut transferre.*

Generalis & omnibus Bibliothecis ſcripta lex eſt; *Abſint rapaces manus.* Quid autem de ſtabili illa librorum ad ſuos locutos damnatione, extra quos nec illis cum Bibliothecarii conſenſu foras exire liceat, ſentiam, jam ſupra ſuſius diſſerui.

Lex tertia. *Luſtrantes ſive Curioſitatis ſive ſtudiorum cauſa hanc Bibliothecam cujuſcunque ſtatûs aut conditionis fuerint, quo & ipſimet bene precando fructum ſpiritualem ſibi acquirant, nec minus procurent eum fundatori defuncto, flexis in limine ad imaginem Crucifixi genibus ore & corde dicant:* Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in ſ. p. amen, *quam precatiunculam a recedentibus ex Bibliotheca pari ad priorem imaginem pietate & genuflexione exſolvendam ſedulo commendamus.*

Laudo intentionem, non tantum doctos vis Weſtphalos, ſed & beneficii non immemores & Sanctos, ſed habesne iſtius præliminariæ devotionis in alia mundi Bibliotheca exemplum? oratio iſta nimium phariſaicæ oſtentationis haberet, & in pluribus riſum magis quam pietatem procuraret

ret. Librorum in Bibliotheca Hildeſienſi extantium primæ paginæ, quæ frontiſpicio adverſa eſt, paſſim iſta formula, *Et Fidelium animæ* &c. inſcripta eſt, ut non raro etiam à nolentibus volentibus, qui, quæ hæc epigraphe ſit, curioſius revident, tacite legatur, quod ſtratagema laude ſua non caret, nec forte etiam apud plures bonæ intentionis fructu. exterior vero illa quaſi affectata devotio, vix factum habebit, niſi oſtiarium conſtituas, qui intrantes de hac lege ſeriò moneat, qui tamen apud majoris abollæ viros parum gratiæ eſſet reperturus.

Lex quarta: *confabulationes & futilia colloquia eliminentor.*

Lege hac ut & ſexta in conclavi Bibliothecario, ipſam vis habitare Angeronam, inſtantes poſtulas Harpocraticos, & Præſidem Pythagoram.

Qui Bibliothecas publicas unquam frequentavit, novit hanc ſtricte obſervari non poſſe, cum non raro Virorum doctorum & in dignitate conſtitutorum, quos eo ducit curioſitas, ibi ſi forte obviantium gratis & eruditis confabulationibus, & de hoc illove neoterico ſcriptore cenſuris (taceo Novellarum Relationes) quàm moroſorum taciturnitati inſervire comperiantur. Neque Vero Bibliothecæ publicæ tali occaſione altum adeo depoſces ſilentium, cum non infrequenter docte litigantium fiant palæſtræ.

Leges 5. 6. 7. & 8. aſteriſcis non admodum indigas Prætereo. Proponens Nonam, quæ ſingularem Bibliothecæ munditiem poſtulat, & jure; niſi enim nitor & elegantia libros ſingu-

los recommendet, curioſorum oculis vix ſatisfaciunt. Noſti quam delicata Gallorum & Batavorum in iis ſit exactitudo. Invenias inter illos qui librum ſorditie infectum, ne tangere quidem ſuſtineant. Dolui proin non ſemel in tua Bibliotheca plurium librorum, tum ex hypocauſti fumis ictero Laborantium, tum ex quotidiano uſu Elephantiaſi infectorum ſortem danda igitur erit opera, ut libris jam a te inſigni numero pretioque congeſtis quam de novo impoſterum acquirendis ſervetur nitiditas, ne poſteritas fundatorem dicat fuiſſe WESTPHALUM, id eſt, ut Hollandi interpretantur ſordidum. Liber ſelectus non illotis manibus eſt tractandus.

Lege 10mâ ordinas quot annis per DD. Executores tuos Bibliothecam viſitandam & abuſus & defectus, ſi qui irrepſerint ſtrictim emendandos. Verùm Executorum qui id gratis exequatur, quis erit? Nunquid Bibale more Teutonum pro iſto onere illis debebitur? Ut libros excutiendo forte hauſtos pulveres è faucibus eliminent, nunquid vino generoſo erunt eluendæ? Qui officinas Pharmaceuticas quot annis viſitant, lauto convivio & liquore Bacchico poſt operam navatam ſplendide excipiuntur, quid ni illi, qui Bibliothecas?

Sed nimium ſeverus es lege quinta, qui ſobrios, non merum olentes ſcribis eſſe Muſis amicos, in quo Executorum iſtorum nemo tibi facile fidem habebit. Si in ipſo Bibliothecæ loco hanc refocillationem illis non permittendam ſanceris, ſaltem ad præcipuum quoddam œnopolium illos

fas

fas erit ablegare, more pervetuſto Weſtphalorum, qui peracta opera *vino coronant*, ubi porro Fundatoris memoriam magnis cyathis recolere non intermittent, modo generoſum, & liberalem ſympoſii Vinalis Fundatorem te præſtiteris, quod utique inter requiſita Fundationis Bibliothecæ publicæ non erit omittendum.

Diſpiciamus igitur nunc cætera requiſita ad Bibliothecæ publ. a te intentæ fundationem penitus neceſſaria. Plus enim ad illam requiritur, quam librorum congeries. Nam neceſſe eſt illam præcedant aliæ Fundationes, quæ Bibliothecæ firmum ſolidumque ponant fundamentum.

Non in aere, non in foro publico, nedum in Curia aut Eccleſia Cathedrali ſtabiliri poteſt congeſta Librorum ſuppellex.

Fundator itaque primum ſollicitus eſto de comparando tuis mediis loco congruo (nam locus debet præcedere locatum) quæ certe apta debet eſſe domus ſolide exſtructa, ſi ad ſecula perennare debeat, diverſis conclavibus neceſſariis inſtructa, loco urbis commodo à populi tumultu & artificum ſtrepitu remoto, cujus erectio & ſartæ tectæ ſervatio, quantam capacitatis ſummam requirat, ipſe ſupputa. Fruſtra talem ex ære publico exſpectaveris, niſi ex paratis Univerſitati erigendæ nummis ſumptus iſti deputentur.

Inſignis tibi quidem fateor, Librorum eſt ſupellex, & ut opinor, ad omne ſcientiarum genus atque apparatum, cujus penuriæ hactenus Civitatem Monaſterienſem laboraſſe ſcribis, inſtructa. Si alias *Gallorum*, *Batavorum* ſecundùm omnes facultates in ordinem digeſtas hiſce annis

divenditas Bibliothecas in ſuis Catalogis excuſſeris, conſpicies, quam immane deficiat; optime igitur

Lege octavâ ſtatuis, ut ſingulis anni quadrantibus novi ac recens acquiſiti libri inſerantur. Sed amabo ex cujus peculio. Fundanda igitur rurſus erit capitalis ſumma, ex cujus cenſu annuo quolibet trimeſtrio Notabilis fiat, ex libris novis rarioribus ad Bibliothecam acceſſio. Sic ſpes eſt, quæ nunc dubia, inter aliquot luſtra fore Giganthæam. Et certe hac fundatione plane opus, neque enim tam libri quondam Capitulo Cathedrali Hildesheimenſi à certo Parocho Legati, quam ſumma pecuniæ pro annuo augmento Bibliothecæ nunc tam ſpectabili fundamentum poſuit.

Quibus ita prævie diſpoſitis tandem ſuo tempore publicâ Bibliothecâ tuâ Urbs Monaſterienſis gaudere poterit. Sed adhuc ſine cuſtode, ſine pulverum diſſipatore, ſine *blatticida*, ſine arachni-fugo, verbo ſine Bibliothecario. Huic igitur quoque præmittenda erit, ut jam ſupra inſinuavi, condigni ſalarii fundatio, quo ille non Librorum duntaxat, ſed omnium, qui ſtudii cauſa ingrediuntur, famulus ex merito annuatim remuneretur.

His demum adde, quod iſtis lege decima conſtitutis annuis Viſitatoribus, quod Polyhiſtori ſcriptorum tuorum deſiderato, ſuppletori, Limatori, exaſciatori, quod demum ſi aliquando prælo ſubmittenda ſint, typothetiæ pro navanda opera, & labore & charta &c. jure debetur, & quantæ molis ſit publicam condere Bibliothecam,

cum

cum ſtupore ſummæ pecuniariæ emergentis intelliges, in qua prævie fundanda niſi te munificum præſtes Muſarum mœcenatem, certo certius ingentibns excides auſis, Exſpectare namque, ut id ex ærario publico ſuppleatur, eſt ſperare tempus, *quo Gryphes jungantur equis.* Plures & majoris longe momenti, quam Bibliotheca publica, in patria Monaſterienſi reſtant, cum laude faciendæ fundationes, quæ tamen ob pecuniæ & patronorum defectum negliguntur, multo minus illa conſtituendæ Bibliothecæ publicæ, quæ hactenus ingenti licet damno caruit, vectigal præbebit.

Ex his omnibus credo Amice cariſſime, ſufficienter intelligis, difficulter vineam in ſterili ſolo plantari; fruſtra in Mimigardia Bibliothecam. Habeat hæc ſibi res ſuas, ſi Bibliothecæ publicæ inſtitutionem, quod ex verbis tuis repeto, Cathedræ Epiſcopalis, ac Paulinæ Eccleſiæ dignitas, & ampliſſimi Magiſtratus clariſſimornmqne officialium ſplendor maxime exigat, erigant illam ſuo ære. Servi tu, Capituli ac ſcholaſteriæ Vredenſis, cujus Canonicus & Scholaſticus es, augendo ſplendori, cui ſi Bibliothecam deſtines, facile voto potiêre. Neque enim fundatione Domûs (præbendalis enim hunc in finem à te minoribus impenſis facile aptanda) neque Bibliothecario, qui perpetuus erit ſnceeſſor, neque viſitatoribus, quorum munere lubenter Domini Canonici Capitulares fungentur, neque magno & annuo Librorum augmento (nam quos in vita

ſat magno numero comparaveris, curioſitati, & ſtudio illorum privato ſufficient) indigebis. Magnificentius quoque erit Vredenam & S. Felicitatis Capitulum, & *ſcholaſteriam* perpetim gloriari benefactore ſuo Nunningio, cujus memoria æternum quoque ſic perſeverabit, quam Mimigardiam, quæ tam Patriæ, quam ex variis territoriis extraneæ Nobilitatis flore hodie ſuperbit, eaque circumfluit opum abundantia, atque potentia.

Hic Litteræ meæ deſiderantur, quarum hoc extitiſſe argumentum recordor, quo Canonicis Vredenſibus antiquum monumentum è Baſilica collegii eliminantibus aures vellerem, addito verſu Leonico;

„ Quod dederat templo monumentum candor avorum,
„ Poſteritas rapuit, ceu male rata decorum.
„ Indocti mores gaudent hos perdere flores.
„ Pro vivis ores, qui mactant calce ſorores.
„ Virtuti ſtuduiſſe putat qui talia mutat.
„ Vah! tulit hic punctum, celebra nunc munere functum.
„ In cujus ſignum jambis depingito dignum,
„ Forte perennabit, tantum hoc depictus amabit &c.

Viro

Viro Amiciſſimo
Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino
Nunningio S. P. D. Cohauſen &c.

Te jam in tertium menſem cum quartana conflictari audio illubens. *Male furiarum hæc quarta convenit cum Muſis. pinguem quidem tollit aqualiculum, ſed proin ſubtiles non generat ſpiritus.* Cave cum contra illam, ne belli quidem mediteris apparatum, ne tandem victus ſuccumbas, periculoſe ſolitariis naturæ viribus iſta lucta committitur.

Gaudebo aliquando de argumentorum meorum felici, quam minaris, everſione, ſcribis *omnis ætatis monumenta* tibi aſtipulari. *Doleo in iis hactenus me tam hoſpitem aut potius cæcutientem fuiſſe, ut nullibi Bibliothecarum publicarum veſtigia deprehenderim.* Illas quidem hinc inde avorum noſtrorum ætate erectas eſſe facile alicubi legeris, & adhuc non uno loco extare nemo quidem negaverit, ſed ſi ex omni ætate ſcriptorem in medium protuleris, qui illarum tantam, quantam ſuſpicaris, utilitatem contra me demonſtraverit, *na ſolus laurea appollinea* coronaberis. Contradicit enim huic poſtulato ipſa Bibliothecæ publicæ, qua talis, ſi libros, quaſi catenatos habeat, natura, ut ſufficienter oſtendi. Deſidero ſane, *illa omnis ætatis monumenta* (de quibus valde dubito, nam ante ducentos annos nullæ extitère Bibliothecæ publicæ) te

monſtrante oculo impoſterum magis Lynceo inſpicere.

Non concludit argumentum tuum: octo ſecula (ſed qua ſcientia, quis id ſic aſſeverare auſſit?) Vredenæ in Capitulo habuere neminem, qui præclari quid ingenio ſit molitus, ergo & nemo inter poſteros futurus?

Replico octo ſecula integra non vidêre Vredenæ Scholaſticum patriæ monumenta curantem, ergo neque futura tempora talem unquam conſpicient, ſi quis ante 30 annos tale enthimema formâſſet, nunquid graviter fuiſſet hallucinatus, & nunc de errore convictus? valuiſſet tunc temporis argumentum hoc tantum, quantum nunc, quod formas, tuum. Vana itaque ſunt ex modernis moribus ad futuros auguria, imo ſi tanta ſit Bibliothecæ publicæ utilitas, quantam ſupponis, quis novit quales fructus tua, ſi publica evadat, aliquando Vredenæ ſit paritura? Aut enim ex ſuppoſito activa erit, & optime erit ſperandum, aut otioſa & ſterilis, & fruſtra de ejus inſtitutione cogitatur. Num vero monaſterii majora, quam Vredenæ editura miracula, valde dubito, *cum utrobique ſint unius nationis ſpecies, quæ tantum numero differunt*, ſed præſtolor argumenta tua, tum ad ſingula ſtrictius.

Poſt hoc in Literis threnos effundis ſuper vetuſtatis, ut appellas, monumentum (à ſimplici ſaltem pictorculo more antiquo parietibus illitum ſchema Canonicarum potius umbras & manes, quam ad vivum effigies repræſentans) in fornice templi calce obductum expunctumque illiusque jacturam verſu Leonino, vetuſtatem pariter redo-

dolente gemebundus proſequeris. Cui nonnemo vana pariter extemporanea facile reponeret:

Quam dederat templo picturam ſimplicis ævi
Inſignis ruditas, merito hanc male rata decoram
Poſteritas delet. mage docti cernere mores
Hos renuunt flores, ſic mactant calce ſorores,
At decus hunc feciſſe putat, qui talia mutat,
Quid ſpectare juvat tales in fornice vultus,
In quibus haud punctum, neque grato eſt utile junctum?
Qui abſtulit hoc ſignum, laude iſtum judico dignum.

Ita facile eſt contra verſificari.

Trillerus ille Eruditorum provocator in edendo Hippocrate ſuperſedere poſſet labore ſupervacaneo, habemus enim editiones nobiliſſimas & correctiſſimas. Præſtaret unum alterumve *Coi* tractatum Commentario practico illuſtrare, majorem ſic à Medicorum filiis gratiam meriturus.

Nunc pauca de meis. Editio *Helmontii Ecſtatici*, fini proxima, circa novi anni auſpicium libellum luci ſiſtet. Nemo niſi Dominus *Uphovius* & frater meus applauſit, qui ultimus in carmine Elenchum omnium meorum hactenus editorum proſecutus eſt, tibi aliquando in *Catalogo Virorum Doctrina illuſtrium* utilem futurum. Ratum manet Domino Comiti Manderſcheidio Blanckenheimio opuſculum dicare ſed Bibliopola ſculpendæ ejus effigiei ſumptus facere detractat. Nil igitur in illo Jconis præter emblema frontiſpiciale. Nepos meus, quod ſane mirêre, jam primarius in Univerſitate Trevirenſi cluit Praxeos Pro-

Profeſſor publicus, En, ne dubites, ſpecimen cum Domino fratre remittendum. Plura nunc non habeo, niſi votum, ut ocyus expulſo, quem circumfers, tortore domeſtico, incipias attalicè valere, & me, cui in oculis es, amare perſeveres. Vredenæ ex Muſeo ſeptima Novembris 1729.

P. S.

Jam diu geſtit animus reſcire iſta *omnis ætatis monumenta*, quibus Bibliothecarum publicarum uſum atque utilitatem te confirmaturum ſcripſiſti. de quibus tamen me admodum dubitare non eſt, quod diſſimulem, ſolidiores rationes pro tempore tuæ ſententiæ oppoſiturus. Fac igitur, ut quantam per vires licet, brevi iſta videam, inprimis valetudinem tuam cura diligenter, ut dubias extra procellas conſtitutus tempeſtive in portum ſanitatis appellas & organi optici uſum ſumme neceſſarium conſerves, atque potentia, ut ex tuis mediis neque exigat, neque neceſſarium habeat aliquod ſplendoris augmentum.

Hæc ſunt, quæ ſuper injuncto penſo commentari volui, non aliunde mutuatis, ſed ex propria pharetra deſumptis argumentis, ſi veritatis me rectæ ſemitæ, quod unice in votis eſt, inſiſtentem deprehenderis, ſequere; ſi vero paulatim ſeniorem forte, ceſpitantem, corrige, & reduc in viam ſolida horum refutatione, illud prudentiæ erit, hoc humanitatis, utrumque à te exſpecto & vitæ ſervatrici Hygiææ te commendo. Tantum.

Re-

Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino Domino Nunningio &c.

S. P. D. Cohauſen.

MIror cum tam crebro mihi ſtimulos addideris ad criſin meam ſuper conceptu tuo fundandæ Bibliothecæ publicæ evincendam, te non tantum prolixo altoque ſilentio anticriſin tuam premere, ſed quod contra amicitiæ commerciique Literarii leges maxime pugnat, illam tibi recte traditam, ne verbulo quidem hactenus intra tantum temporis intervallum notificâſſe. Ita ne tantilli ponderis æſtimas argumenta mea, ut reſponſo indigna cenſeas? dolerem ſanè illis tempus utilioribus occupationibus ſurreptum impendiſſe. Si vero eadem ita invicta comperias, ut à te expugnari poſſe diffidas, gaudeo de triumpho; alterutrum enim verum eſſe neceſſum eſt. ſi quæ igitur in contrarium exponenda habes, exſpecto: ſi nihil, acquieſco. Non enim dovictas manus, *ſed criſi meæ pertinaciter inhæreo.* donec ejus vim eliſeris. Quæ cum veritatis tecta ſit ſcuto, nulla jacula reformidat.

Age igitur, vir Clariſſime, pharetram tuam excute. Imaginare amicum tuum jam evaſiſſe tuum Antagoniſtam. *audacter eum armis oppoſitis aggredere ſto adhuc in arena forti indutus armatura.* Ipſe ad monomachiam hanc fuiſti provocator, ergo ne à gloria decidas, a palæſtra non recede.

ſe-

ſerione forte, inquies, hoc an ex joco? accipe ut lubet. Etiam ludendo dicitur veritas; non ſemper altercando amittitur. Hac docta inter nos litigatione magis exſplendeſcet, *num majoris molis ſit, quam utilitatis Bibliothecam condere publicam.* Confirmavi id ſufficienter, ſi me à ſententia revocare valeas, fac cito. *Errantem enim, cum poſſis, in rectam non revocare viam, piaculum eſt*, quo ut te non obſtringas, ocyſſime mercurium cum reſponſoriis ad me deſtina, aut ipſemet, quod non ſemel promiſiſti actutum huc advola, donec, quibus adventus quoque tuus erit gratiſſimus adhuc perbrevi tempore, in Curia Abbatiali morantur? Vale. Ex Muſeo volanti rudique calamo. 2do Novembris 1729.

Clementiſſimo Expertiſſimoque Viro Domino Cohauſeno ſuo inter Amicos Primati S. P. D.

J. H. Nunningh.

Mirum, fateor, undique pruriunt litteræ tuæ, quas intra breve tempus recepi ſolito frequentiores, meas ad Diſſertationem tuam Criticam de propoſito fundandæ à me Bibliothecæ publicæ videre anticriſes. Immo multis exquiſitiſque robuſti pectoris formulis non ceſſas me provocare ad arenam, *in qua forti armatura Te indutum ſtare*, ais, *tuaque opinioni pertinacius adhærere.* Cujus vel æque validi hæc non penetrent lacer-

lacertos, aut irritent Crabrones? animos ædepol! oſtentas magnos, & ſtadio non indignos, utinam ſimul & æque opportunos. Ego ex trimeſtri nuper quartana Muſeo Lectuloque conſtanter affixus opem abs te medicam variis nunciis ſolicito. Tu tamen & mihi & Calamo Claſſica cantas, bellumque indicis, qui tecum continuò confligam, ſed credo, amice (hoc axiomate non ceſſabo compellare Antagoniſtam) artificii hoc tui eſt, quo viribus jam prope exhauſtum, ac duplicati hoſtis inſultibus imparem me tibi inde facilius ſuccubiturum confidis. Quis enim Hercules adverſus duos? Næ cavere me jubes, ut cum nullum belli contra febrim meditor apparatum, ne tandem victus ſuccumbam. Recte præterea ſuperioribus Epiſtolis tuis mones male hanc *furiarum quartam*) (quartanam) *convenire cum Muſis nec ſubtiles generare ſpiritus*, quibus quidem rem contra te unice hic gerendam noſti, quippe ubi nullum prodeſt brachiorum robur. Itaque deſcendendum mihi tecum hodie eſt, quo à paroxiſmo liber ſum, in Muſei mei arenam (illud namque egredi prohibes) publicam ingreſſurus tuæque Diſſertationi Criticæ reſponſurus, ſimul ac ex integro convaluero.

Eorum, quæ minus concoquis, ni fallor, caput eſt, quod ſcripſerim omnis ævi Monumenta mihi adſtipulari pro erigenda fundandaque publica Bibliotheca. Quos aut utiles eſſe, aut ante duo abhinc ſecula extitiſſe plane negas. Poſt hæc non capis, neque contendenti mihi concedis Monaſterii inter ſexcentos clericali ac Religioſæ vitæ dicatos totidem aut plures Muſis li-

litaturos, quam octo inter Canonicos Vredenſes, quos Libraria mea ſupellectile potius, quam Monaſterienſes donandos perſuades. Laconicam ad utrumque hanc accipe, imbecillioris & ſi calami, reſponſionem.

Quænam, rogas, *illa mea omnis ævi monumenta* tuæ ſententiæ oppoſita? adeone ergo V. C. in ſacris profaniſque Literis hoſpes es, qui iſta ignoras? Piget ſane ex vulgi Eruditorum tabernis ſingula operoſe depromere. Non adducam tibi in exemplum ipſum veteris & novi teſtamenti codicem, ingentem Bibliothecam, nec privatam, ſed, quæ univerſum hominum genus ad currendum Mandatorum Dei viam vitamque recte componendam illuſtrat. Neque Annales Regum *Juda* atque *Iſrael*, quorum tametſi brevis in Libris Regum & Paralipomenon fit mentio.

Vereor namque, ut tibi ſatis immenſa videatur Voluminum ſarcina in his Bibliothecis, quibus hodie publicas conſtare compertum eſt. Sed quid de Salomonis Bibliotheca tibi videtur, an neque illam tum numero, tum argumenti ubertate cum horum temporum maximis cenſeas comparandam? Conſidera, quot ipſemet conſcripſerit, quot confecerit? Inſpice Regum. 3. 4. 32. 33. nec modicam aut librorum copia inopem fuiſſe tibi imaginare. Sua ipſe Salomon, ætate nullum ſcribendi libros modum eſſe quæritur Eccleſ. XII. 1. 2.

Ut Bibliothecam hanc annuo cenſu divitem, curatore inſtructam, &, verbo: undique ex genio præſentis ſeculi publicam fuiſſe demonſtrem, poſtulas. Scias, Regum nihil privatum æſtimari,

Digitized by Google

mari, quorum vel minutiſſima maxima ſunt publicique Juris. *Vero ſimillimum eſt* (de Salomonis Bibliotheca loquitur &c. Calmetus Diction. ſcript. ſacr.) *inter ſua munificentiæ monumenta Regiis ſumptibus inſtructam Bibliothecam reliquiſſe.*

Propero ad Romanorum ætatem, eâque Bibliothecas publicas conſtitiſſe facilius apertiuſque evincens. Principatu *Auguſti* tres in Urbe Bibliothecas publico uſui an neſcis inſtitutas? 1ma Apollinis *Palatini* erat. 2da *Octavia ad Theatrum Marcelli*, 3tia *Aſinii Pollionis in Aventino in Atrio Libertatis.*

Immo vero poſt Auguſti tempora Romæ Bibliothecarum publicarum numerum ad unde-viceſimum excreviſſe, interque eas Palatinam Ulpiamque præfulſiſſe non ignorant rerum Romæ geſtarum non ignari.

De Bibliothecis ad Balnea conſtitutis nihil memoro. Seneca de Tranq. vit. c. IX. *jam inter Balnearia & Thermas Bibliotheca quoque ut neceſſarium Domus ornamentum expolitur.*

Hanc certe, ceu Balnea ipſa, publicam fuiſſe non dubitabis. Erat etenim ibi conſtructa, ut qui corporibus curandis otioſi ad ea vacabant, ceterum Domi foriſque occupatiores, occaſionem vel legendi nanciſcerentur vel audiendi.

Ante *Aſinii Pollionis* publicam Bibliothecam, illas *Luculli* Romæ omnibus jam patentes memorat Plutarchus *p* 529. D. ejus in Librorum ſupellectilem impenſam multum commendans. *Erat enim*, inquit, *eorum uſus, quam comparatio liberalior, quod Bibliothecæ omnibus paterent, atque in adjectas ambulationes ſcholasque reciperen-*

tur omnes Græci, velut ad Muſarum hoſpitium divertentes.

Plane nunc ſubmiror horum monumentorum nullam ad te, virum inter veterum flaviſſas non ſemel verſantem, pertigiſſe notitiam. Enim vero ſolenni olim notàque omnibus Dedicatione præfixoque titulo teſtatum volebant, quo Bibliothecam communi utilitati comparatam publicatamque cognoſcerent, libenter audenterque, quaſi ad rem quiſque ſuam, acceſſuri.

Tempora, quæ hæc Romanorum præceſſere, tranſeo, ne actum agam. Alexandriæ & Pergami Reges publicas quoque nullo tam etſi titulo dedicatas, magno certamine erexerunt, quod quidem ſolennium & jactati ſplendoris potius erat, quam utilitatis, quæ utrobique exiſtebat æqualis, excepto quod altera humanitatis ſine titulo publica conſtaret, hæc nuncupatione ſolenni, ſenatuſque aſſenſu dicata, quod quidem quo ad uſum & utilitatem cum priori valebat perinde.

Medium tecum percurro ævum. Pariter & illud non uno Bibliothecæ publicæ exemplo ſententiam noſtram confirmat. Bibliothecarii in Regum Franciæ Palatio dignitas rem ipſam abunde conteſtatur, quam Carolo M. Imperante à *Gervardo* geſtam refert Einhardus Abbas Lib. de Translat. Ss. Martyr. *Marcellini* & *Petri Carolo* M. ſuperſtite *Ebonem* Archi-Epiſcopum Remenſem à *Ludovico Pio* parente publico hoc munere inſignitum perhibet Carolus Calvus in Epiſtola ad Nicolaum P. P. Ipſiusmet Caroli C. Bibliothecarius *Hilduinus* S. Dionyſii Abbas Synodo Ti-

Ticinenſi Anno 867. ſubſcripſit. Bibliothecæ Regiæ Palatii dicebantur *Armaria*, quibus volumina ordine diſpoſita recludebantur uſui publico deſtinata. In publicas Romanæ Eccleſiæ Bibliothecas adhuc introducendus eras, quas Bibliothecariis ſuis eâdem, qua illæ Francorum Regum ætate conſpicuas floruiſſe nemo negat. Sane *Anaſtaſium* Annales Francorum Bertin An. 868. *Bibliothecarium Romanæ Eccleſiæ* vocant, quem in *exordio ordinationis ſuæ Adrianus conſtituerat ad Bibliothecæ publicæ curam.* Ceſſo luci meridianæ novos accendere ſolis radios. Perreptavi tecum V. C. breviores, cum prolixas potuiſſem, ætatis periodos, ac complura in iis oſtendi publicarum Bibliothecarum inſtituta, quo luculenter demum intelligas earum natales multis ſeculis; quam optime opinabaris viguiſſe antiquiores, atque docere deſinas, ante ducentos annos Bibliothecas publicas nullas extitiſſe.

Ut inventis facile eſt addere, ita Bibliothecarum publicarum leges inſtitutique normam ſeculi recentioris exactitudo limavit. Neque vero hodie omnes omnium gentium Bibliothecæ publicæ omnibus numeris, libris requiſitiſque decoræ abſolutæque perſtant; quæ nihilo ſecius publicæ ſunt, pluriumque uſui utilitatique apprime obſequentes. Exemplo ſit publica, quæ *Genevæ* extat, Collegii Bibliotheca, cujus numerus trium millium librorum non excedit, nullo ad augendum, aut Præfectum ſuſtentandum redditu donata. Neque hæc ſtatis quidem horis cuique aperta eſt, ſolumque dat aditum rogantibus, quæ tamen fundatio non ceſſat tum inquilinis,

tum peregrinantibus eximia adferre Literarum emolumenta.

Hæc quaſi in tranſitu & digito tibi oſtendere volui, unde nec criſi tuæ *adeo pertinaciter*, quod ſcribis, *inhærere* velis, nec graviorem otii noſtri ſeverioribus publiciſque curis hoc tempore ſacrandi excitare jacturam. Tibi etenim, vir ſagaciſſime, pro lege haud eſt Criticorum illud: *Quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit*; Viri ſolide docti ſibi nunquam ſapiunt, mihique nullum ſit dubium, quin propriæ opinionis expers veriora ſequaris.

Propero ad alterum tuum, quod pro fundanda potius Vredenſi in oppido Bibliotheca publica, quam Urbe Mimigardenſi urges argumentum. Ubi dico inter ſodales meos Canonicos Vredenſes reperiri vix ullum, cui animus ſit literis excolendis compoſitus: Reponis: *Vana eſſe ex modernis moribus ad futuros auguria.* Hoc ſi bene ſtringit, vanum quoque erit, quod ex genio Monaſterienſium moderno ad futurum nuper ducebas argumentum. Potior ex priſca hominum temporumque conditione nobis ineunda eſt ratio, ex quibus ad futurum rectius concludas.

Præclara ingenii monumenta pridem edidere, ut de *Rolevincio* & vetuſtioribus nihil præconii adducam, Illuſtres *Leunclavii*, *Langii*, *Buſchii*, *Græſſii*, *Kerſſenbrockii*, *Hegii*, *Mallinckrotii*, *Boickorſtii*, *Torckii*, *Rottendorpii*, *Schateni*, alii; omnes vel in urbe nati, vel ex vicinis acciti agris præcipuis illic muniis ſpectandi. Et quem, mi Cohauſene, ex veteri ævo accerſebis Vre-

Vredenatem Literis clarentem? Quidquid regeras, non evertes ſyſtema noſtrum: *Sexcentos inter Viros in Urbe Monaſterienſi ſacris addictos plures ante prodituros Muſarum filios, quam ex octono Canonicorum numero oppidi Vredenſis.* Ante mulam parituram admiſero, quam dubitare auſim majora Bibliothecam Monaſterii, quam Vredenæ edituram prodigia. *Utrobique*, ut ipſemet prætendis, *ſunt unius Nationis ſpecies, quæ tantum numero differunt.* Itaque, ut in ſolo numero ponamus argumenti energiam, nunquam iturus es inficias, ex mille potius (ſexcentis volebam dicere) quam aut octo viris æquali naturæ ac climatis beneficio fultis, promanaturos Literarum Amœniorum cultores. Hoc ſi refellas, tibi cedat *Apollinea Corona*, quam victori daturus es bravium.

Largior tibi de præſenti ad futurum imbecillis ſit concluſio; præſtat tamen illa, quam texui, de præterito ad modernum ſive futurum. Si non ſunt in Canonicis Vredenſibus, optime Cohauſene, futuros quidem metuo, nec temere (fallat præſagium) qui ſibi vitio haud imputent, quod olim ingenue de ſe faſſa eſt Abbatiſſa *Burchardi* Wormatiæ Epiſcopi ſoror, his eum, teſte chronico Wormatienſi *p.* 57. adlocuta verbis. *Tantum pſalterio excepto, libros penitus ignoro.* Vinci ad unicum hunc congreſſum tibi fiat durum erit, quin novam potius aciem inſtruas, non jam in ſolo Canonicorum numero, ſed & in Illuſtriſſimo ſexu collocaturus fortioris argumenti fiduciam.

Non uno Exemplo confirmatus tentas denuo conſerere Calamum. Verum fragiles noſtroque prælio impares ſunt, quas ab Illuſtriſſimis Domicellis mutuaris ſuppetias. Sunt, ſcio longe celebriores, quam ut diſſimulare poſſim ex Liesbornenſi quondam Parthenone *Bettildes*, *Horswindas* vero ex collegio Gandersheimenſi Abbatiſſas, ex Valle Dei *Florianas* moniales ex monaſterio Novi Operis Goslarienſi *Hildegardes*. Neque abnuo adſtipulari quoque tibi, quam ex præteritis temporibus ad futura formavi illationem.

Verùm his omnibus nec latum unguem proficis, quin relicto nobis campo tibi confugiendum ſit ad fortiora, ne denuo procumbas. Ut hominum, ita & temporum varium atque mutabile genus eſt. Quondam clauſtris aut Collegiis recluſas ſanctimoniales nulla diſtrahebant ſecularium Procerum conſortia aut negotiorum, quæ Comites & Advocati moderabantur, temporalium difficultates.

Quondam nulla *Galarum* & *Ballettarum* feſtivitas infeſta erat Canonicarum otiis. Hodie his bellariis renunciare piaculum eſt. Inter tot mundi ſtrepitus in utriuſque ſexus Collegiis ſecum habitare, Literisque vacare quis poſſit? *Les façons, les belles manieres de vivre, L'art de plaire, & le reſte des honneurs de la grande mode &c.* uti paſſim Principatum tenent, ita nec exultant in Religioſorum clauſtris. Verbo: Ratio ſtatus Clericalis non eſt amplius, ut olim, Muſis amica. Si tecum philoſophari luberet, Ex hoc irrefragabili Antecedente: Libris & Literis impalleſcere non geſtiunt hujus ſeculi *Canonici* &c.

Nun-

Nunquam erues illud conſequens: Ergo ſaltim hoc vel faciunt vel facturæ ſunt *Canonica*.

Alia nunc ſexui arrident *paſſe tempora*, alia, inquam, (non offendant te, quæſo, tot vocum Barbariſmi) *Amuſementa*. ſed utinam Canonicæ noſtræ libellis legendis inclinatæ interrogantibus, quid rerum moliantur, hoc reſponderent, quod olim *Renatus Carteſius*; Vir hic ſummus cum fere continuo ſacra Biblia in pulpito expoſita evolveret, haud ſemel dixiſſe compertus eſt, ſe alios, præter Biblia, libros terere *pour divertiſſement*.

Ut dicam, quod res eſt, & Canonicos & Canonicas, paucos excipio, nullum inde afficiet tædium, aut animi atonia, ſi præter Pſalterium & pauculos libros Gallicos, præſertim Comicos, plures penitus ſe vel noſſe fateantur vel legere. Hæc cum liquida ſint, porro non ſperabis ex ſolo utriuſque Sexûs Vredenſi Collegio eruditionis uberius, quam ex Urbis Monaſterienſis numero pluribus propullulaturum incrementum.

Vides igitur, non adeo, ut quidem putas, *tuta* degere *omnia argumenta tua, ac tam valido tegi veritatis ſcuto, ut nulla jacula reformident.*

Pauca hæc V. C. tibi propinare volui, quo ſitim tuam non nihil extinguerem videndi *illa omnis ævi monumenta*, quibus ſubnixus utilitatem evindicavi Bibliothecam publicam ſexcentis Mimigardenſi in Urbe erigendi potius quam octonis in Vredenſi.

Plura dabit *Apologeticon* meum in Diſſertationem tuam Criticam per valetudinem adornandum. Quo tot ceteris tuis, quæ deſtruendo

 pro-

propoſito fundandæ Bibliothecæ conglomeraſti poſtulata pari Marte ſatisfiat.

Jam pene ſopierat animum tranquillitatis & armiſtitii inter nos præſidentia, ſed hem tertium adhuc tecum confligendum eſt. Ita jubet, quod nuper probabas, turbari *Vetuſtatis Baſilica Vredenſis inſigne monumentum*, quadringentorum annorum poſſeſſione ſplendidum, & ſtabilitum. Ita comparati ſumus à natura, quod hic maximo pretio excipiendum ſuadet, alter inter minutias ablegat; Immo vero, quod *vetuſtatis monumentum* appello, tu crepundiis adſcribere non hæſitas, ceu à ſimplice ſaltem pictorculo more antiquo parieti illitum. *Rubentius* & *Michael Angelo*, fateor, Juniores ſunt, quam penicillis ſuis commendare potuiſſent hanc picturam.

Ipſa ævi ſimplicitas ineptique operis barbaries omnem affectati nitoris ſuperat fucum, viceſque rependit Viro docto & Hiſtoriarum amanti ſenſationis oblectamenti. *Omnis antiquitas*, Fryſchmediano teſte, *honoranda, ut ut parva, ſordida & abjecta videatur aliis &c.* De his antiquitatis gemmulis, dicam quod de Libris Erasmus: *Sicut in unguentis & vinis, ita & illis pretium addidit antiquitas* Satis erat præſentem ex iſthoc monumento nobis ſiſti lapſam à tot ſeculis collegii faciem, nullo conſilio citra hos teſtes recuperandam. Eſto, quod contendis, Canonicarum potius *umbras* & *manes* quam ad vivum imagines hoc ſchemate repræſentari; an ea propter poſt ſera tot ſecula expungendum erat à rerum male temporumque peritis? Et, rogo, qui pictorem Imagines Canonicis iſtis ſimiles

mentiri

mentiri increpas, quarum nullam ullibi aut uſpiam conſpexiſti?

Num vero vivas illuſtrium ſanctimonialium Canonicarum effigies retulerit pictura, operæ pretium haud eſt, ut quispiam reſpondeat. Et quid ſi vivas retuliſſe ſtatuminem, an proin benignius habitas reberis, aut excidium iſtud minime vel paſſas vel commeritas?

Prudens horum arbiter ſacrarum Virginum genas, ſive lacte perfuſæ ſint, ſive roſis tinctæ, aut contractæ rugis, non æſtimat. Strabæ Cæcæve fuerint, an Coclites, cujus poſterorum interſit? Alio plane antiquitatis iſtæ reliquiæ Eruditorum in ſe convertunt oculos. In primis obſervandus hic erat ſex Canonicarum numerus, quarum plures tamen hoc collegio tunc exitiſſe comperio, haſce vero pleraſque primis Eccleſiæ officiis ſeu dignitatibus præ ceteris auguror eminentiores, omnes certe, ut ex appoſitis ad cujuſque pedes inſignibus apparebat, illuſtri Comitum Proſapia ortas.

Primam quidem dextras occupantem ex veteri proſatam commonſtrat trabs æreæ transverſa incumbens.

Secundam De *Diepholtz* Natam pariter ex inſignibus colligo.

Ubi tamen in ſcuto transverſo ſecto pars ſuperior ceruleo tincta, in qua Leo argenteus paſſim ſaltare conſpicitur, hic nihil repræſentat.

Tertiam è Comitibus de *Bentheim* oriundam nummi Bizantini (priſca Comitum arma) evincunt.

Quarta eſt Comes de *Hoia*, ut liquet ex geminis nigris urſi pedibus averſo ſitu erectis.

Quinto locó *Pincernam* de *Erpach* ex veteri Erpachiorum digmate agnoſco. Nempe tres ſtellulæ in arcula transverſe ſecta, cujus ſuperior pars Coceo tincta duas argenteas, Inferior vero argentea unicam rubeam præfert.

Denique ſextam iterum *Hojenſem* prodit idem, quod in quarta vidimus, gentis ſcutum.

Te colorum & elegantiarum Parerga delectant, viros è contra Hiſtoriarum cultores antiquitas rapit. Tu de vivis Domicellarum imaginibus curam habes, ego præteritorum temporum vivos ſinceroſque conſidero teſtes, ſine quibus ubi ſumus, plane iſtorum temporum reputamur infantes. Habitum porro contemplare omnibus Communem nec minus primævo Canonicarum ſanctimonialium Inſtituto apprime conformem. Talari ex Linteo albo amictæ ſunt omnes, pallio nigro ſuper induto. Huic velum album influit caput circumquaque involvens, atque in plures plicas ruditer tortum. Singulæ in genua procumbentes ante Crucifixum manus ad orandum tenent compoſitas.

Confer jam, ſi voles, vetus hoc picturæ emblema cum antiquitatis & tantum non monſtroſis Chronologorum vocibus, quibus ſecularium Eccleſiarum, ut hodie vocant, Canonicas nobis paſſim adumbrant, quo explicatiora reddantur *Conventuum*, *Clauſtrorum*, *Monaſteriorum ſecularium*, *tum & ſanctimonialium Virginum*, *Canonicarum Regularium*, *Ancillarum Chriſti*, *Deo famulantium puellarum*, & id genus vocabulorum

tor-

Digitized by Google

tormenta, de quibus alibi me aliquando videbis prolixiorem. Cetera non memoro, utpote ex ipſo ſcemate, quod ab interitu vindicaturus ex pariete ante annos decem exceptum æri incidendum nunc conceſſi, dulcius erit relegere.

Viden, Amice, altioris receſſus eſſe *ſimplicis* tui *pictorculi muro illitum ſcema*, de quibus quidem picturis hoc Eruditorum adſcribo judicium:

Vita eſt, ajunt, *memoriæ lux vitæ teſtis temporum, nuncia virtutis, mortuorum à morte reſtitutio, fama gloriæque immortalitas, quæ facit, ut abſentes præſto ſint, & variis diſſitisque locis uno tempore repræſententur &c.*

Ex tua ſententia operam perdidiſſe cenſendi ſunt, qui bracteatos Abbatum & Abbatiſſarum denarios paſſim ridiculis & prodigioſis utriuſque ſexus hominum icunculis deformes tanta ſolicitudine diſcutiunt, quorum illi ſint, indefeſſo labore pertuminant, abruptas perigraphes transpoſitis, quam poſſunt optime, in verba apicibus, explanant, ac tabulis æneis expreſſos eruditorum examini ſubmittunt. A Te, credo, laudantur potius Metalli-fabri, qui antiquiſſima ex ære, auro, argentoque incomparabilis etſi pretii numiſmata citra diſcrimen in fibulas, & acus conflare nefas non arbitrantur. Quod factum quanto notitiæ Hiſtoricæ ferundum ſit detrimento, nemo unquam brutis iſtis hominibus ſat digne inculcabit. Certe tanti mihi hæc viſa ſunt, ut non inconveniens judicarem, ſi territoriorum Proceres Edicto publico hanc jacturam temperarent, datoque prœmio præcaverent ſub-

ſubditorum in has gazas tyrannidem, curas è converſo excitarent atque attentionem.

Denique quo magis monumenti noſtri diminueres pretium, Threnos meos Leoninos in contrarium tranſtuliſti ſenſum, qui tamen parum aut nihil te juvant. Quid enim.

Ars tibi, num laus ſit noſtros convertere verſus
In reprobum ſenſum, qui ratione caret,
Si dico Deus eſt; non eſt Deus, iſte reclamat,
Hoc agit, expungi qui Monumenta probat.

Quam graviter in ſimiles picturas attendendum ſit, non attinet iis ultro commendare, qui Hiſtoriarum momenta emunctis naribus perluſtrant. Aperte in rem noſtram, quæ ex ſimili pictura animadvertit chronico Epiſc. Mindens in *Ludario* VIII. Epiſco *Hermannus* de *Leerbeck*, qui circa exitum ſeculi XIV. & initium ſequentis vixit, ubi de Monaſterio Canonicarum ſecularium in fuſe ediſſerit. Auctoris audies verba: *Wernerus Epiſcopus Mindenſis* XXVII. *cœpit reædificare prædictum Monaſterium. Et ſic poſt Monaſterium reſtaurationem tunc ad habitum lineum & nigrum priori habitu* (mutaſſe illum ſupradixerat auctor) *pro præſenti ſupra modum diſſimili, ſeculari, & laſcivo depoſito ſub profeſſione beati Auguſtini & ordine Regularium adſtrictæ picturis & ſcripturis dictæ Eccleſiæ teſtantibus dinoſcuntur.*

Quouſque me adigis excedere Epiſtolæ metam? Ut hæc tandem miſſa faciam: Nunquam animum meum ſubitura ſpes eſt, illos proprii ingenii edituros monumenta, qui illa majorum, citra neceſſitatem è medio tollere, & unico quaſi

quaſi ictu, aut fidelia obliterare non erubeſcunt.

Quantus Patriæ theſaurus foret Epiſcoporum Mimigardenſium, à quadringentis annis ex picturis Baſilicæ Paulinæ decerpere imagines? At quantum damnum, quanta protervia eaſdem dealbaturis proſtituendas committere? Concedamus Limatoribus ingeniis ponderandum, congiario an mulcta remunerandi forent ejuſmodi Monumento-maſtiges?

Hæc de publicis Bibliothecis atque excidio Monumenti Vredenſis.

Ipſum me quod attinet, ſat proſpere antefebbrilium pulverum, quos ſubmiſiſti; ſuccedit uſus.

Firmiores equidem virus hoc radices egit, quam ut lubens illis cedat, ne dicam eradicetur. Immo jam tertium paroxiſmus à tempore conſueto receſſit, cum nuper ad horam circiter deſæviiſſet, impatiens longioris tormenti, rigorem frigoris hauſtu vini aduſti amaticanus temperandum cenſui quod è veſtigio conſecutus, de triduo in biduum ſat bene valui, etiam ſtudiis præter morem aptior. Remedium ſanè Paradoxum, ſed magno mei beneficio, quod num probas, pervelim intelligam. Quarta vice aggreſſorem non auſus ſum hoc muſtaceo delinire ejusve gratiam litro Weſtphalico redimere. Interea heſternus, grates Deo, conflictus benignius me habuit, ſpem ſpei addens, immanes criſtas ſuas brevi depoſiturum inveteratum hoſtem, quod unum meum ſuperos fatigat votum &c.

Interea hoſtis ille non has modo, ſed pleraſque late oras, præcipue virorum Literatorum detri-

trimento depopulatur. Herbipoli *Eccardum* ex aſſidua quartana decumbere ex relatione *Ignatii Roderici rerum ſtabulenſium* ut noſti, auctoris, ad me perſcripſit *Mich. Mörckenſius* Cartuſianus eoque fieri, ut Commentarii ejus *Rerum Wirceburgenſium*, quorum modo alphabeta, ut ajunt, viginti impreſſa ſunt, nondum prodeant. *Rodericus* ipſe eodem malo adeoque pertinaci conflictatur Coloniæ, ut fere animum reconvaleſcendi abjiciat. Graves quoque Paroxismi, & neſcio, quæ illis juncta Cachexia, lecto affixum tenet meum *Mörckenſium*. Ut de Eruditorum per Weſtphaliam ſtrage nil memorem. Recenter Oſnabrugi vivis exceſſit *Henſelerius*, præclarus noſtrorum temporum Jeſuita, ſupra vulgus ſuæ gentis doctus atque in hiſtoria patria tum & medii ævi ab annis pluribus apprime verſatus, cui vellem ſera fata conceſſiſſent Hiſtoriæ Oſnabrugenſi coronidem imponere. Eandem viam ingreſſum referunt *Zachariam Gœzium* Carolini Gymnaſii Oſnabrugenſis Rectorem optime meritum, virum perveſtigandis Patriæ antiquitatibus operoſe diſtentum, à multis annis Commercio Litterario mihi junctum. Hiſtoriographus Regis Boruſſiæ & per diſtrictum Ravensbergenſem *Gogravius Adolphus Hermannus Meinderſius* quin & hac ſorte mulctatus inter mortales jam deſierit interrupta per Epiſtolas mecum colloquendi aſſuetudo dubitare non ſinit. Triſtis pullaque ex tam variis Caſibus Weſtphalia ipſis Muſis ſi non lacrymas, anne luctum extorquebit? Pectori tuo, mi Cohauſene, robur addant ſuperi, ut novo hoc anno luſtrorumque longa ſerie ad omnigenam

nam felicitatem ſuperſtes & noſtræ inter tuos incolumitati conſtanter ſtudeas.

Ceſſo aliis immorari, quæ habeo quam plurima ad te ſpectantia, neque amplius committam in leges ſanitatis, tanta ſeveritate mihi impoſitas. Metam otii & quietis tui cauſa dudum egreſſus ſum, ratus præſente medico haud magnopere peccare ægrotum. Quod ſi liberius juſto confabulatus ſum, aliter ut facerem, mihi ipſemet haud permiſiſti repetita vice me ad arenam concitans. Ut interea optimam in partem hæc interpreteris, tuæ perſuadent partes, donec publico ſtadio tecum prope diem decurram. Vale & cura valetudinem meam tibi quam diligentiſſime commendatam. Ex Muſeo Wieckinghoffiano in pervigilio Epiphaniæ DCCXXX.

P. S. Helmontium tuum Ecſtaticum prælo Batavo brevi emancipandum perlubens intelligo. Gratulatorium, quod Germanus tuus illi præfixit, carmen, ceu operum tuorum Nomenclator Biographiæ noſtræ apprime obtemperabit. Vellem ſane à te porro edendorum illi adjiceres Catalogum, ne Librorum ſaltem titulos, ſi forte illis lucem publicam invideret humana conditio, ignoraret poſteritas. Secundum tertiumque Vale, & quid ad vires hujus Epiſtolici conflictûs ſentias, proxime Medicus infirmo reſcribe.

Re-

Reverendiſſime & Ampliſſime Domine Amicorum æſtumatiſſime

Anticriſi Tuæ reſervato in proximam reſponſo ad Epiſtolæ ſaltem calcem repono meum de hoſtis adhuc inquilini tametſi non adeo ad extra ſævientis, ſtatis diebus per rigorem ſat obſervabili præſentia dolorem: votum meum Tuo jungo, ut ocyus vel ad minimum circa æquinoctium vernale hoſpitium hybernale relinquat. Memoras idem quorundam Literatorum fatum, quod adeo non miror, quod ſtaticen animi ad ſtaticen corporis prudenter dirigere atque accommodare neſciant, qui enim mente agit ſuper corporis vires, ut paſſim in ſtudiis intemperantes neceſſe eſt corpore ægrotare, & non raro vitæ præoccupare terminum. Utinam & utrique noſtrum hoc non ſit fatale. Valeo ego nunc, ſi unquam alias, proſpertime, viribus pro illa ætate ad omnia ſufficientibus, quas nimiis elucubrationibus impoſterum deterere mihi erit, reſpectu uxoris atque numeroſæ prolis educandæ, piaculum. Eandem tibi obligationem incumbere judica, ne fœtus tuos adhuc minorennes orphanos relinquas, Muſasque in immaturum luctum conjicias, *Helmontio* meo iterum data pauſa, Exemplari manuſcripto Bibliopolæ ob ignaviam & præli tarditatem ſubtracto à Domino Graſpero, qui idem jam tertio typothetæ ſe commiſſurum notificavit dolenda certe fata iſtius Ecſtatici. Eidem

dem non tantum hactenus Impreſſorum meorum, ſed qui adhuc latent ſub pulpito librorum Catalogus fraterno Carmine præfigetur. Mirari ſane imo ex pectore videre licuit meam de monumento parietino cenſuram exercitii & joci cauſa (noviſti enim quanti ipſe ejusmodi antiquitates faciam) ad te miſſam ita pro ſeria acceptam fuiſſe, ut quandam animi impatientiam & ſtyli elaſticitatem extorſiſſe videatur. Profecto non in Diſſertatione mea, quæ aliquando cum tuis meisque reſponſoriis in volumine de viris doctrina illuſtribus locum habere poſſet, ſed in privatis tantum literis, quæ alios conſpectus non ſubibunt ſatyram iſtam pro ea tunc temporis in illam neſcio, qua animi propenſione exercitii cauſa, & pro illa, quæ inter nos eſt amicitiæ & calami libertate licentioſius effudi. Cujus ſi vis palinodiam jam habes; unde threnos illos impoſterum non contra me, ſed illius picturæ extirpatorem juſte effundere poteris. Vivas Domicellarum imagines & facies ita parum curæ habeo, ut eas etiam brevi inter manes futuras non ignorans, non alio quàm quem ſaltem humanus exigit reſpectus, honore digner, ſi tuis Collegis nota fuiſſent quæ ſub vetuſto illo Emblemate latuere miſteria à te nunc detecta, non permiſiſſent, nedum juſſiſſent tam antiquum ſchema deleri. Criſis mea nunc tantum voluit inſinuare cautelam, ne Hiſtoriographus nimia paraphraſi inhæreat minutiis, aut ſaltem non adeo magnis phœnomenis, quæ facile à quocunque zoilo in contrariam partem & ſcriptoris vituperium detorquentur. Habes nunc igitur ad magnam Epiſtolæ tuæ partem

Digitized by Google

reſponſionem & mentis longe *ſincerioris tuis conatibus atque ſtudiis unice faventis intentionem*. Quo ad cetera, Bibliothecarum nempe publicarum omni ævo ſeu exiſtentiam, ſeu intentam utilitatem non eodem tecum tramite decurrere proxime intelliges. Fuiſſe omni ævo Bibliothecas non negavi (imo facile probarem in Arca Noëtica quoque extitiſſe) ſed publicas fuiſſe, id eſt uſui communi dicatas, freqnentatas, uſurpatas, hoc eſt, quod négo & quod erat probandum. Verum abrumpere cogit famuli abiturientis feſtinatio. Finio igitur Clauſula ſummi oratoris vale & valetudinem tuam cura diligenter. Vredenæ 3. Febr. ex Muſ. 1730.

Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino D. J. H. Nunninghio J. V. D. Can. & Schol. Vred. S. P. D.

J. H. Cohauſen.

Nuper Tuis exactius propter temporis anguſtiam reſpondere non potui neque etiamnum poſſum, imo ſi poſſem, neſcio an hanc veniam eſſem à te obtenturus, eum unum alterumve meum Epiſtolium ad reſponſorias ſaltem aliquales excitatorium intonuiſſe Claſſicum viſum ſit, &, ut ipſe ais, & validos penetrâſſe lacertos aut irritâſſe crabrones. Non ſane, amice; is ſcriptionis ſeu exercitationis ad primam tuam meæ criticos non ſemel factam provocationem inchoatæ

Digitized by Google

ſcopus eſt, ut vel viribus tuis jam febri exhauſtis amplius vel minimum detrahatur, aut quaſi tecum, qui cum Muſarum hoſte febri querquera tam diu conflictatus es, novum intendam in arenam literariam deſcenſum, multo vero minus quod umbratilis iſta pugna, quæ privatis noſtris ſtudiis, & non tam labori, quam recreationi ſubciſivæ à me quidem deſtinata, à te vero in partem nimis ſeriam accepta eſt, vel minimum infligere vulnuſculum debeat inveteratæ noſtræ amicitiæ, quæ apud hujates amuſos jam conclamata audit: priusquam enim poſtremæ tuæ ad me advolarent ex publica illarum relatione jam illarum contenta mihi innotuerant, ut neceſſe ſit vel à tuo Amanuenſi illa prævie narrata, vel epiſtolam tuam ab aliis lectam fuiſſe. Optaſſem, Amice optime, ut diſſidium iſtud noſtrum, quod profecto reale non eſt, ſed à me tum exercitationis privatæ tantum cauſa, potiſſimum vero ex juſſu ipſomet tuo ad utilitatis in Bibliotheca fundanda publica diſcuſſionem intentum nobis ſolis (nam communes noſtras muſas teſtor mortalium nemini de illo unquam locutus ſum) notum manſiſſet. Noviſti quis noſtratium ſit genius, ut malim publicam totius orbis literati, quam illorum cenſuram ſubire. Judicant enim ut olim inter Te & Eccardum de Carolo ſic nunc Te inter & me paris Commatis id eſt argumentum nugatorium ſtolide tractari, quod querelas haſce coram te meas, an vero ſat juſtas ipſe judicaveris, nunc extorquet.

Neſcio proin an conſultius ſit inter nos deinceps totale armiſtitium an ulterior velitatio. Nata inter

nos ex accedenti eſt quæſtio (nam in diſſertatione mea Critica ne verbulo quantum minimi illius facta eſt mentio) num antiquitus, ceu ante aliquot annorum centorias nemque ante prælum inventum extiterint Bibliothecæ publicæ? quod parergon operoſius quam exſpectaſſem pertractaſti, tum enim reflexio ad haſce & Germaniæ noſtræ oras à me facta eſt, tum vero potiſſimum negatum, quod ſi extiterint, illas *publicas* fuiſſe, hic enim totus controverſiæ cardo eſt. Ignotum mihi haud fuit antiquitus & Romæ & Ægypto & Græcia, imo jam ante Diluvium (ſuper quo habeo authenticos Authores) viguiſſe penes mortales libros in Bibliothecas collectandi ſolertiam, id quod è Suetonio & in primis Seneca meo jam olim non perfunctorie lectis ſatis conſtare poterat, ſed illas noſtro ſenſu publicas fuiſſe, & intentam utilitatem, quod in quæſtione eſt, attuliſſe, hoc pernegavi & in Diſſertatione mea ſecunda Hiſtorico Critica ſat clare & fuſe (ſi jubes & ſi id amplius citra irritationem Crabronum fieri poteſt) oſtendam, in qua, quæ de Bibliothecis latinis & Græcis nuper contra me adduxiſti perſpicuam lucem accipient. Plutarchum alioſque authores à te citatos propriis oculis inſpexi & alia Bibliothecae lucullianae & apud Romanos hermalis facies apparuit, quam graphice depingam. Curioſa facta eſt iſta pertractatio, quae jam plures quoque horas aliis lucubrationibus debitas mihi ſurripuit, verum abſit quod nuper invitus & præter exſpectationem intellexi, quod vel meæ ſcriptioni ſucceſeas vel tuo erga me amori vel hilum detrahas, *malim enim ultro victas manus dare &*

peten-

perennem imperare amneſtiam quam iſtum, quæ inter nos jam tanto fuit tempore rumpere ſtudiorum & animorum conſenſum. Imo ſi jubes, ut credam & profitear, nihil eſt reipublicae utilius, decentius, honorificentius, quam Bibliotheca publica, *jam me habes ſententiæ tuæ hyperaſpiſten.* Quod ut reapſe comperias, verſis velis jam in illam propero; & loco conditionum ſive Legum tuarum, quas Criſi mea ut puto non penitus iniqua amicè perſtrinxi hic alias pro more Bibliothecae publicae praefigi ſolitas, ſed à te facile modificandas & tuis conceptibus communico.

1. Sine Bibliothecarii facultate ne intranto.
2. Nemo niſi ſpectatae fidei & probitatis admittitor.
3. Libri omnium facultatum bono ordine collocantor.
4. Libri omnes materiam & nomen auctoris titulo exterius oſtenduntо.
5. Alius liber, qui Catalogum omnium Librorum ordine Alphabetico contineat eſto.
6. Illo in Catalogo nomen Auctoris, materia Libri, magnitudo, color deſcribitor.
7. Nemini etiam ipſi Bibliothecario aut Conſuli Librum efferre niſi dato chirographo liceto.
8. Siquis aliquem extulerit poſt menſem referto.
9. Munditiem Bibliothecae & Librorum curanto.
10. Bis ſingulis annis de novis libris emendis ſenatum admoneto.
11. Libri vetiti exulanto.
12. Nemo notam libris vel atramento vel reflexà charta imprimito.

13. Quod ſi ſumptus Reſpublica fugiat aliam legem addat augendae Bibliothecae & minuendis impenſis opportunam.
14. Si quis libro Bibliothecam auxerit, bonum factum eſto, ejus memoriam comiter conſervato.

Hisce pro lubitu addes, ſubtrahes, ſuppleas ad methodum & inſtitutum Bibliothecæ Hildeſienſis. Quomodo Literae fundationis publicæ ſint formandæ, etſi pendeat ex arbitrio fundatoris, non dubito quin alias formulas inſpexeris; ſin minus, literas Beſſarionis Niceni Cardinalis & Patriarchæ Conſtantinopolitani, quibus Principi Chriſtophoro Moro & Senatui Veneto ad templum Divi Marci anno ſalutis 1483. ſuos libros donavit, proxime tranſcribam. Quidam è Medicorum coetu eandem ex Italia in Latinam rudi quidem & italianizante ſtylo tranſtulit. Præter has nullæ unquam aliæ mihi legendæ occurrerunt.

Receptis tuis poſterioribus & intellectis quos calamus apud te meus ſubiit, ingratus eum mox ad aliud argumentum applicavi, nempe ad excolendum meum *Nobilem Weſtphalum*, ſive *ſecundum ſtrabonem aut Ælium Papyrium Patum*, qui uti materiæ amoenitate & utilitate equeſtri ordini dubio procul arridebit, lucem ſuo tempore merebitur.

Ejus præcipua Capita ſunt ſequentia, de quo ad uno pluribuſve ſi auctor tibi ſuppetat, qui commentetur, rogo ut communices, Bibliothecula mea & politicos & moralium Doctores habet

bet pauciſſimos, unde è cerebro omnia inſtar arachnes efilanda ſunt.

Præliminare. Ortus Nobilitatis Weſtphalicæ, & præcipuarum aliquot in illa familiarum pietas domeſtica Nobilium laudabilis &

De Connubiis Nobilium
De conſervanda nobilitate, & per quæ media.
De ſtudiis & Bibliotheca Nobilium.
De agricultura & mercatura licita Nobilium.
De exercitiis Nobilium.
De famulatu & equitatu nobilium eorumque ſubditis
De peregrinatione Nobilium.
De arcibus & Domibus Nobilium.
De hortis & ſylvis Nobilium
De culinis & menſa Nobilium
De ſupellectile & veſtimentis Nobilium.
Regulæ Oeconomico-politico Morales Nobili pro ſtatûs ſui conſervatione utiles & neceſſariæ.

Haec potiora Capita ſunt, quibus mihi olim materiam & conceptum ſuggeſſit Pacti manuſcriptum, quod notis meis illuſtrabo.

Viro Amiciſſimo Clariſſimoque Domino Cohauſeno &c. S. P. D. Jod. Herm. Nunninghio.

Recte geminas tuas ad me 3. & 17. Febr. adornatas reddidit Germanus luculentiſſimum

 pacis

pacis mutuae argumentum certe prodromum. Hoc namque praecipuum agere videris, quo ocyus componantur, quas mihi circa Bibliothecarum publicarum ſeu exiſtentiam ſeu utilitatem excitaſti criſes dicam an tricas. Sufficit nunc mihi V. C. quod cantare paratus ſis, ſententiae palinodiam. Non potui non, quin poſtulata tua leniori ſaltem reſponſo exciperem, veritatis veluti ingenitae vel à puero vindex. Nolim amplius provocari in arenam à te veteri integerrimoque pylade meo, quem acerbioribus telis reprimere nefas eſt.

Sed quid amice, quod amneſtiae firmandae intentus raciocinari pergis, facturus ut intelligam, te *non eodem tramite quo ad Bibliothecarum omni ævo ſeu exiſtentiam, ſeu intentam utilitatem mecum decurrere*, quando paucis ejusdem epiſtolae tuae verbis interjectis facile probaturum te ſpondes, easdem jam in arca Noë extitiſſe? unde vel aliter te in his ſentire, quam ſcribas colligo, aut ſcribere quam ſentias.

Prima tantum Criſeos tuae Capita nuper diluere animus fuit I. *ante ducentos annos nullas extitiſſe Bibliothecas publicas.* II. *Eliminandum ex templo vredenſi avitum pietatis Monnmentum.* Armiſtitii cauſâ, utrumque ut concedam; Reſtat Apologia noſtra promulganda, quam te jubente in Diſſertationem Criticam ſuper propoſito fundandæ à me Bibliothecæ publicæ adornavi. Commendas opellam tuam typo a me promovendam, meam carcere detinendam perhibes. Ergone tam ignobile habes meum otium, aut vires mihi adeo tenues tribuis? quæ lucem non ferant? ſed firma perſtent pacis conſilia & vel tui

cauſa

cauſa ſcriptis hiſce meis eam vim adhibebo, quo tenebris obvolvantur, nec pæniteat hac parte oleum atque operam perdidiſſe.

Quantum ad threnos in Monumentum Baſilicæ non adeo nuper extirpatum editos, dicis quidem te *exercitii gratia* verſuum meorum metamorphoſin ſuſcepiſſe, neſcias tamen, ſatisne hæc mentis tuæ declaratio cum illa conveniat, quando perinde te habiturum profiteris, *ſerione hæc an ex joco accipere* velim. Non hæc operoſior diſcuſſio, lubens tibi tuorum interpretationem committens quo his feliciter emergas.

Quod ſi tamen, ut nuper Germanus inter confabulandum retulit, religioni duxiſti, quod forte in ædibus tuis recens coemptis Culinæ Camino inſculptum reperiebas, exſcindere ingens bovis Friſici ſeu Weſtphalici bene cornutum caput, cujus tot vivas figuli & pictorculi paſſim ollis & ſaxis imprimunt, certe ſtabuleta referunt imagines & prototypa, non video, quid inducere te potuerit, ut Iconoclaſtam Illuſtriſſimi Eccleſiae noſtræ Monumenti laudares.

Tu interea, mi Cohauſene, minime notandus eris obſervatum bovis caput. Idem tibi in hoc quod Naſutiſſimis Sagaciſſimisque Florentinis palatum eſt, magnopere vel ex hac providentia deprædicandis dum teſte Corbinelli Hiſt. Geneal. Famil. de *Gondi Tom.* 1. p. 260. tantam conſervandis familiarum Monumentis curam adhibent, ut lege vetitum ſit Inſignia poſſeſſorum ædibus inciſa tolli a ſucceſſoribus.

Præclara Hercule! ſanctio digna prorſus altius inſculpi Weſtphalorum & præcipue Clericorum

P 5 reli-

religioſorumque animis, qui fundatorum & benefactorum reliquias, piaque Veſtigia non ſcandaloſe minus quam imperite deterunt, evellunt, aut quoquo modo obſcurant, quibus tanta nihilominus beneficia debent, tanta totque vitæ beatæ commoda, ut ſine iis vel miſeram ducerent, vel quæ fami ægre medeatur. Sane religioſos haud raro homines offendere eſt, qui non tantum fundatorum ſuorum nomina præſidenter ignorant, verum & hoc efficiunt, quo & ignorantur à poſteris. Obvia ſunt exempla, ubi vix Cineribus benefactorum cippos aut ſarcophagos in Odæis & Clauſtris intactos permittunt, quæ ipſimet olim conſtruxerunt. Conſule ſequioris ætatis Chronographos, quoties in primævæ largitatis auctorum vel ſola nomina & ſepulcra gratis inquirunt. Satis litatum dolori hanc in rem meo. Revertor ad Epiſtolæ tuæ calcem, quo votis meis totus velificari videaris, etiam leges Bibliothecæ præfigendas tanquam à te conditas inſinuas, geminas earum ſupra dodecadem ſuggerens, quas omnio ratas habeo.

Neutiquam tamen illas à te expectare volui, amice, utpote mihi apprime cognitas ceu ab Adamo *Contzeno* Politicorum Libro 4. C. 16. §. 21. pridem congeſtas. Tua tibi quid Minerva dubitaret potius exoptaturus. Equidem leges meas cenſuræ tuæ olim commiſſas ex promptuario mei Coi emendari optabam, quas proin Wieckinghofium hoc nuncio redire permittas, quæ ſuperfluis amputentur aut dilatentur requiſitis.

Quo

Quo tandem crepundiorum finem ſaciam, tuo arbitrio dabimus Apologeticon noſtrum typis, num vulcano dicatum velis. Feci quod juſſiſti provocator. Moderamen inculpatæ tutelæ nemini vitio haberi compertum. Sed jam iterum finio Paralogiſmorum ſatur. Ne vel in Epiſtolis ſcribendis juſto videar intemperantior, quos in ſtudiis omnibus corpore ægrotare, & non raro vitæ præoccupare terminum fideliter mones, qui vel hanc præmaturam mihi mortem accelerandam non vane pertimeſco. Vale & me tui perpetim amantem vel ex hoc condito conſignatoque pacis inſtrumento experire. Ex *Wieckingshovio* Cal. Mar. DCCXXX. præter ſolitum feſtinanter.

P. S. Helmontio tuo Ecſtatico pauſam iterum iterumque factam magnopere non miror. Adeo libellis tuis familiaria ſunt id genus fata, ut prope nullus ſine iis in lucem protrahatur. Optime facis, mi Cohauſene, ad limam revocando *Nobilem Weſtphalum* dudum huic Patriæ promiſſum. Fac itaque bene comptus phaleratusque ſaltem hac æſtate in ſcenam proſileat. Quod ſi fortè de ſigillis eorum & ſtemmatibus ediſſerrere tibi mens eſt, nonnulla ejus Commatis à me elaborata lubens tecum communicabo. De notione vocis *Nobilis* quin erudita multa & quae Diplomatum medii aevi ſcientiam redoleant, nobis donaturus ſis minime dubito.

Reve-

Reverendiſſimo & Ampliſſimo Dno. D. Jod. Herm. Nunninghio J. V. D. Can. & Schol. Vred. ſalutem & felicitatem

Cohauſenus.

Quia ex iſtis diſputationum Monomachiis, ut ut cadant tum ad litigantes ipſos tum in publicum utilitatis emanat nihil, ab iis tota vita fui averſiſſimus, quamvis olim etiam provocatus, unde mihi nunc mage ratus gratusque eſt mutuus ille pacis conſenſus. Enſes igitur noſtri recudantur in falces, quibus rerum magis utilium meſſem faciamus. Arma, quæ ego paraveram ſitui atque rubigini relinquam. Quæ tamen illa fuerint, forte non ingratum erit curioſitati tuæ à me intelligere. Primo à me aſtruendum erat ante ducentos annos non tantum extitiſſe bibliothecas, ſed etiam longe plures excellentioresque quam quæ à te fuerant allegatæ; nam illas publicas fuiſſe hoc ſolum pernegaveram. Conſtitueram ergo iam tempore antidiluviano bibliothecæ exiſtentiam probare, è contra vero refutare Romanas iſtas Lucullianam Appianam, aliasque fuiſſe publicas, id eſt, uſui & utilitati deſtinatas, idque ex ſcriptoribus coævis. Salomonis nil minus fuit, quam publica, cujus quidem argumenti ſub ſcrutinio illud de bibliothecis tot refertum reperio antiquitatibus circa ortum & interitum plurium Bibliothecarum, famoſos Regum bibliothecarios, ornamenta & imagines bibliothecarum &c. ut niſi penſum hoc iam ab

ab alio, quod tamen neſcio, ſit confertum á viro Litterato pertractari mereatur. Sed utrique noſtrum ſat in pulpitis eſt ſcriptorum, quorum publicatione ſufficienter demereri poſſumus publicum, ut novos animi tribulatorios conceptus formare non ſit neceſſe. Mentio hic injicienda Bibliothecæ magnæ à famoſo Angliæ medico Joanne *Radeliff* anno 1714. teſtamento fundatæ nempe donavit Univerſitati Oxfordienſi ad eam condendam 40000. ut appellant livres Sterling. 150. Livres pro ſuſtentatione Bibliothecarii 100. Livres redituum ad coemendos Libros 600. livres redituum annuorum ad conſtanter ſuſtentandos duos Medicos, qui peregrinando Manuſcripta & Anecdota curioſa in augmentum Bibliothecæ venentur. Ita memorat Bibliotheca mea Anglica. Tantae molis Bibliothecas condere publicas.

Helmontius meus *Ecſtaticus* poſt tam longos ſub prælo gemitus, tandem luci proximus eſt, non reſtat niſi index cum præfatione imprimendus, quae hac ſeptimana Amſtelodamum mitto, à *Nobili Weſtphalo* expoliendo rurſum avocor. Urget namque Dominus Graſperus Tractatûs de *Kinkinnæ* promiſſi impreſſionem, quare ad typtum mundiori Calamo accommodanda manus et per plures ſeptimanas ab aliis abſtrahenda. Non agam in illo Hiſtoricum, aut circa *nobilis* etymon aut ortum Paraphraſten ſed ad paleras Pœti inſtitues poſteris ſuis relictas notas & animadverſiones morales œconomicas & politicas adjiciam. De Sigillis & ſtemmatibus nobilium Weſtphalorum conſideratio ad tua monumenta pertinet, quam nolo pæripere. Sed *nobili Weſtphalo*, quis in Pa-

tria bibliopola ſumptus faciet? extra illam nullus. Unde materiæ quidem utilitas labores meos excitat de futuro impreſſore diffidentia dejicit. Interim tantum laboris & diligentiæ opuſculis iſtis impendo, ut vires inde recreentur, non ſupprimantur, quod ut quoque facias ſuadeo, ne nimis ſollicite monumentorum telam prætexendo ipſa ſimul, vitæ fila conſumas. Nondum locutus ſum Domino Fratri, unde quis valetudinis tuæ ſit ſtatus neſcio. Spero quod rurſum athleticus. Famulus abituriens cogit hic abrumpere. Alio tempore plura Vale nunc & fidelem tui Amatorem atque Cultorem redamare non deſine.

Viro maxime Reverendo Amicorumque Principi Domino M. Mœrkenſio Ign. Rodericus S. P. D.

Ampliſſi. Nunningii & Cl. Cohuſeni litteras amoebeas ſuper Bibliothecarum publicarum utilitate & uſu ſumma cum voluptate iterato legi. Placuit mihi in hoc, quod illas initio ſimularit ſe parvipendere. Aſſecutus eſt hoc pacto, ut ille Conſilii ſui cauſas promeret. In Nunningio placuit quod tales depromſerit, ut Cohuſenum in ſuas partes pertracturus fuiſſet, ſi reipſa ab eo diſſenſiſſet. Nam de Bibliothecarum publicarum utilitate, cui dubitare fas eſt? aliquam qui fundat aut erigit, videtur ille mihi locupletem fluvium in urbem puteis tantummodo inſtructam derivare. De earum antiquitate non eſt admodum quod

quod laboretur, quando utilitas perſpecta eſt. Sane neque molendina noſtra, neque præla typographica evertemus, quia antiquis ignota fuerunt. Quanquam à Nunningio demonſtratum eſt, Aſiaticis Aegyptiis & Romanis ignotas non fuiſſe. Dabo fortaſſe Cl. Cohauſeno iſtud. non fuiſſe earum, quæ hodie laudantur, numeris omnibus ſimiles: at publicas non fuiſſe, non patuiſſe in illas aditum iis, quos curta Domi ſupellex locupletiorem alibi quærere cogebat, id vero ego illi, etſi nomen ejus in oculis fero nunquam dabo.

De loco videbatur quoque inter illos non convenire. Verum nihil eſt dubii, quin Roma Ciceronis municipio, Mimigardia Nunningii etſi eius præſentia Athenæ fiunt, claris ſedibus præferenda ſit. Fontem, qui in urbem deducit, is iubet eum illo exſilire, unde in plures ejus commoda manare poſſint. Et vero nonne iſtud eſt viro cordato ſemper attendendum, ut quam plurimis proſit? Quare ſi ego in conſilium adhiberer Coloniam mimigardiæ præferendam dicerem διὰ τὸ τὸ, τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας. Regeres forte; dandum eſſe aliquid ſolo patrio: regeram ego, viro forti, de Nunningii fortitudine non dubitas, Patriam eſſe omne ſolum. Conſilii mei rationes non recenſebo, obviæ ſunt. Unum hoc aſſero, ubiorum ſenatum ex facili eo promovendum, ut ædes Bibliothecæ præberet; & Bibliothecarii muneri Profeſſoris juris publici aut Hiſtoriarum officium & dignitatem juſto cum ſtipendio, perpetua lege annecteret: quod quantum ad ipſius Bibliothecæ ornamentum & incrementum

Digitized by Google

mentum eſſet collaturum, eſt pronum intelligere. Sed hæc nec dicta, nec ſcripta ſunto.

Non ego ſum is, de cujus ſuffragio magnopere laborandum ſit. Vbi viſum fuerit Ampliſſ. Nunningio theſaurum ſuum librarium deponere ibi optime depoſitum putabo: laudabo conſilium urbi applaudam atque armamentario literario ciceronianum illud appingam, *Addita mens urbi.* Ad leges quod attinet, videntur mihi aliqua addi, aliqua detrahi debere iis, quas Cohauſenus rogavit. Sed & iſtud Amico Communi Committendum, vel ipſi decem viri illi lege Regia poteſtatem Legislatoriam omnem deferant. Vale Roderici memor I. Dab. nono Cal. Jul. DCCXXX.

Joannis

Digitized by Google

Joannis Henrici Cohauſen

DISSERTATIO

De Sede plantarum anomala &c.

CAPVT I.

De geminis conchis fruticeſcentibus variisque illarum parallelis.

Niſi aliquando natura vel etiam caſus conchyliis inſereret aut in ea transplantaret varii generis utut inperveſtigabilis frutices eorumve ramuſculos, irritus foret omnis hic diſcurſus, Fateor quidem mihi in Celebrium medicorum ſcriptis per quinquaginta & quod excedit annos indefeſſo, ſtudio volutatis diverſa iſtiuſmodi plantanimalium, ſi ita appellare liceat, utpote ex animali teſta & vegetabili concretorum ectypa occurriſſe, ut ex adducendis parallelis pateſcet, ſed nunquam hactenus re ipſa fuiſſe objecta oculis præter gemina illa, quæ oſtendit Muſaeum Nunningianum. Inter quæ altera eſt Conchæ ſtriatæ valvula, cujus margini innatus dicam an adnatus Spectatur elegans ſubfruticulus, plurimis ramulis, majoribus minoribusque, arbuſculæ inſtar expanſus foliolorum tamen omni Spoliatus decore. Altera conchulæ lævis, albæ, rubedine leviuſculè tincta valvula, cujus parti convexæ unicus ſaltem cauliculus nulla ramificatione diſtinctus inſiſtit, de horum generatione aut fiendi modo de

Vegetantia poſcunt, nihil plane ineſt. Neque enim credibile videtur, concharum adhuc vitâ fruentium teſtis adnaſci, ut ex illarum ſucco glutinoſo nutriantur. Porrò accretioni hujus quam cauſam ſtatuemus, an peculiare ſemen, an fibrillam radicalem? ſed neutri in teſtam duriorem patet ingreſſus. Conſpicitur enim fruticulus potius ſuperficiei glutine quaſi quodam annexus, quàm fibrillis intromiſſis radicatus unde profectò longè alius de his conchylio-plantis formandus erit conceptus.

Veroſimile quis judicare poſſet Imò dari vegetantia, quæ ſine radicibus ſubjectis certis inhærere & creſcere valeant, adeoque non neceſſum eſſe, ut in ipſis Concharum poris per fibrillas radicentur fruticuli. Id quod pluribus obſervationibus videtur confirmari. Obſervavit *Olaus Borrichius* vir ſi quis alius in rerum naturalium indagine accuratiſſimus. Linum marinum ſive algam folio capillaceo radices ſuas in plano ſilice defixiſſe, quod ceu memoratu dignum *Actis Danicis* inſeruit Tom. I. Obſ. 59. ita quoque ad littora maris fucus marinus ſeu quercus marina frequentiſſime varii generis ſaxis adnaſictur quarum elegantiſſimas figuras exhibet *Tournefortius*

Andreas Libavius Tr. de ſuccino l. 5. c. 35. p. 707. refert ſe ſervaſſe tabulam ex minerali ferri lapide in qua affabre enata ſit ericá, ſed in lapidem poſtea converſa. Ex quibus ſaltem hoc conſequitur Vegetantia progerminare poſſe licet radicum ſuarum fibras, ſolidorum quibus innaſcuntur poris non intrudant, ſed ſi tantum illis pro fulcro

&

& quaſi pedamento utantur. Quod ad ſubfruticum in conchis productionem non difficulter applicari poteſt.

Neque ſecundò neceſſarium eſſe quis exiſtimare poſſet, ut germinantia ſuccum nutritium, ex ſubjectis quibus inſunt, eliciant, attrahant, inque trunci ſui fibras provehant, id quod certe momentoſis inductionibus probari poſſe videtur. Certum namque eſt, dari plantas, quæ neglecta pinguiori humo in ſiſtere amant vel ipſis ſtrictiſſimæ compagis ſilicibus, ùt jam de Coralliis memoravimus, ita quidem tenaciter, ac ſi illis viſco agglutinatis teneantur, absque eo quod ex illis utpote ſicciſſimis ac duriſſimis (quis enim ex pumice aquam.) Subſtantiæ nutritiæ aliquid exſpectare valeant. Supponendus igitur erit in ejusmodi vegetabilibus peculiaris quidam magnetiſſimus, & pori abſorbentes, quibus mediantibus ex aëre humidiori ambiente vel ejus fructibus rore & pluvia circumfuſis alimentum ſuſcipiant, ſive illud magnetice attractum, ſive ab incumbente aëris mole intruſum ſupponatur. Indubitatum namque eſt dari in aëre occultum quendam vitæ cibum, ut ſtatuit Cosmopolita, etiam pro plantis, ut variarum radices præſertim bulboſæ ad aërem ſuſpenſæ evidenter teſtantur. Radices ſquillæ, etiam in fruſta diſſectas & filo ad aërem pro exſiccatione ſuſpenſas etiam poſt aliquot menſes extrudiſſe & produxiſſe verſus extremitates bulbulos cum foliis porraceis, non ſemel docuit experientia. Teſtis eſt *Boccone Recherch. & Obſ. Nat. lettr. dix.* in Italia non eſſe rem extraordinariam videre aloën Africanam & ipſam ſquillam ex la-

queari ſuſpenſam ſpatio plurium annorum absque quod ab eo remota ſint, continuatim germinare, & folia floresque producere. Reliquerat idem in menſâ cubiculi ſui radices umbilici veneris & nardi montani, quæ poſt duos menſes progerminârunt, non aliter ac ſi terræ implantatæ fuiſſent. Memorabilius longe eſt quod memorat ramulum plantæ, quæ *Cluſio* dicitur Hemerocallis Valentina, & Capſulam maturam ſemine nigro plenam in apice habebat, libro inter duas paginas ad ſiccandum incluſum, & inter has ipſas capſula diſrupta germinâſſe & radiculam albam fibrillæ inſtar & folium viride gramini ſimile magnitudinis duarum Unciarum & dimidiæ protruſiſſe.

Ex quibus facienda conjectura, dari in aere corpuſcula, quæ plantis etiam terram non tangentibus cedant in nutritionem, & probabiliter idem fieri in plantulis ad conchas enatis, quarum vel ſemina vel etiam prima aliquando ſtamina ſucco glutinoſo (de quo ſequenti capite uberius) affixa ex aere nutrimentum & accrementum capiant.

CAPUT II.

De Fruticeſcentiæ in Conchis Origine, & Transplantationis Vegetabilium in conchas, lapides, ligna occaſione.

Elegans eſt Plinii l. 9. Nat. Hiſt. c. 2. aſſertum: *Vera eſt vulgi opinio quicquid naſcitur* in

in parte natura ulla, & in mari eſſe, præterque multa, quæ nusquam alibi. Notum eſt, & mare ſua producere & alere vegetabilia. Mare, *Parium*, quod novum orbem alluit, traditur tot herbis virentibus implicitum eſſe, ut navigari non poſſit obſidentibus retium more longiſſimis herbarum ramuſculis. Tantam enim illud pelagus pratorum refert ſimilitudinem, ut quo vertuntur ipſi fluctus, eodem germinibus omnibus converſis herbarum magis quam undarum videantur procellæ. Quænam vero illæ ſint herbarum Species, quæ Fruticum genera, Botanicorum nemo expoſuit. In mari rubro ſylvas virere, laurum maximè & olivam baccas ferentem, & fruticum ipſarum magnitudinem temorum eſſe cubitonem, Author eſt laudatus *Plinius l. 13. c. 25.* qui eodem reflectens l. 14. c. 25. *Naſcuntur* inquit *& in mari frutices. arboresque minores in noſtro, rubrum enim & totus orientis oceanus refertus eſt ſylvis.* In Mari Juſitanico etiam gigni quercus, quarum glande thynni veſcantur & pingueſcant, tradit *Polybius* & *Athenæus.* Dari quoque Salicem maritimam, quæ teſtis oſtreorum & ſaxis ſubmarinis innaſcatur, & ſic adhæreat, ut iis agglutinata, non radice fixa videatur, ſcribit *Rajus.* Innumeras alias plantarum Species in ipſo pelagi fundo & imis gurgitibus naſcentes, ſi notas muſcorum, fucorum, algarum, exceperis, humana nequit detegere induſtria; non conceditur namque per ampliſſima ſubmarina vireta ſpaciari ibidemque pullulantes plantas indagare, ſed eæ dumtaxat in notitiam venire poſſunt, quas vel æſtûs

 marini

marini reciprocatio detegit, vel undarum agitatio abrumpit & in littus expellit. Cum venti,

Incubuêre mari, totumque à ſedibus imis
Una Eurusque notusque ruunt, creberque procellis
Africus & vaſtos volvunt ad littora fluctus.

Virgil. Æneid. I.

Autopſia itaque docet ſub tempeſtuoſis oceani motibus non raro plantarum marinarum exuvias, & fruticum, ſtolones vi abripi, & vel ſcopulis, oſtracodermis, aliiſve in mari ſubmerſis rurſus alliſos veluti ſedi ac baſi adhæreſcere, & in ſpeciem arbuſculæ marinæ non abſimilem excreſcere vel etiam inter algas, aliasque littoris marini quisquilias una cum variis concharum teſtis ejici ac deponi, ubi nil facilius, quàm quod ex frutice ramuſculus aut conchylio aut lapidi aut ligno agglutinetur. Teſtatur namqué *Boccone*, fundum maris in eoque ſabulum & ſilices ſcopuloſque coopertos eſſe ſpecie glutinis ſeu viſcoſitatis materiæ unctuoſæ ſeu ſaponi, ſimilis quæ ipſi cauſa fuerit, Crebræ ſub greſſu vacillationis & caſûs maris fundum ejusque contenta ſub aquarum à Harwich refluxu curioſius viſitanti. De quo glutine cum Sale maris & productionem coralliorum & ortum multarum muſci maritimi & fuci marini ſpecierum magnam partem dependere judicat.

Ex qua è mari rejectaneorum conglutinatione orta quoque eſt fabula de arboribus conchiferis. Nam quoniam viſa ſunt oſtrea caſu quodam maritimis arboribus ejusmodi glutine conjuncta, hinc creditum eſt, Oſtrea in arboribus nata fuiſſe

Narrat

Narrat *Borellus* D. Groſſium Dominio *Puteano* Bibliothecario Regio donaſſe ramum quendam arboreum abſque foliis, ſunt enim tantum longi quaſi cauliculi (hos imitari videtur conchulæ noſtræ ſubfruticulus) & in uniuscujusque apice fuiſſe conchulam: quos tamen in iis natas nemo dixerit, niſi tria naturæ regna velis confundere.

Nam tam à natura alienum eſt, ut oſtrea ex ſe producant fruticem, quàm arbor conchas, & hæ generent anates. Unde concha anatifera, & arbor conchifera, & concha fruticigena ad idem prædicamentum pertinent.

Docet experientia, ſæpe varia hinc inde in oceani littoribus reperiri fragmenta ſubmerſorum malorum nauſicorum, qui ſunt abietis vel picei, reſinâ abundantium. Horum lignis ſucceſſu temporis à carie exoſis in foramina ſe inſinuat & radicatur alga ſeu gramen marinum, cui demum filamentis quibusdam piloſis ſeu muſcoſis interveniente & viſcoſa maris & ligni pinguedine ad ſingulas extremitates adhæreſcunt conchulæ. Ex quibus inductionibus elucere puto, quomodo pariter ex deciduis aut vento abreptis fruticum ramuſculis varii quandoque conchis adnecti valeant, qui non tam illis in-aut adnati, quàm maris visco agglutinati cenſeri debent. Ut de *ſalice marina* jam ante diximus, teſtis oſtreorum agglutinatâ, non radice defixâ, ut & de *Androſace Matthioli* concharum ſtriatarum gibbis ſcopulisve ſtaminibus tenuiſſimis adhærente. Quemadmodum & de *fuco maritimo* ſeu quercu maritima tradunt curioſi ſcriptores, eam nullis ra-

foliata. Quamvis necdum certum ſit, hoſce fruticulos foliis unquam viruiſſe, cum illorum nullum appareat veſtigium & *Plinius*, teſtis ſit frutices in alto dari corallio ſimiles ſine foliis. Quod autem in illis & nulla obſervetur radix, neſcio an non referre debeam cum eodem, Protophyſico *ad rerum miracula eorumque ordinem, in quibus vel maximum eſt, aliquid naſci aut vivere ſine ullà radice.* Hiſtor. Nat. L. 19. c. 2.

Opponet fortè hic nonnemo, ſi frutices hæ radice carent, etiam ſemine deſtituentur. Repono illis tamen in primo illarum ortu adfuiſſe quid analogum, quod illius vires ſuppleverit, quod ſuperius appellavi Auram ſpiritualem, cum in hac & non in corporis craſſioris condo, virtus rerum productiva conſiſtat. *Bocconi* alia arridet ratio, cujus conjectura eſt, in plurimis ſpeciebus fuci, corallinarum mollium, & muſci marini in *ſilici*bus conchis aut lignis in mari affixis principium ſeminiale ſimile eſſe cuidam ſpecirei bituminis vel ceræ liquatæ guttulæ vel glutini, quod ſuper lapidis aut conchæ ſuperficiem ſe effundat & loco radicis ſerviat. Putat quoque ſi methodo & operatione chymica ex plantis maritimis, qualis eſt quercus Marina *Cluſii*, Sal, oleum, Aqua, terra extraherentur, longe alia quàm in plantis terreſtribus emerſura principia conſtituentia.

Superſedeo nunc alia referre problemata de eiusmodi fruticum ortu & in conchis radicatione apud me orta, ratus ſufficere haſce in re adhuc incerta, & in hac præprimis arida materia conjecturas, quibus an quid, iudicii ſolidi, aut veritatis inſit ſucculentæ, ſenſatiores judicent. Pro-

gredior

Digitized by Google

gredior nunc ad plantarum è regno proprio ad alienum animale transmigrationes.

CAPUT III.

De admirando plantarum ortu, aut metaſtaſi in corpora animalium.

Poſſet hic ſtatim in limine Curioſa moveri quæſtio, num corpus animale fundus ſit commodus aptusve, in quem vegetabilia naturâ ſeu arte transplantari & ſuccreſcere valeant. Sententiæ huic, ſi viveret, dubio procul ſubſcriberet *Borellus*, qui *Centuria* 1. *Obſ.* 10. in ſcenam producit puellam toto corpore hirſutam, quod arte factum eſſe credit, Corpus nempe puellæ epiſpaſtico quodam medicamento excoriatum poſtea ſerico cannabi vel lino crudis tectum fuiſſe, quæ inde ſuccreverint, ſic autumat in quadrupedibus fieri poſſe ſenii transplantationem. Ridet hæc merito celeberrimus Lentilius. Nam hac ratione etiam homines lanigeros efficere nil prohibebit, modo excoriatum epipastico corpus lanâ ovilla tenerâ tegatur. Novum hercule Ovium, ſed valde fructuoſum genus. Sic enim qui alunt mancipia, gregem Ovium eâdem opera alere, homineſque tondere poterunt.

Verùm apage nugas. Tranſeamus ad ipſam experientiam quæ docuit animantium quoque corporibus non raro innaſci vegetantia. Repetam primum antiquiſſimum illud ex *Ariſtotele* l. IX. Hiſtor. c. 5. & *Theophraſto* l. 2. de cauſ. plantarum, perhibentibus Hederam inter cornua

cervi

cervi enatam fuiſſe. Cui hanc notam addit *Libavius*: Non erat ſimile quid hederæ ſed hedera. Nam inſitio in truncos alienos, non facit æquivocas arbores, ſed easdem ſpecie, cujus erat ſurculus vel ſemen: Facti veritatem à dubio eximit Relatio Cl. *Paullini* ex Breviario Inſulano Monaſterii Corbeienſis ubi Numero 42. narratur circa annum MCLXXX. *Sigebodo de Snakenburg* viſum eſſe in Lotharingia Cervum captum, cui inter cornua è capite elegans chamomilla cum floribus ſuavem exhalans odorem fuerat enata. *Cynogr. Cur. ſect.* 4. *c.* 5. §. 1.

Judicare quis poſſet Cervum illum Ariſtotelis Hederæ, & hunc Lotharingicum chamomillæ inſignem fuiſſe liguritorem, quarum cum ſeminibus devoratarum vis ſeminalis germinativa non penitus fuerit extincta, ſimilem plantam potuerit producere. Singularis namque in cervo energiæ vegetantis indicium ſatis præbent Cornua ramoſa quot annis decidua & renaſcentia, quæ proin jure appellantur plantanimalia. Conſtant enim partim materiâ oſteâ, partim ligneâ, ideoque ramos æmulantur, deciduntque annuè ob proprietatem frondium, quarum prima germina Cervus Vere novo depaſcitur. Horum vita media & vis germinatrix in cervum tranſplantata ex materia cornua anomalum quid quaſi fruticeſcens producit. Hederæ & chamomillæ cum ſuis baccis & ſeminibus devoratarum vis ſeminalis regerminans pertinet ad myſterium reſurrectionis rerum de quo fuſius & elegantiſſime *Jo. Tackius* pertractavit. Quamvis *Plinius* ſtatuat hederam in cornibus cervorum viridantem fuiſſe, ſaltem ex attritu

arborum, quibus illa innata. Quod tamen rei fundamentum non explicat.

Jacobus Cocus M.D. vidit in Polonia canem, cui è regione ſiniſtri renis plantula fumariæ ſimillima creverat, teſte prælaudato *Paullini Tr. de Salv.* ſect. 1. c. 4. §. 6. R.P. *Athanaſius Kircherus in chin. illuſtrata part.* 2. *c.* 5. alium vegetabilis in peregrina ſede germinantis caſum memorat, contigiſſe nempe non ante multos annos in India ut inſignis Elephas Regi præprimis charus arundinum eſu ſtomachum ita oneráſſet, ut gravem inde infirmitatem incurrerit, in qua Medici ſolitis ſuis medicamentis curaturi nihil profecerint. Bellua interim proboſcide intra fauces adacta apertè ſibi aliquid in Ventriculo latere demonſtrare videbatur, quod Medicus Europæus advertens brachio in ejus fauces adacto, belluâ id haud illubenter permittente invenit arundinem in fundo ſtomachi radicatam in folia effloruiſſe. Unde materiam prius catharticis magnæ efficaciæ medicamentis præparatam, tandem radicitus evulſam, foliis virentibus conſpicuam extraxit, & priſtinæ ſanitati reſtituit elephantem. Ex quo pateſcit vim vegetantium ſeminalem etiam in ſedibus peregrinis nunquam feriari, modò ſuccus nutritius adſit & calor, quorum neutrum in belluæ ventriculo deficiebat.

Minutiæ hæ ſunt inquies, non diffiteor, magna tamen ſunt naturæ miracula. Dicam quid exilius ſeu potius majus. Enatam herbulam quaſi ſempervivum minus cum duodecim caulibus è cranio apis enatam vidit & invenit *Borellus*, quod Cent. i. Obſ. 10. his verbis enarrat: Dum curio-

ſitatis

ſitatis gratiâ apum labores contemplarer, unam vidi quaſi ſerto floſculorum coronatam, adeo ut ejus oculi & os ſerto illo flavo tegerentur, & neſciret, quo tenderet. Hanc accepi & vidi, multisque illam oſtendi herbulam, quaſi ſempervivum minus cum duodecim cauticulis è cranio apis ortum duxiſſe, hanc adhuc ſervo, ut increduli convincantur addit rationem, quod ſemper floribus nutriatur. Si conſideres, quantillum ſit apis cranium, facile iſtius herbulæ magnitudinem conjicies. à *Borello* verò allata ratio phyſicorum nemini ſatisfaciet; nam quis explicabit, quod melleus ex floribus Succus ejusmodi herbulæ botanicis hactenus ignotam ſpeciem produxerit, & cur non ſæpius inter tot apum Myriades tale phœnomenon obſervetur.

Pergo à terreſtribus ad aquatilia, nam ab his diſcurſûs noſtri fuit exordium, inter quæ pariter Vegetabilium productiones aut tranſitus ſunt, quos mirêre magis, quam explices. Cl. *Franciſcus Paullini* jam ſupra laudatus pro ea, qua fuit in rebus quibuscunque rarioribus annotandis curioſitate in obſervationibus Medico-Phyſicis ſelectis & curioſis obſ. 113. ſequentia recenſet.

Avunculus Ejus aliquando cœpit veterem undecim fere librarum carpionem, è cujus capite ruta nata erat. Quod cum in illuſtri Salana *M. Thomæ Sagittario* Poetæ laureato & phyſicæ P.P. referret, hic reſcripſit anno 1600. magnum gammarum jenæ eſſe captum, in cujus dorſo anagallis flore Cæruleo floruerit radiculis altè infixis, & Salfeldiæ ſe vidiſſe Lucium ſatis ponderoſum, cujus caudæ adnata erat fumaria, imò habuiſſe

ranam,

ranam, cujus corpus à piloſella innata totum fuerit inumbratum. Addit alium virum curioſum in capite ovis verum abſinthium montanum cum ſemine vidiſſe & guſtaſſe, ſe autem 1664. Hamburgi vidiſſe lucium, è cujus capite fuerat nata Anſerina. Hæc narrat Poëta ſed tamen Laureatus, Magnæ authoritatis viro *Paullini*, ne de veritate dubites.

Qui de his ambigit, quomodo credet ingentes viſas balænas dorſo viridi, & herbis undiquaque conſitas, ut nautæ has inſulas eſſe rati fixatis per anchoram ratibus in eas deſcenderint, tuguriola dorſis ignemque ſuperſtruentes donec calore penetrante vivas haſce inſulas ſe movere animadvertentes, attoniti maturatâ fugâ in ſecuriora navium clauſtra ſe reciperent. Horum ratio quidem obſcurior eſt. Diximus tamen in maris fundo exuberare largiſſimo proventu herbas, certum quoque eſt genus cetoſum illis veſci, quod illius evincunt inteſtina herbis referta, nec enim quicquam aliud in iis obſervatum eſt. Harum virtute balænarum cruorem imbutum, & vi ſeminali non penitus conſumpta per univerſum corporis poroſum habitum varia producere poſſe vegetantia forte illi non abſurdum videbitur, qui perpendit hujus belluæ & lympham pinguiorem, & actualem, quo præ cœteris piſcibus gaudet, calorem ingens ſymbolum ad illorum generationem contribuere. Quare autem Lucii caudæ fumaria & alterius capiti anſerina, & gammaro anagallis, & carpioni ruta, & ranæ piloſella advel innata fuerit, fateor me cauſam neſcire, niſi quis ex allato principio eandem velit arceſſere.

Unde humana, quæ ſeſe ita inflat, ſcientia, quam vel in minimis cœcutiat, pronum eſt colligere.

Si hæc forte non arrideat, alia ex ipſis vegetantium ſeminibus corporis balænici laxiores poros facilé ſubintrantibus erit petenda ratio. Si enim bufonis ſeminale miaſma intra dorſi humani poros mediante induſio infecto inſinuatum bufonem vivum potuit in virgine duácenſi generare, ut narrat P. *Kircherus* in ſcrutinio Peſtis; Si pediculorum ovula per poros ſubtus cutem delata integros ſextupedum phalanges ſuſcitant in phthiriaſi, quis in balænarum dorſis viridaria ex herbarum ſubmarinarum prognata ſeminibus in dubium vocabit?

CAPUT IV.

De miro Plantarum in corpora humana commeatu.

Ab animalibus tranſeo ad eorum principem. Indidit antiquitas homini ſuperbum microcoſmi titulum, eo quod ſit mundanæ fabricæ compendium, in quod ceu in alteram Pandoram dives univerſæ naturæ ſuppellex, omniaque ſuperiorum inferiorumque munera confluxerint. Groſſior vero illorum eſt intellectus, qui ideo hominem microcoſmum appellatum volunt, quod omnia, quæ in majori mundo etiam in hoc minori reperiantur. Quæ ſéntentia quot poſt ſe trahat abſurda, nemo non videt, Quis enim in homine unquam Conſpexit natum Rhinocerotem, quis

Digitized by Google

quis bovem, quis urſum? quamvis animi affectu & moribus illos queat repræſentare, boare voce, naſi ſannis rhinocerotem, petuliâ laſciviâ urſum agere. Ridebitur ſane, qui dixerit, pyra & poma in homine nata ſe legiſſe. Si quis etiam cuipiam retulerit in corpore humano poſſe naſci radices, progerminare herbas, propullulare flores, nunquid ſibi pariter fabulas narrari putabit? interim tamen hoc non eſſe adynaton, ſequentia exempla fidem facient.

Quid mirabilius, quam naſus hominis floreſcens, quam guttur humanum fruticeſcens? Fruticem ex collo mulieris excreviſſe narrat *Kergerus* Tr. de fermentatione ſect. 1. Cap. 6. ſpicam farris Aretii mulieri é naſo excreviſſe refert *Euſebius Nierenbergius* in Hiſtoria naturali, qui pariter recenſet fuiſſe virum, in cujus ore, naſo ac auribus floſculi enati ſint. Non addit quales fuerint, ad quam claſſem pertinuerint, aut num novæ extiterint ſpeciei flores hi microcoſmici, quod curioſis lumen addere potuiſſet ad mirandi hujus phœnomeni inveſtigandas cauſas. Vidit D. *Braſſieus* medicus ſpagyricus referente *Borello* cent. 4. obſ. 100 circa urbem Granati virum qui naſum omnino inſtar ſempervivi habebat cui folia apparebant, & aliam in tumore digiti indicis glandulam, quæ aperta ſe ſe explicavit in formam roſæ centifoliæ, quod à ſpina roſæ infixa provenire potuiſſe cenſet. Sicuti nunc de Prunulo referemus.

Memoratu digna eſt hiſtoria Paſtoris Tarraconenſis, in vita *Peireskii* magni Doctorum & curioſorum Mecaenatis relata, & ne fidem dero-

ges, à Viris magnæ authoritatis, quos non eſt ſupponendum narrare nugas, nempe Petro *Borello* l. c. *Phil. Jacob. ſachſio* à Lewenheim Gammarolog. Sect. I. v. 9. §. 5. & *P. Athanaſio Kirchero* mund. ſubterr. tom 2. l. 12. ſect. I. c. 8. in veritatis teſtimonium fideliter repetita.

Homo hic autumnali tempore ex arbore inter ſpineta lapſus multo tempore male ſentiebat inter coſtas, quo non tantopere curato ſpina ad ſternum implantata per biennium ſic radices egit, ut circa vernum tempus magis accreſcens rupto tubere, quid ramoſum, & tandem plantæ perfectæ rudimentum excreſceret tanto incremento, ut æſtivo tempore quot annis luxuriantem propaginem forfice tondere neceſſe fuerit. In qua etiam flores & fructus (prunulus enim erat) viſi ſunt, quos dono ſe accepiſſe teſtatur *Peireſkius*. Tentatum ſæpius fuit quà ſcarificationibus quà inciſionibus radicem plantæ extirpare, Sed conatu plane fruſtraneo. Radices enim non tantum per coſtas, ſed & per coxam ipſam usque in femur ſe diffuderunt, donec tandem radice muſculis tendinibusque implicata mortem homini intulerit, locum hic vere habet quod olim *Maſſaus* cecinit libro de lymphis pugianis.

Naſcitur in plantis alieno ſemine planta,
Humano mirum viguere in corpore plantæ.

Nulla in mirandis his naturæ phœnomenis eſt implicantia, cum in corpore humano ſit ſuccus blandus, ſeu lympha nutritia, quæ ejusmodi implantato vegetabili uberrimum pro accremento

mento nutrimentum exhibere, & calor corporis proportionatus, qui diffuſam iſtam per artus propaginem facillime promovere potuit. Unde neç pro fabula habendum, quod D. *la mothe le Vayer* in opuſculis ſuis narrat de homine ſylveſtri, qui per univerſum corpus muſco luxuriante fuit veſtitus.

Paradoxum nemini videri debet, quod non tantum in ſuperficie corporis humani, ſed intra quoque ejus viſcera vegetantia progerminare valeant. Sic enim culmum hordei in veſica cujusdam dyſuria laborantis enatum eſſe jam *Plutarchus* lib. VII. ſymp. qu. 9. retulit. Spinam in corpore germinantem commemorat *Licetus de ſpont. viventium ortu.* tantum nempe abeſt, ut ventriculus rerum ſemina ſemper extinguat, ut etiam ad laetiorem proventum aliquando diſponat. Ita Oſſa perſicorum à cane ceraſorum ab homine, melonum ſemina à paſſere, grana ſambuci à pica comeſta non corrumpuntur ſed lætiſſimé proveniunt. Baccæ viſci quercini non niſi prævia in ventriculis avium digeſtione & quaſi maturatione in variis arboribus depoſitæ ſuccreſcunt, ut pluribus infra oſtendemus. Refert Cl. *Bonetus in Med. Septentr. l. 3. ſect. 12. c. 14.* ſe ruſtico de inſigni nauſea & inappetentia, crebrisque lipothimiis recurrentibus conquerenti exhibuiſſe emeticum, quo excluſa fuerint tria prunorum oſſicula recluſis nucleis jam germinantia quibus evacuatis æger ſenſim convaluit. Vegetabilium ſemina vel partes vi propagativa donatas ab externis corporis partibus ſuſceptas non improbabile eſt ex humido animali per transpirationem exudante nutrimen-

trimentum & accrementum ut in dicto Fauno, ſuſcipere poſſe, immiſſis intra poros radicularum minimis ſtaminulis, maxime, ſecundante principio vitali, quod vel in ipſis animalium excrementis reſtitans agnovit *Ariſtoteles l.* 3. de generat. animal. c. 3. Quod vero intra corpus non frequentiores ſint ejusmodi progerminationes, debetur tum motui ventriculi et inteſtinorum periſtaltico, qui non longam ſeminibus aut nucleis admiſſis moram in hiſce cavitatibus permittit, tum bili, quæ quatenus ſuccus eſt oleoſo-ſaponaceo-amaricans nutrimentum, quod plantæ exigunt aqueo-inſipidum, aut ſaltem leviſſime nitroſum vitiat illisque alendis ineptum reddit. Unde in libro Batrachiorum 2. c. 15. *libavius comedimus* inquit *ſemina plantarum cruda & homines & beſtia, ſed nulla unquam ætas vidit inde in ventre natam plantam. Cum hauriuntur cruda ova fœcundaque avium, quis dicere poteſt unquam inde in corpore humano avem genitam?* verum etſi prius concedamus, non tamen id probatur per allatam ſimilitudinem. Si enim exempla docent in ventriculo humano & canes & feles generari potuiſſe, cur non ovum avis fœcundum integre & cum teſta deglutitione in ſtomachum demiſſum, ſuppoſito ſaltem ejus proportionato & non excedente calore, excludi poſſet, niſi quis cum modernis mechanicis ex potenti Ventriculi trituratione ovi mox conterendi, totiusque inde interioris partium ſitus ad pulli generationem neceſſarii deſtruendi neceſſitatem inferat, quod tamen in ventriculo mechanicæ triturationis commentum filius meus in Diſſertatione ſua Inaugurali ſatis evidenter refutavit.

Si

Si quis vero cruda avium ova, utut fœcunda quod vult *Libavius*, ex teſtis hauriat, non mirum, nullam generari avem, cum vel ſola ovi adhuc integri concuſſio idem ſterile efficiat, multo magis albuminis & vitelli ſub aſſumptione confuſanea miſcella. Sed hæc per parentheſin.

CAPUT V.

De plantarum in corporibus mortuis & inprimis de Uſneæ in Craniis humanis proventu.

Corporis viventis partes inprimis cranium humanum non omnem mox cum vita exuere ſuccum vegetantem vero conſentaneum eſt, unde varia plantarum genera in hoc præcipue amant radicari. Non memorabo curioſum illud & aſpectu gratum hominis cranium olim à Coralliorum piſcatoribus e mari extractam, in quo lithodendron corallinum inſtar arboris elegantiſſimæ radices fixiſſe conſpicitur, quod adhuc hodiedum Magni Ducis Hetruriæ Techniotheca, Piſis oſtendit, ut Bartholinus in Actis Dan. tom. 1. obſ. 3. aliique plures, qui idipſum viderunt, atteſtantur. Adducam ſaltem, quod in Breviario rerum Memorabilium Iſibordi ab Amelunuen Monachi quondam Corbejenſis à Cl. *Paullini* publicato Num. *66.* refertur, elegantiſſimam Verbenam cum flore in abjecta calvaria enatam viſam fuiſſe, nec minus quod idem Tr. de ſacra herba ſive ſalvia meminit in calvaria furis ſuſpen-

ſi aquilegiam cum floribus ab ejus amico fuiſſe deprehenſam.

Martinus Bernardus à Berniz ſer. Poloniæ Regis Joannis Caſimiri Archiater aliquando cum hoc ſuo Domino fallendi temporis gratia circum ambulans & templum antiquum inſpiciens in pervetuſto muro invenit Cranium humanum ante longum tempus illic repoſitum, quod non ſolum muſco cruſtaceo in diverſis hinc inde locis obſeſſum erat, ſed cui ex ipſa ſutura mendoſa oſſis temporalis ſeu ſquammoſi dextri lateris excreverat planta delicatiſſima, nempe ruta muraria ita jucunda aſpectu, ut omnes, qui eam poſtea viderunt, mirarentur cujus Ectypon longe elegantiſſimum in tabula Curioſorum oculis ſiſtit in Ephem. Germ. Cur. Decad. 1. ann. 2. obſ. 53. *D. Jo. Chemnitius* in Indice plantarum circa Brunſwigam creſcentium ſcribit ſe vidiſſe octo ſimul militum in prælio Cæſareo. Danicco occiſorum Crania; quæ annos ſeptemdecim in ſylva vicina, delituerant, uſnea undique obtecta mitto plura hujus commatis exempla, cum allata veritati adſtruendæ ſufficiant, & hac occaſione ſaltem pauca de Uſnea microcoſmi, ſeu de cranii humani Muſco ſubjungam. Communis eſt opinio, hunc in calvariis ſuſpenſorum, Rota contuſorum aut alia quamcunque violentâ morte peremptorum, quando libero cœlo, ventis pluviis radiisque ſolaribus lunaribusque exponuntur, tractu temporis enaſci, creduntque hunc cerebri calore ſolis quaſi eliquati & per cranii emolliti poros tranſudantis fructum eſſe, quem proin Paracel-

racelſus Cranii florem appellat, in quo ejus aſſeclæ ſtupendas prorſus vires ad ſuperſtitutionem usque deprædicant, de quibus hic longum tenere ſermonem, extra ſphæram hujus Diſſertationis foret. Hoc ſolum notari meretur, uſneam illam humanam paſſim duplicem reperiri, aliam villoſam & herbaceam, quoniam ex parvis filamentis herbaceis in forma muſci tegulis accreſcentis conſtat, qualis maxime in craniis terra locisque humidioribus depoſitis invenitur: Alteram cruſtaceam illi perſimilem, quæ in ſaxis & lapidibus campeſtribus per loca inculta apparet, & à Botanicis lichen Saxatilis ſeu lichen petrea appellatur.

Mira Helmontii de generatione Uſneæ in Cranio eſt ſententia. Duplicem illi ortum aſſignat, & ex Medulla mumiali Cranii, & cœleſtium orbita-unde uſneam Cœlo ſatam vocat. Statuit uſneæ ſemen magneticum cœlitus ſuper cranium depluere, & ex cerebri intra cranium liqueſcentis irroratione continua ſuccreſcere, unde inſignes & ſupra vulgarem vegetabilium ſortem poteſtates aſtrales & magneticæ in illa contineantur.

Notum eſt in Hiſtoria literaria verſatis, quâs perſecutiones à Clero non poſtremi ordinis ob tractatum de magnetica vulnerum curatione editum paſſus fuerit Helmontius, quæ ipſi multis imperialium millibus conſtiterunt. Putabant nempe in eo conſiſtere ſuperſtitionem, quod Goclenius aliique unguenti armarii artifices uſneæ herbulam ſaltem ex Cranio hominis trium literarum eligerent, quam opinionem in dicto tractatu §. 41.

hiſce

hiſce verbis refutavit. Nec eſt ſane quod hic putaveris unquam in herba ſuperſtitionis vanitatem latere. Nam etſi jeſuita ſuspendio alioque martyrio enectus ad ſiderum influxum & obedientiam exſiccari relinquatur, ejus caput conſimile furis Cranio uſneam oriundam peræque utilem & ſimul corradendam exhibebit.

Verum nulla adducitur ratio ut credamus ſemen uſneæ cœlitus ſuper cranium depluere cum nullo conſtet experimento ex tam raro ac ſubtili, imo ſiderum ſemine usneam hanc progigni. Forte non penitus explodenda eſt Petri *Guiſonii* galli ſententia in Epiſtola ad Bocconem, qui muſci cranio humano adnaſcentis cauſam judicat eſſe ſalem Volatilem de genere armoniaci, qui multiplicibus corporis digeſtionibus atque filtrationibus exaltatus factusque ſubtilis una cum penetrantibus humoribus tum medullæ cerebralis poros tum calvariæ pervadit, illique tenutum *adinſtar* crinium adnaſcitur.

Sed cum Uſnea humana inſtar plurium aliorum muſcorum terreſtrium & arboreorum ſit plane ſterilis & aſperma nam nullum in ea ſemen hactenus detectum & obſervatum fuit, fruſtra ad ſemen aliquod Cœlitus delapſum recurritur, cur enim illa majori quam cœteri muſci privilegio gaudeat? cur magis ſuper cranium humanum quam bovinum aut equinum cœlorum decidant influentiæ? cur illa magis ex aſtrorum influxu quam cœteri generetur? mirum quod non ſublimi muſci ſtellaris nomine fuerit inſignita] jactitatæ illæ, poteſtates Aſtrales potius in cerebro Medicorum ſympatheticorum ſatis vivido, quam in ſuſpenſorum calvaria

varia liqueſcente natæ videntur. *Rajus* illi ſuper vulgarem vegetabilium ſortem nil ſpeciale tribuit, nec putat eſſe ſpeciem muſci ab aliis diſtinctam, ſed muſco arboreo cruſtaceo congenerem. neque etiam virtus alia, quam ut in cœteris, hæmoſtatica in illa deprehenditur. Cui porro magnetiſmum unguenti armarii artifices affinxerunt, phantaſia magis, quam virtute ejus innata operante. Facile eſt rebus etiam vilibus ſpecioſos titulos & vires magis quam naturales addere. Exemplo patebit veritas in Muſco parallelo, nempe muſco illo, qui ſtatim poſt pluvias oritur, in herbidis ſatorum marginibus, in iis præcipuè, quæ ſolem orientem ſpectant, & cito iterum exſiccatur, licet pinguedine gaudeat: unde juſtâ denominatione à Botanicis Monſpelientibus ſaltem *muſcus*] *fugax membranaceus pinguis* appellatur. Quia tam ſubitanea hujus ſine ſemine ex ſola quaſi aqua pluvia univerſali ut putant ſpiritu impraegnatâ generatio videtur, mira de iſto narrant Chymici, & modo ſolis florem, modo lunæ ſputum vocant, aliisque cœleſtibus nominibus decorant, & vegetabilis naturæ principium ac radicem continere arbitrantur. Mirum, ſi non propterea quidam illum pro ſubjecto univerſali ad extrahendum ſophorum Mercurium habeant.

Verum enim verò nec hominum opinio, nec tituli rebus Excellentiæ quid addunt, ideo tametſi u. s. n. e. a. per acroſtichin appellaretur. *Vera ſuperioris Naturæ Energia Aſtralis*, manebit tamen muſcus terreſtris, nec unquam evadet cœleſtis, licet cranium humanum ſol ungat

&

& riget jupiter, & omnis aſtrorum athmoſphœra illud circumambiat. Unde vere quidem Helmontius ſtatuit uſneam in cranio furis enatam, non habere aut virtutem majorem aut prærogativam præ illa, quæ forte in capite Jeſuitæ in India martyris enaſcitur, verum neque huic neque illi vires præſtantiores, magneticas tribuendas exiſtimavero, ſi forte raritas illi pretium addat, putarem illi longe præferendum muſcum copioſum ſatisque longum, quem è cute capitis Carpionis enatum vidit, *De. Jo. Solegrius* Botanicus peritiſſimus ut refertur in Eph. Germ. cur. Decad. 1. ann. 2. obſ. 53.

Cœterum ſi huic Cranii flori, ut eum in ſua Alchymia appellat *Libavius*, tanta inſit efficatia, neſcio cur et aliam ex cœteris oſſibus humanis defunctorum quandoque effloreſcentem uſneam, qualem in angulo quodam cœmeterii collegit *Hildánus* in cent. 3. obſ. 38. collegit, non aliquo etiam in pretio habendam putent. Solidè namque judicat Magnæ Authoritatis Polonicus Archiater D. *Martinus Bernardus à Bernitz* Eph. G. cur. ann. 2. obſ. 53. in defectu uſneæ ex capitibus ſuſpenſorum eligendam illam, quæ in cœmiterio aliquando in oſſibus demortuorum vel etiam illam, quæ in tegulis creſcit, item uſneam, quæ in ramis ſeu truncis antiquis prunorum ſylveſtrium & acidorum adhæreſcere ſolet eligendam eſſe. Sed an ſuper has etiam cecidit ſemen illud cœleſte, an tanta cœlo cura influentiis ſuis in oſſibus mortuorum generare uſneam. Credo quod hoc illi ſibi perſuadeant, qui illam

ſive

Digitized by Google

ſive pro confectione unguenti armarii ſive ad alios uſus tam internos quam externos colligi volunt luna creſcente & in fauſta domo exiſtente, ſcilicet veneris, ſi fieri poſſit, non martis aut Saturni, unde & *Sennertus* L. 5. part. 4. c. 24. Med. Pract. ex libello publice impreſſo ſcribit, usneam die veneris ante ſolis exortum ex hominis ſuſpenſi vel rotâ necati cranio cum certis precibus deradendam eſſe, quod illicitam ſuperſtitionem ſapere manifeſtum eſt.

Si Praxis reſpondet, quam Amicus Laudato *Bernizio* jurando confirmavit, ſæpius probatam, quod hic muſcus brevi tempore & quidem in copia acquiratur, ſi calvaria hominis primò oleo olivarum bene inuncta in loco ſylveſtri ſuper lapides antiquos tali muſco cruſtaceo infectos (qui in campis deſertis aliquando in unum cumulum collecti inveniuntur) ponatur, & per annum in illis quieſcere permittatur, ſicuti alii meliorem adhuc ſucceſſum ſperantes muſcum in tegulis & lapidibus collectum cum aqua pluviali ſeu rore commiſcent, & calvariæ inſtillant, ac poſtea ſupra murum in loco altiori & quietiori ad aliquot annos reponunt. Hic certè uſneæ ſemen de cœlo non cadet in agrum Calvariæ, (quæ allegoria eſt Helmontii) oleo inunctum, ut flores cœleſtes emergant, neque his incrementum, accedet, ex medullis mumialibus Cranii humani, & quæ dudum putredine corruptæ exaruerunt.

Si ipſius Helmontii ſententia ſubtilius examinetur, patebit uſneæ Cranii humani præ cœteris muſcis

muſcis non competere prærogativam, quod nempe omnes hæ unicum agnoſcunt parentem, & eodem ſemine progerminentur. Quod ex ejus textu Tr. de Magnet. Vuln. curatione §. 42. colligitur: verba ſunt: *Uſnea ſemen de cœlo cadit in agrum calvariæ, interdum enim ſpuma pluit, quæ aurora dicitur: ſubinde mucilago tenacior, quæ ſperma ſiderum vocatur, decidit - - non rarò quoque in lapides & oſſa incumbit alba & bituminoſa ſubſtantia, cœlitus demiſſa, quæ usnea fit. Hæc alibi cruſtam lapidibus inducit, ubi lapideſcit, et alibi in muſcum degenerat.* Univoca ergo uſneæ microcoſmicæ, cum cœteris muſcis etiam lapideis generatio ex mucilagine ſeu alba & bituminoſa ſubſtantia cœlitus, id eſt ex âere, ubi noſtoch ros, aliique aeris fructus generantur, delapſa ſatis oſtendit, ut nec cranio, ſic nec ejus uſneæ quid virtutis cœleſtis magneticæ ineſſe. Quod ſufficit ad publicé explodendam illam in foro medico de hac cranii plantula pſeudoxiam.

CAPVT VI.

De plantarum in locis, in quibus antea nunquam viſæ, fortuito & ſpontaneo proventu.

Non omnia in omnibus locis naſci, nec translata vivere in comperto eſt; quod ut eleganter more ſuo ſcribit *Plinius*, alias faſtidio, alias contumacia, ſæpius imbecillitate eorum, quæ transferuntur evenit, alias cœlo invidente alias ſolo

ſolo repugnante. Oportet igitur ut non invitæ ſive ſponte tranſeant. Quare in opinione erant Gentiles, ipſas arbores plerumque exorari, ut vivant, atque transmigrent, aliquando & à ſolo impetrari, ut alienas alat advenasque nutriat, cœlum nullo modo flecti. Oſtendam igitur quomodo & quâ occaſione Vegetabilia ſæpius in peregrinas ſedes abeant.

Ingenioſiſſimus *Honoratus Faber* de plantis l. 2. §. 99. refert, ſi gleba è terra educta diverſimode uratur ac præparetur, diverſas plantas germinare, idque ſæpius ſe expertum, eo quod diverſa partium reſolutio ex diverſa uſtione ſequatur, & ex diverſa reſolutione diverſa ſeminum eductio, pororumque laxatio hincque materiæ præparatio, maceratio, diſpoſitio, dum diverſus plexus partium diverſum colum aliamque ſucci filtrationem facit. Explicari quidem juxta hanc hypotheſin poſſet, quomodo nonnullæ plantæ quandoque in alias degenerent, ſed quomodo in terra peruſta, in qua nulla ſeminum relinquuntur veſtigia, novarum herbarum fieri poſſit proventus, valde eſt obſcurum. Interim tamen experientia hæc videtur firmo ſtare talo. Jam enim *Theophraſtus* l. 2. de plantis c. 4. teſtatus eſt oleam ad radicem exuſtam poſt iterum germinare. Clarius tamen veritas ex recentioribus exemplis elucet.

Narrat J. *Rudolphus Jacob. Camerarius* Eph. Germ. Cur. Decad. 3. ann. 5. obſ. 17. poſt conflagrationem Kirchemii oppidi Adiantum Aureum inſigni copia ſuccreſcens omnia laté in abundantia

dantia occupâſſe. Cauſam refert ad inſenſibiliter diſperſa primæva germina extraordinario caloris & humoris fotu exitata & evoluta, per quæ quid velit indicare, non explicat. Cum enim vulcanus ſit mors in natura, rerum ſemina penitus extinguens, quomodo ex iis inſenſibiliter reſiduis nova erit deducenda regerminatio? niſi quis ex herbæ combuſtæ cineribus palingeneſiam et in illa peculiarem multiplicationem difficulter tamen probandam (ut latius deduxi in Helmontio meo Ecſtatico) velit ſtatuere ex qua tamen admiſſa non ſequeretur diverſam à priori combuſta herbæ ſpeciem generari.

Experimenti veritati majorem fidem facit quod narrat *Jo. Rajus*, mirabundus tamen, nempe in ruderibus Londini poſt famoſam deflagrationem magnam copiam Eryſemi anguſtifolii ſuccreviſſe, dubitat tamen, an ſponte, an ex ſeminibus diu in terra latentibus, an à maleferiato quodam de induſtria ſparſis ortum fuerit. *

Scribit

* Narrat Axelmejerus in *aperto Palatio luminis naturæ germanice edito p. 125.* experientia in Germania compertum eſſe quod poſt combuſtas pinus & abietes intra duos vel tres annos eodem loco non niſi fraga creſcant, quæ poſt tantum temporis ſe transmutent in myrtillos, & rurſus poſt tantum temporis novæ arbores ſuccreſcant: alioque loco obſervatum eſſe, quod poſt combuſtas abietes betulæ, & his rurſus igne conſumptis fagi ſuccreverint. Cujus cauſam conatur reddere judicans fraga inde prognaſci, quod in cineribus com-

com-

Digitized by Google

Scribit Cl. *D. Fabri* Phyſicus Heilbronnenſis in *Hydrograph. Med. Germ. Univers.* ſe cum admiratione vidiſſe ſubverſo aggere diſtantibus etiam locis

combuſtarum pinorum ſylveſtrium ſal reperiatur dulce reſinoſum, quod terram impingvet, et ad productionem hujus fructûs aptam reddat. Si vero hi cineres ſal nullum amplius ſuppeditare valeant, ſed ſal omne pluviâ elutum profundius in terram ſubſidat, profundiores etiam poni radices & ſic produci myrtillos: tandem ſal adhuc profundius immergi et devenire ad illud ſal terræ, ex quo in principio ortum eſt, ſeque illi unire, & ſic rurſus primam ſpeciem plantæ provenire, nempe pinos vel abietes. Ubi cineres pinorum combuſtarum produxere betulas ignis omnem pinguedinem ſubſtantiæ reſinoſæ primigeniæ abſumpſit, & ſal centrale in aliam humidiorem mercurialem ſubſtantiam deduxit, ut poſtea ſemen vegetabile alium nactum fuerit progreſſum & humidiorem minusque ſulphuream proprietatem ſusceperit: combuſtis porrò betulis ſal centrale calcinatum & compactius redditum eſt, ideoque denſius & ſolidius lignum quale fagorum, enatum eſt, abſumptâ betularum humiditate & majori per ignem inducta acrimonia.

Hæc *Axtelmejeri* eſt philoſophia, quæ apud paucos credo reperiet aſſenſum, & ſacræ maxime repugnat. ſcriptum enim eſt. Produxit terra herbam *virentem & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſemen ſecundum ſpeciem ſuam* Quod paulò infra repetitur. *Ecce dedi vobis omnem herbam virentem afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent ſemetipſis ſemen generis ſui.*

locis idem omnino cardui, Eryocephali dicti, genus, caules innumeros, carduelium delicias protuliſſe, ubi antea, paſcua erant pinguiſſima & Gra-

Pergit & recenſet in ſylva Gorlizenſi cum anno 1660. multa pinorum millia à vento dejicerentur, ſponte totidem juniores quercus creviſſe. rationem addit, quod per ſuperiores influentias inferius naturale ſal terræ & ligni, & ſic acidum ſe auxerit, & robuſtiorem plantam, quercum nempe produxerit. Si dixiſſet à vaſtante illo vento una allata fuiſſe tot glandium millia, ceu quercuum ſeminaria, Promptius illi fides eſſet adhibenda.

Addit cum Luſitani experimentum caperent, num non Indiæ orientalis aromatum et arborum preventum ſua in regione procurare poſſent, illis loco piperis hederam, loco cinamomi laurum, & ex cedro frutices juniperi creviſſe. *Theophraſti* mens eſt, ſi arborum mutatur nutrimentum, etiam illarum tranſmutari ſpeciem. *Axtelmejerus* hanc tranſmutationem deducit ex mutatione aëris, terræ & aquæ, quæ tria in Luſitania alius conditionis & proprietatis ſunt ac in India Orientali. Horum rationibus, qui volet, acquieſcat, locus hic non eſt illis refutandis immorari.

Si aëri quod nonnulli volunt, rerum omnium inſit panſpermia, non adeo foret mirum vegetabilia aliquando in locis, ubi nunquam antea creverunt, novo adventu ſedem locare, ſcribit Cl. D. Fabri-

Circa hanc materiam (quam niſi propoſiti libri hujus arctiores Limites prohibuiſſent, ulteriore ad ſingula capita commentario nunc in aliud tempus reſervato illuſtraſſem: legi meretur G. F. de Franckenau *Palingineſia* notis illuſtrata à J. C. Nebringio, quamvis dubitare liceat, num ſingula ibidem

Digitized by Google

Gnaphalium montanis nemoribus adſuetum unicâ lineâ tricubitalis fere latitudinis, per equorum militarium ſtationes prolixas & diverſas, cadente pluvia ſubito & conſertim emerſiſſe, ubi præter læſos cespites nil paulò ante vidiſſes. Præ omnibus verò maximè memorabile eſt, quod poſt

S 2 bellum

dem adducta experimenta fidem ſervent, certum tamen manet, & quotidiana experientia confirmatur, ſeminum fieri immutationes, etſi ratio non adeo in propatulo Luceat; ſiligineum ſub pluvioſa æſtatis tempeſtate in lolium temulentum abire dolenter crebrius experiuntur Agricolæ, quale ante paucos annos tam copioſe in agris, in quibus alias ne ullum ejusdem obſervatum fuit veſtigium provenisse vidi, ut per ſpeciale Regiminis Electoralis mandatum ejusdem à ſiligine ſeparationem me phyſico monente ſub pœna injunctam fuiſſe reminiscar, grana ſiliginis in Lotharingia ob fundi fæcunditatem ex plurima parte triticum proferunt. Experimento certo conſtat, grana viciæ, ſi antequam terræ mandantur, in ſacco farina obſito deportentur, ad agrum, tam copioſè Herba cuſcutæ (quæ angina & podagra lini dicitur. vid. p. Hermanni *Cynoſur. Mater. Med. p.* 1. *C.* 6. *p.* 525) inter vicias creſcit, repit, illisque annectitur & fere ſuffocat, ut uno ſurculo attracto tota agri ſuperficies moveatur; ſemen lini cæpis inſertum & terræ mandatum in dracunculum eſculentum progerminare ſunt qui affirmant, plus centies notavi in locis in quæ deportatæ dejectorum ædium & ruderum reliquiæ Luxuriaſſe hyosciamum, alias nunquam ibidem viſum. Braſſicæ ſemen rapiſtrum produxiſſe non ſemel conquerentes audivi hortulanos, qui quoque obſervant eidem terræ idem ſemen ſæpius mandatum (quod de lactuca certum eſt) ex eo naſciturum fore ut in deterius vergat. vid. Baco de Verulamio Hiſt, Natur. cent 6 p 660.

bellum gallicum olim finitum circumquaque in Vicinia Heilbronnæ meſſis fuerit ſine ſeminatione ubertima, non per campos tantùm gramineos, ſed & ericeta, ſylvas, vallos militares, tormentorumque ſtationes, imó rudera murorum, tectaque, quæ inexſpectata meſſis ad prodigium relata in publico opinionem cauſavit, frumento pluiſſe. Confer. *Ephem. G. C. Decur.* 3. *ann.* 2. *in app.*

Quæ fortè non penitus erronea fuit, nam & *Plinius* teſtatur etiam imbres aliquos plerumque ſemina afferre C. 16. c. 33. neque ejusmodi pluvias planè fabuloſas eſſe, Hiſtoricorum docent monumenta. Triticum pluviale ſive verum & genvinum triticum anno 1619. é nubibus cum pluvia decidiſſe pro vero adſtruit *Velſchius* Hecatoſt. L. 32. nam in farinam redactum panem præbuit à vulgari triticeo nihil differentem, niſi quod pauperibus famem dumtaxat exemerit, ditioribus nihil profuerit. Frumentum aliquando in arbore proveniſſe narrat *Plinius l.* 18. *c.* 18.

Addit aliquando certo pluere ſeminis genere, aliquando etiam incognito, quod acciderit Cyrenanæ regioni, cum primum ibi laſerpitium natum eſt. Memorat cina urbem illius imbre piceo craſſo pluiſſe, unde nata ſit integra *ſylva* ei proxima. Ex Panſpermia igitur univerſali, quam comprobat Malpighii experimentum, hauſtis vel mediante pluvia delatis ſeminibus variæ plantæ ad ſedes inſolitas & peregrinas deferri poſſunt. Experimentum tale eſt. Notum & multiplici experientia confirmatum eſt quamcunque terram

utut

Digitized by Google

utut virginem, & vel ab omni etiam ſale & ſeminio liberatam ſi libero aeri exponatur vel in ſummitate turris varia producere germinantia, etiam lapillos et inſecta. *Malpighius* verò terram è profundo erutam vitreo vaſe concluſit, cujus orificium multiplici velo ſerico texit, ita ut aer ex pluvia admitteretur. In hac tamen planta omnino nulla vegitavit, ob minima panſpermiæ excluſa ſemina, quæ in utero venti ſeu aëris deportantur. An verò id in productione quarumcunque herbarum quæ inſolitas quærunt ſtationes, locum habeat, non eſt facile determinatu. Vidit oculatiſſimus *Paullini* in ſalice ſcolopendriam, in fago bonum Henricum, quæ alias loca humida & humilia amant. Vidit ejusdem parens in annoſa ſalice ſalviam, in betula ſambucum. Vidit ejus commenſalis Sileſius in veteri quodam patibulo, de quo adhuc fures pendebant, abſinthium & ſalviam florentem, quibus carnifex in graviſſimis affectibus, & ſi plebis teſtimonia admiſeris, feliciſſimè utebatur. Quæ iſtarum transplantationis cauſa ſit neſcitur, niſi ſemina aves illuc detulerint. Abſinthium verò & ſalviam ſtudio a carnifice in ligno infauſto plantatam putat Paullini ut eo ſecurius vulgum falleret, plantis ibidem veluti per prodigium enatis. Tr. de ſalv. Sect. I. c. 4. §. 7.

Mirandum quomodo ad vetuſtos fontes ſæpe perveniant variæ herbarum ſpecies. Ipſe non ſemel in antiquis puteis præter rutam murariam & trichomanen eleganter videſcens ſcolopendrium in iis enatum deprehendi. *Libavius* Diſſ. de agno veg. Scythico judicat effluvia & vapores

puteorum in plantas concreſcere, quod ſine ſeminibus ſpecificis fieri quis credet! ut potius ad panſpermiam ceu ignorantiæ aſylum hic ſit confugiendum. *Jo. Baptiſta Porta l. 2. Phytogn. c. I.* ſcribit ſe è profundiſſimis terræ fundamentis egeſtam humum convaſaſſe, atque ſub dio expoſuiſſe, unde paucis poſt diebus varia prodierint herbarum genera Neapolitano Cœlo ſoloque familiaria. Quod exiſtentiam cujusdam panspermiæ probare videtur; niſi quis vim illam germinantem potius terræ concreatam velit juxta Divinam benedictionem: *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen.*

Conſpicimus ſtirpes & arbuſculas è ſaxis & murorum fiſſuris fœcunda pullulagine radicibus ita profundis aliquando excreſcere, ut illis ruinam minitentur. Quam ob hanc cauſam plurimis ædificiorum ſtructuris Romæ temporis diuturnitate obveniſſe teſtatur, *Kircherus in mundo ſubterraneo.* Qui curioſius Italiæ antiqua perveſtigârunt plures vetuſtas ſtatuas ſpontaneo plantarum ortu conſpicuas. Vidit jam ſuo tempore *Plinius* in lapidea baſi ſtatuæ Cæſaris Dictatoris palmam ortam fuiſſe. *Cicero* quoque refert Delphis Lyſandri lacedæmonii ſtatuæ caput variis herbis aſperis & agreſtibus in modum coronæ obſitum viſum fuiſſe. Unde & peculiarem virtutem ejusmodi herbæ in capite ſtatuarum natæ adſcribit *Plinius* nempe quod collecta alicujus in veſtis panno, & alligata in lino ruſo capitis dolorem confeſtim ſedet. Quod licet vanam obſervantiam redoleat, indicat tamen, non infrequenter in antiquis ſtatuis herbas fuiſſe enatas.

Memo-

Memorabilis eſt murus an Angliam muniendam à Romanis mira ſolertia conſtructus, quem *Cambdenus* erudité, eleganter & prolixe deſcribit. Hic tandem à ſcotis & Pictis eſt dirutus. Cujus tamen veſtigia & rudera multis in locis ad huc ſpectantur. Ad hunc murum Empirica chyrurgorum ſcotorum magna cohors quot annis ineunte æſtate confluit, ad plantas, quæ numeroſiſſimæ in eo creſcunt, colligendas. Quarum utilitatem longo temporis uſu edocti mire deprædicant. Neſcitur, unde ille ſaluberrimarum herbarum ad hunc murum ſit proventus, quamvis ſit tradita perſuaſio Romanos milites hic olim herbas vulneribus ſanandis utiles in ſuum uſum plantâſſe. Quidquid ſit, non ſemel obſervavi in diverſis Germaniæ & Hollandiæ oppidis, præſertim ad mare vel flumina ſitis, ad muros antiquiſſimos varii generis plantas medicas luxuriare, quas humanâ induſtriâ illuc non translatas ipſe ex profundis rimis & hiatibus in ſublimibus mœniorum locis proventus ſatis docebat. Opinatur *Robertus Moriſon* notiſſimus Angliæ Botanographus Dialog. inter ſoc. & Botanogr. p. 488. plurimas eſſe plantas, quæ ex mixtura ſalis & ſulphuris, é terra & aqua producantur ſponte & ſine ſemine, ſolâ nimirum meatuum terræ inſenſili configuratione ad ſuccos his vel illis plantis convenientes excipiendos. Sed hanc ſententiam hic locum non habere patet, cum ita natas appellet imperfectas, perfectas vero, quæ florent, capſulas ſeminales & in illis ſemina producunt, qualia in plantis iſtis muralibus etiam conſpiciebantur. Unde potius cum *Malpighio, & Paulo Ammanno in char.*

plant. nat. p. 58. ſtatuendum nullam dari plantam imperfectam, ſed omnes peculiari ſeminio licet nobis incognito gaudere, quia ſuam indolem nunquam mutant, ſed ſingulis annis eâdem facie regerminant, & ſic revera illa quoque in vetuſtiſſimis muris ſaxa inter & calcem jam à ſeculis petrefactam vegitantia ex primordiali ſui generis ſemine undecunque etiam allato ortum ſumpſiſſe, quamvis illuc deveniendi modum nemo facilè explicaverit. Helmontius ſemina ſtatuit quaſi vagabunda & indicidua vaga; *Semina* inquit *vadunt quorſum neſciunt, ſeſeque dirigunt quidem, tanquam ſcientiâ pollerent, ſed tendunt per media ſibi conceſſa ad fines ſibi ignotos.* Tr. Nat. contr. neſ. §. 17. Quid ergo mirum, ſi aliquando reperiantur herbæ, ubi antea nunquam ſunt viſæ. Quarum etſi illic fortuita ſit ſtatio, non tamen eo absque ductore ſemine pervenerunt. Dicuntur quidem Zizania ſponte naſci. Sed eleganter *Fortunius Licetus Tr. de ſponte ortis*, explicat illud ſponte naſci non aliter accipiendum eſſe, quam de ſemine occulto ſed præexiſtente, & ſponte natum dici, non quod ſine ſemine, ſed quod ex ſemine nobis occulto oriatur. Quemadmodum *Theophraſtus* primarius Ariſtotelis diſcipulus & poſtea ejus in lycæo ſucceſſor l. I. c. 5. ubi de ortu occulto & ignoto plantarum nonnullarum differit, monet, quod in illis latitare potius naturam ſit arbitrandum, ſuumque ſuspendens judicium concludit: *cogitare autem diligentius commentarique ſpontaneas generationes protſus debemus.*

Et

Ex quibus adductis conſtare puto quam difficile ſit indicare cauſam migrationis ſeu tranſitûs Vegetabilium in fundos peregrinos. Salomon, cui ſacra ſcriptura vegetabilium omnium cognitionem tribuit à cedro libani usque ad Hyſſopum, qui ex pariete, id eſt muro, creſcit, fortè nobis hunc nodum, niſi ſcripta ejus intercidiſſent, ſolvere potuiſſet.

An ſol atque imbres dederint, an terra crearit
Sponte ſua. *Lucretius 5.*

Nos ſaltem videmus,

quod modo formatis operitur murus ab herbis,
prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Ov. l.i. Faſt.

Sed fiendi ac tranſeundi modum ignoramus Obſervamus indies cum *Virgilio I. Georgic* quod

Etiam ſegnis bene cultis horret in agris
Carduus: intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva
Lappæque tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

Sed ſi rationem aliam allegabis, quam illam ex Dei maledicto Geneſ. 3. 18. *ſpinas ac tribulos generabit tibi* terra, fortè errabis.

Etiam in viridariis Principum non rarò
Carduus & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Quibus certe eo in loco peregrina eſt ſedes, non ſemente illorum, non transplantatione factâ. Quoniam tamen & terra illis mater eſt, non no-

S 5 verca,

verca. merito in omne ſoli territorium, Hortulani ſaltem datâ licentiâ, jus ſibi vendicant.

CAPUT VII.

De admiranda viſci generatione, & in variis arboribus tum naturali proventu, quàm artificiali inſitione.

In univerſo regno Vegetabili nulla reperitur planta, quæ magis vagas habeat ſtationes, & cujus in altera planta feracior ſit fruticatio, quàm Viſci. Nulla eſt arbor, frutex aut ſubfrutex, modò annua hyemis inclementia non deſtruatur, quæ illi ſedem non præbeat, nam cum propriam non habeat in terra, in aliena vivit, inquit *Plinius*. Ordinaria illi quidem in quercu cenſetur eſſe, unde potiſſimum quercini patrium quaſi cognomen accepit; interim relicto hoc quaſi natali ſolo, peregrinum adit, & quaſi alienâ amat quadrâ vivere planta paraſitica. Obſervatum eſt in pomi ramo altas inſerviſſe radices, cujus alimoniam penitus exhauſit & ſtructuram vitiavit, ut quaſi maraſmo temporis tractu contabuerit.

In trunco arboris buxi enatum & arctiſſimè ſociatum Viſcum quercinum omnibus notis abſolutiſſimum pollicis craſſitié ex ſingularis amici dono poſſedit Cl. *Paulus Wurfbainius* Eph. Germ. Cur. Decur. 2. ann. 3. Obſ. 184. qui pro mirando habet, quod buxus omnis viſci alias expers viſcum peregrinum progerminare, & enutrire valeat.

Et

Cl. Olaus Borrichius viſcum alté progerminans copioſé amygdalæ innaſci frequenter in Provincia Gallicana in montanis obſervavit, & primus literis prodidit *Act. Danic. tom.* 1. *obſ.* 67. Arbores, in quibus viſcus hoſpitari amat, longa ſerie in *Pinace* enarrat *Bauhinus* ſequentes. Abietem, acerem, betulam, Caſtaneam, Cerrum, Corylum, cotoneum, Cynosbatum, ilicem, laricem, Meſpilum, nucem, oleam, oxyocanthum, oxicedrum, pomum, populum nigram, prunum ſylveſtrem pyrum domeſticam & ſylveſtrem, quercum, robur, roſas, ſalicem, ſuberem, ſorbum, terebinthum & Tiliam. Ratione obſcuræ germinationis tot ſeculis Botanici & Philoſophi argumentis ultro citroque propoſitis multum contenderunt, quod ſolo experiundi labore facile decidere potuiſſent, & ultimo hoc ævo revera deciſum eſt, ut infra dicemus. Hoc ſaltem notum fuit, baccarum ſemina per aves viſcivoras maximè palumbes & turdos unà cum excrementis in variarum arborum truncis deponi, quæ hærendo & ſemet agglutinando germen emittunt, & tandem in viſcum exſurgunt. Nam hanc viſci naturam volunt, ut ejus ſemen nonniſi in avium ventre maturatum & per anum redditum proveniat & enaſcatur, ut ex *Plinio* probat *Jonſtonus* in *Dendrographia l. I. c. I. Artic.* 1. *punct.* 3.

Quantis encomiis viſci Corylini virtus in Epilepſia curanda deprædicetur, Medicorum nemo in praxi verſatus ignorat, ſed ut laudabiles iſtos præſtet effectus, centeſimum in Corylo annum, antequam in ea naſci, poſſit, exſpectandum volunt. Quâ conditione poſita, quam rarus & pretioſus

tioſus ſit hujus commatis viſcus quis non videt? unde erudito Anonymo in Eph. Germ. Cur. Dec. 3. ann. 4. in app. p. 49. in mentem venit, num is non dextra humana in Tilia & corylo produci & vel in bimulis & trimulis Corylis felicius haberi poſſit, quam in annoſa quercu, tilia, aut corylo, adeo ut deinceps viſcus corylinus plenis ſaccis in officinas importari queat, eximia ſpeculatio! ſed quam experimento jam tum comprobavit celebratiſſimus Rayus, qui viſci ſemen populi albæ perterebrato cortici inſeruit, in quo feliciter germinavit & deſideratam plantulam edidit, ſicque diuturnis ſuper viſci generatione controverſiis & diſputationibus ſimul ſemelque finem impoſuit.

Dubitari tamen poſſet, cum viſci quicunque eſſentialiter differre non videantur, an præſtantiores inſertione in Corylum quàm in quercum aliamve arborem, virtutes antiepilepticæ viſco accedant. Patet reſolutio, ſorculorum namque inſitorum natura à trunco non mutatur, licet in uno forté quam altero lætius proveniant. Planta ſylveſtris in hortum transplantata uberius quidem altiusque ſuccreſcit, virtute tamen medica inde non auctâ, ſed aliquando etiam inminutâ. Ex quo conſequitur æquales eſſe quercini & corylini virtutes, & perinde, quo in morbis capitis viſco utaris. Licet, qui in oxyocantho naſcitur, nonnulli præ cœteris prærogativam tribuant in Febri quartana non rarò fuganda & perfecté ſananda.

Aliâ

Aliâ tamen apud Gentiles fuit perſuaſio. Gallorum Druides nil habuerunt viſco & arbore, in qua gignitur (ſi modo ſit robur) ſacratius. Enim verò quicquid illi adnaſcitur, é cœlo miſſum putabant ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Quod proin magna religione ſacerdos candidâ veſte indutus arborem ſcandens falce aureâ demetebat, candidoque ſago excipiebat, victimasque immolans precabatur, ut ſuum donum Deus proſperum faciat his, quibus dederit. Inprimis autem contra uniuscujusque animalis ſterilitatem, contraque venena omnia eſſe remedio arbitrabantur. Sed tantam gentium in rebus frivolis plerumque religionem juſte *Plinius* ex plodis, prætereo alias viſcorum ſpecies.

Sicuti vero in varias arbores transplantatur viſcus, ſic & aliæ plantæ. Ita frequentiſſima eſt vegetatio pulmonariæ arboreæ ſuper corticem pyri, vitis, pomi & pruni, cujus exortum exactius & curioſius deſcribit perſpicaciſſimus *Malpighius Anat. plant. p.* 2. in fine tractatus de plantis, quæ in aliis vegetant. Ita Cuſcuta viti, lino, plurimisque herbis agglutinatur, & ſambucus ſalici aliquando innaſcitur. Ex baccarum procul dubio ſemine ab ave in illam delato, ſed quare inde ſpecificam virtutem nanciſci credatur, ut nodulus ex ſurculi taleolis in linteo vel ſerico ligatis cum filo lineo ex collo ad orificium usque ventriculi ſuspenſus epilepſiam etiam adultorum curet, ut ſcribit Hartmannus, penitus ignoro. Quod enim dicunt picum, quiâ epilepſia laborat, excrementa ſua poſt comeſta ſambuci grana deponere ſuper ſalicem antiquam, ut tam nobile periapton ad

hunc

hunc morbum obtineat, ridiculæ nugæ ſunt; an enim quis etiam inde avi amuletum ad collum aptabit? ut deinceps ab Epilepſiæ paroxismo ſit liber? qui neceſſarias in ejus uſu circumſtantias in ejusdem practica chymiatrica adductas perpendit, remedium eſſe plane ſuperſtitioſum facilè conſpiciet. Antiquæ ſalici interdum & aliæ innaſci ſolent plantulæ vel frutices, inprimis amara dulcis, urtica, chelidonia, miror quod etiam illis ſtupendas ex hac transplantatione vires non adſignarint; aut quod hactenus nemo fuerit curioſior diligentiorque in inſerendis ſalici baccis ſambuci pro impetrando tum efficaci antiepileptico, niſi quis neceſſarium judicet prævium earum tranſitum per alvum pici epileptici, innumera ejusmodi medicamenta in forum medicum irruperunt, quæ quam merentur cenſuram, hactenus non acceperunt, à candidiori rei pharmaceuticæ ſcrutatore & judice illis aliquando juſtè infligendam.

CAPVT VIII.

De veterum Romanorum Ominibus & præſagiis ex Vegetantibus in peregrino fundo ſubnatis.

Quâ diligentia, curioſitate imo ſuperſtitione rerum futurarum ſcientiam aucupari ſuerint Romani, abunde notum eſt ex tot divinationum generibus apud illos uſitatis. Non tantùm ex meteoris, animalibus, avibus varia capie-

piebant auguria, ſed etiam præſagia ex vegetantibus, ſi quid in iis non conſuetum aut monſtroſum deprehenderent, inprimis verò ſi in peregrinis ſedibus enata fortè reperirentur uti *Plinius* l. 17. c. 25. ſcribit: *Sunt prodegia & cum alienis locis naſcuntur, ut in capitibus ſtatuarum vel æris, & cum in arboribus ipſis aliena.* Quod exemplis illuſtrabimus.

Ficus in lauro nata eſt Cyzici ante obſidionem Mithridatis, qui eam centum millibus peditum & equitatu multo expugnavit referente *Strabone* l. XII. Victores in triumpho lauru fuiſſe coronatos notum eſt. Hac igitur præſagiebant Mithridati victoriam, & ex hac rerum omnium fœcunditatem & opulentiam, cujus ſymbolum ficus habetur. An hæc diverſarum arborum copula Naturæ an artis opus fuerit nolo diſputare. Saltem *Plinius* l. 17. c. 19. jam tum novam inferendi rationem tradidit, qua vel diverſæ inſociabilesque naturæ arborum copulentur ut fici atque oleæ. Et forte illud artificium jam tempore Mithridatis notum fuit, ut Divinatores ceu Regum aſſentatores eo uſi fuerint.

Palma viridis Trallibus in æde victoriæ ſub Cæſaris Dictatoris ſtatua inter lapidum coagmenta juſtæ magnitudinis enata idem fecit præſagium teſte *Valerio* l. 1. c. 6. quod fraudis quoque ſuſpicione non caret, quia palma inter illas arbores eſt, quæ faſtidit alibi aut ubique naſci aut nata parere, inquit *Plinius* nil autem facilius erat, quam palmam etiam juſtæ magnitudinis inter lapides ſub tecto lararii plantare.

Romæ in Capitolio in ſummo tecti faſtigio bis bello Perſei enata palma victoriam triumphosque portendit. Quâ tempeſtatibus proſtratâ eodem loco ficus enata eſt M. Meſſalæ. C. Caſſii cenſorum luſtro, à quo tempore pudicitiam ſubverſam *Piſo*, gravis author, prodidit teſte *Plinio*. Quod ſi extra artis cooperationem contigerit, prodigio non caret. De ſathanæ fraudibus nil dicam, quis enim naturalem rationem afferet, quare ejusmodi regni vegetabilis portenta magis ſub imperatorum gentilium quàm chriſtianorum regimine contigerint.

A. P. Sulpicio proconſule literæ ex Macedonia allatæ nunciarunt in puppi longæ navis enatam laurum. Hæc certe illi erat ſedes peregrina

Pauſaniæ in Arcadicis ex radice Ilicis enatam oleam memorat Dalechambius ad Plinii lib. 17. c. 25. Hic autem omnibus ejusmodi, quæ unquam audita ſunt prodigiis præfert, quod ſuo ævo in agro Marruimo Vectii Marcelli è primis equeſtris ordinis olivetum univerſam viam publicam transgreſſum ſit, arvis inde e contrario in locum oliveti profectis. Quod Neronis principis dicit portendiſſe ruinam.

Species itaque arboris vel loco incongruo enata, vel in alterius locum transplantata & commutata vel ſpem victoriæ faciebat, vel periculi futuri incutiebat metum apud Gentiles Romanos quamvis credam illa oſtenta includere plurima figmenta hominum callidorum, qui Principibus ſuis ejusmodi de futura fortuna & Victoriâ variis blandiri cupientes, in tecto Capitolii, et in malo-

malorum navalium apicibus lauros & palmos, triumphi ſymbola, enatas finxerunt, aut ſaltem naturali transplantatione primorum germinum, aut ſurculorum aut inſitione ſeminum produxerunt.

Et ſane illa transplantationum artificia ævo Romano ignota non fuerunt, novit jam illa ſuo tempore virgilius Georg. II. 32. eleganter canens

Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Ventere in alterius, mutatamque inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere
corna,

ut & Ovidius de Remed. Amor l. I. p. m. 327.

Venerit Inſitio, fac ramum ramus adoptet
ſtetque peregrinis arbor opaca comis

Varia iſta per artem arborum adulteria, connubia & adoptiones ignorantibus quidem portentoſa & ominoſa putantur, ſed prodigii nihil habent, ita Perſicus per ſalicem vicinam traducitur, ut fructus ſine oſſibus proferat, ut docet *Coſtæus*, qui etiam oleam vidit viti inſitam, cujus fructus uvas & oleum retulerunt. Cardanus de ſubtilitate lib. 8. p. 334. docet, quomodo in ceraſo traducenda vitis ad uvas præcoces obtinendas. Unde hodie nemo mirabitur pyra vel Cydoniæ vel oxyocanthæ inſita huicque mespilum, aut pruno malum armeniacam. *Tonge* Anglus in actis phil. Angl. 1670. p. m. 500. refert ſe moro ſurculos pyri inſeruiſe, & ſic ſanguinei, coloris pyra primo producta credit, & ſurculos illius

 hnic

huic vel malis Cydoniis, meſpilis, prunis, quæ ſi fortè Romanorum tempore, quo Vegetabilium per inſitionem, inoculationem atque propagandi modi vulgo ita non innotuerant, quis é plebecula quæ ſemper oſtenta & prodigia exſpectat, vidiſſet ſtatim pro portento & omine proclamaſſet, additamenta finxiſſet & auxiſſet ſuperpondiis, imo ipſi Hiſtorici, qui pleraque aliena fide monumentis ad poſteritatis memoriam ceu veritatis indubitatæ tranſcribunt, referre & inde fictitia condere præſagia non deſtitiſſent, cujus quoque commatis ſuperius ex Plinio aliisque recenſita eſſe non dubitamus.

Nemo ſane iſta arborum connubia, fœdera & adoptiones elegantius deſcribit, quam in Prædio ſuo ruſtico

Jacobus Vanierius ſoc. Jeſu Poematis didactici ſcitiſſimi lib. 5. p. 113. quod hic legi meretur:

Degeneres hac arte docent miteſcere fructus,
Naturamque novam faciunt: ſic hiſpida ponit
Tela pyrus, nova poma, novas miratus & umbrās.
Sic prunus ſua fraxineis dat nomina ramis.
Emendat ſalices pomus, nux ardua truncos
Læviat arbuteos, & ſpinis natus alendis
Flore micat Rubus, excuſſâ ſic altior ulmus
glande pluit, ceraſo laurus phœbea corymbos
Mutat, & horridulos exarmat Amygdalus hirtæ
Caſtaneæ fœtus, Morusque ſuperba comarum
Fœdere cum citro ſociatur, & unde puellæ
Bombices aluêre ſuas, hinc aurea carpunt

Malu

Digitized by Google

Mala ſibi, niveoque ſinus hinc flore coronant.
Unde nova calathos implebant fronde capaces.

Hæc hodie nemo amplius miratur, nemo pro præſagiis habet, ceu viris literatis & bonis œconomis ſaltem ſatis nota. Si tamen ejusmodi tranſitionis aut transplantationis phœnomenon forte hodie contingat, à quo artis fraudisque abeſt ſuſpicio ævum noſtrum æque credulum ad omina & præſagia inclinare ex variis inductionibus oſtendi poteſt. Inprimis poëtæ (qui proin vates dici volunt) non feriant pro innato ſibi enthuſiaſmo ex ejusmodi ſive fortuito ſeu artificiali, ſeu etiam aliquando tantum fictitio phœnomeno majori ingenio quam veritatis eventu condere prognoſticon ſicuti illud ſat felicis Poetæ de Vite in quercu enata Epigramma raritatis cauſa Societati Leopoldinæ in Ephem. Germ. cur. Decad. 3. ann. 2. obſ. 113. à D. Salomone Reiſelio communicatum oſtendit.

Uvarum quercus cur fert rigidiſſima baccas?
Ergone quæ quondam filia vitis erat
Naſcitur è quercu? ſolve hæc ænigmata nobis
Oedipe, nam ſolvi publica cura jubet.
Dic ex quo ligno fabricat ſua pocula Bacchus
Et quibus includunt muſtea vina ſolent?
E quercu, quæ ſacra Jovi ſimul eſſe laborat,
Sacra Deo, qui vult filius eſſe Jovis.
Non alio ex ligno ſculpſit ſua dolia Bacchus
(Mercurium fingunt cœtera ligna ſuum)
Fructibus ergo ſuis quercus certiſſima vates
Nuntiat egregii munera larga meri.

Referam quid hujus Poetæ prognoſtico dederit occaſionem. Celeberrimus Camerarius Profeſſor Tubingenſis in oratione de Quercuum gallis dicit anno 1613. per univerſam ſuam patriam famam tuliſſe, quod ramis pomiferæ arboris raro ſpectaculo innata fuerit Bellis florida, humilis illa pratorum herbula, quod & in alia arbore roſæ floreant, & in aliis rurſus alia, quo phoenomeno non tantum unusquisque fuerit in admirationem raptus, ſed etiam varia ſpem inter & metum præſagii opinione detentus, evanuiſſe tamen iterum brevi iſtam fraudum & errorum nebulam, compertâ per experientiam veritate, id nonniſi maleferiati cujusdam opus fuiſſe, pro decipiendo, qui decipi vult mundo: Ejusdem igitur & commatis fuit ejusdem anni evulgatum miraculum. Quercus ferre uvas. Erant qui paucis mutatis illi Virgilii verba applicabant, ſic materna quercus miratur non tam frondes quam non ſua grana, ſic arbor, cui robur pro nomine ceſſit imbecilli fruticis (nec enim omnes vitem arboribus accenſent) fructum ſuſtinet copioſum. Alii confirmabant & illuſtrabant hoc naturæ phœnomenon ex hiſtoricorum monumentis & Botanicorum obſervationibus, ex quibus conſtant exempla arborum in arboribus prognatarum. De ſambuco ſalici innata jam ſupra dictum. De quercu & Platano *Theophraſtus* tradit, quod in illis lauri planta vivat. Innatas quercui ribes teſtantur Botanophili, qui fructus ipſos inde comederunt. *Caſparus Schottus* in *Phyſica Curioſa* ex ſigeberto quodam notat viſam quoque olim ſambucum, quæ uvas protulerit, & ex *Plinio* & *Lycoſthene*, arbo-

arbores, in quibus nata ſint frumenta. Et vitis arborum eſt amaſia, et in regionibus quibusdam ulmo ſive populo maritari ſolet, improbabile itaque non eſt aut impoſſibile arte vel caſu quercui inhæſiſſe, cum longè mirabilius videri poſſit inſitionis artificium, quod refert *Plinius* in arbore circa Tiburtes Tullias inſita, & omni pomorum genere onuſta, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, pyris, punicis, malorumque generibus.

Verum enim verò uvarum illum in quercu proventum penitus effictum judicat *Camerarius*, Autorem, qui apud Aldrovandum ſambucum quondam uvas protuliſſe narrat, hallucinatum dicit, & illa ſambuci ſpecie deceptum quæ fructus uvis ſimillimos producit, & ab Herbariis ſambucus Muſcatella vocatur, quoniam fructus deguſtati uvæ apiariæ, quæ vulgo muſcatella dicitur, referunt ſaporem. Ad quæſtionem an ejusmodi phœnomena quid portendant, reſpondet ex Theophraſto, jam olim ad oſtenta in arboribus reſpici ſolitum & eorum interpretationem Aruſpicibus fuiſſe commiſſam. Duae columbæ ſuper binas quercus in nemore Dodonæo reſidentes reſponſa dediſſe, imò & ipſæ quercus fatidicæ fuiſſe dicuntur, quod fortè illo tempore contigit, quo locutæ ſunt arbores, frumenta quæ in arboribus ſupra citantur, nata dicuntur anno, quo ſuperatus eſt Annibal. Alii igitur annos, queis in quercubus natæ ſunt uvæ, Triſtis memoriæ eſſe prætenderunt. Alii conjecturas deſumpſerunt ex utriusque arboris quercûs & vitis natura & ad

invicem reſpectu, uſu itidem, quem præſtant humano generi. Ita quercus ſacra olim audiebat arbor, quod ejus glandibus primi mortales vixerint; Vitis autem ſucco hominesque Diique exhilarentur, unde nonniſi bonum omen inde captandum eſſe volebant. Sed Epicriſis Camerarii eſt: Curioſam admodum aut potius credulam & rumorum avidam captatricem eſſe noſtram, quâ vivimus ætatem, quæ nova quot annis & inſolita ſeu monſtra ſeu portenta fingit, vel in lucem protrahit, ut certare faciat patriam cum Africa talium ferace.

Non omnia, quæ accidunt præter naturalem naturæ curſum, ſtatim habenda ſunt pro oſtentis, portentisque. Plurima ejusmodi miranda in regno inprimis vegetabili interdum occurrunt quæ tamen nihil indicant, niſi fortè naturæ luſum ignorantiæ aſylum. Afferam unum alterumve exemplum. Narrat Curioſiſſimus Paullini ex Chronico Monaſtico Corbeienſi mſpto ad annum Ch. 1131. Caſparum Furbart Prælato Amelunxenſi ex horto ſuo obtuliſſe rubicundiſſimam roſam cum foliis eleganter expanſis, ex cujus umbilico prodiit candidiſſimum liliolum. Abbas depingi curavit, & Casparo donavit porcellum. Rogatus an arte forſan aliqua produxiſſet, tactâ barbâ, quod iſto ævo juramenti loco erat, omne exemit dubium. Fuit id certè naturæ oſtentum;

Non enim ex ſquilla roſa naſcuntur nec hyacinthus ſententia eſt *Theognidis*. Neque ex roſa lilium an porro quid portenderit, chronicon non nec-

memorat. Si à me occultus hieroglyphici hujus naturalis ſenſus peteretur, reſponderem indicâſſe, quod viri Deo addicti, Monachi inprimis in àmoris divini rubicundiſſima roſa candidiſſimum caſtitatis implantare debeant lilium. An Prælato, qui illam depingi fecit, eadem mens fuerit & interpretatio, non dixero.

Continuabo ſaltem in roſa diſcurſum. Exhibetur in Ephemeridibus Germaniæ Curioſorum Decur. I. ann. 4. & 5. Obſerv. 94. elegans ſpectaculum roſæ centifoliæ, in cujus centro enatus Calix roſaceus, novam rurſus roſam producens ubi porro refertur olim Altenburgi in horto Richteriano ſpectabilem fuiſſe roſam florentiſſimam triplici flore perfecto decoram, ita ut ſecunda ex primæ gremio, & tertia ex illius meditullio excreverit, cujus prototypon quoque l. c. à Sigismundo Graſſio oculis ſubjicitur. Nulli hoc fuit præſagio, ſed rariſſimum ſaltem fœcunditatis exemplum.

Scribit Andreas Cleyerus ſocietatis Batavo-orientalis Protomedicus ſe in Japonia vidiſſe roſas centifolias colore elegantiſſimas rubeo, purpureo, candido in altis arboribus menſe januario, aëre adhuc frigido enatas, odore tamen carentes; nec non variorum generum lilia fruticibus lignoſis innata, nec non pœonias flore egregio plenas arboreſcentes. Suſpicatur de inſitionis artificio, quam natio illa optimè callet. *Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. ann. 4. obſ. 4.*

Ex his omnibus roſis nulla futurorum eſt præſaga. Memorabile autem quod perhibet *Gottofredus Chr. Winclerus* Ligio - Bregenſium Conſiliarius & Archiater Eph. G. C. Decur. I. ann. 6. obſ. 117. Nempe marte triginta annorum ſpacio Germaniam depopulante paſſim proverbium multis in locis increbuiſſe, *pacem tum futuram quando in ſalicibus roſæ effloreſcent*. Anno vero 1648. id revera contigiſſe, ejusque rei in memoriam ramum à viro fide digno ceu teſte oculato tunc temporis depictum dono accepiſſe, quem æri inciſum exhibet. Folia florum roſarum exteriora fuêre quidem viridia, interiora verò alba & rubicunda, in medio flavedinis aliquid ut roſæ ſolent, habebant. Hæ roſæ in ſalicibus efflorescentes erant illæ, de quibus vaticinium vulgi omen captavit.

Poſſem hic oſtendere in roſis vel ſerotinis vel in aliena ſede repoſitis nonnunquam vel fortunæ vel mortis fuiſſe præſagium, ſed quia ejusmodi Hiſtoriolis utut veris fortaſſis lector non eſſet habiturus fidem, finio cum roſis. Quam enim huic Diſſertationi coronidem potero imponere meliorem roſeâ? Et quidem, ut nobili fine coronetur hoc opuſculum, talem, quæ quodammodo ſacrata eſt, & ante octo ſecula jam nata, & quæ aeternam in loco in quo radicata eſt, ſtationem ad ſeculi usque conſummationem meretur. Intelligo illud omnium in mundo facilè, quantum conſtat, maximum & vetutiſſimum roſetum, in urbe Hildesheimià patria mea ad chori in Eccleſia Carthedrali murum & tecta aſſurgens, ex

Crypta

Crypta Divæ Virgini ſacra poſt aram, ipſa inter fundamenta enatum, jam octo et quod excedit ſeculis rubeo alboque roſarum germine quot annis floridum, appenſis olim ſub glorioſiſſimo Imp. Ludovico pio ad aram exſtructam ſacratiſſimis lipſanis famigeratum. Cui quod ante quinquaginta circiter annos ſacrum volui, epigramma, in perpetuam antiquiſſimi hujus Fruticeti Roſei memoriam devotus & quaſi vaticinans appendo:

ô *Cypris* tua fluxa roſa eſt; Mariana perennat
  Ante octo dudum ſecula nata roſa.
Nam per dura exit Cryptæ quod ſaxa roſetum,
  Eſt durum & durans ſecula ut ipſe lapis.
Paſtanæ procul eſto roſæ, flos iſte caducus
  Eſt Veſter; jugi hæc flore roſeta virent.
Ominor, æterno Cathedra hæc in flore manebit,
  Urbem donec aquis alluit *Inſtra* ſuis.

Joannis Henrici Cohauſen

CONSPECTVS
Sciographicus Teſtaceorum
ſive
Oſtracodermorum & Scleroſtreorum,
id eſt
quæ cortice inſtar ſilicis duro per totum corpus, ore excepto, teguntur.

In tres claſſes diviſus.

Claſſis Primæ
GENVS I.

Continens illa, quæ conſtant una eaque contorta aut anfractuoſa teſta, interius ſplendore Matriperlaceo micante, quæ propriè Cochleæ dicuntur. *Die einſchalige oder gewundene Snecken-ſchalen.*

N*autilus* major ſive Craſſus, vulgo mater perlarum Cochleam communem referens vel cornu Ammonis. *Plinius* appellat *Nautilum, Pompilon,* & *Nauplium. Bellonius* Cochleam margaritiferam, non quod pro genuina matre perlarum ſit habendus, ſed quod teſta ejus ſplendorem habeat. Moderni Græci *Polythalamum*, quia innumeras intus habet quaſi cellulas. Nem-

Nempe ejus penetralia per parietes intergerinos in centro minuto foramine pertuſos in innumeras cellulas diviſa ſunt, quod naturæ artificium eſt ſtupore plenum. *Cardanus* appellat Cochleam indicam. *Jonſtonus* author eſt, hanc tam grandem in India in mari Inſulæ Borneo inventam eſſe, ut caro ejus ſeptem & quadraginta librarum pependerit Gallis coquilie & Hollandis paerlemoor hooren dicitur. *Die groſſere oder dicke Schiffmuſchel.*

Celeberrimus Breynius in Diſſertatione Phyſica eleganter tale Polythalamium deſcribit quod ſit teſta tubuloſa vel conica recta, vel in ſpiram regularem convoluta cum ſiphunculo thalamos tranſeunte. Ejus namque cavitas in varias cavitates ſeu concamerationes, thalamos dicendas, mediantibus parietibus intergerinis ſeu diaphragmatibus pariter teſtaceis dividitur extimo thalamo animali receptaculum præbente, cœteris vacuis, ſed ſiphunculo ſenſim gracileſcente ad apicem usque perviis. Quæ figura & in ipſis his teſtis petrefactis obſervatur.

Nautilus minor, ſive tenuis & legitimus, cujus navicula latinis dicitur Carina nautili, Græcis ut ſuidæ Nautes, Germanis *Das Bootgen oder Schifflein.* Malabaricis *Roema Gorita* id eſt ovum ſeu domuncula polypi. Rumphius enim ad ſpecies polypi refert. Plinio l. 9. c. 29. Nauplius, et aliis piſcis nauticus Philippo Bonanno L. Recreatio mentis & oculi N. 13. cl. 1. part. 2. italice nominatur Polpo moscardino & Moscarolo ſcri-

bit, ut

bitque ſæpius capi in mari Adriatico & Golfo di Venetia.

Quia *Nautilus* quoddam quaſi naturæ miraculum eſt, ejus perquam exactam deſcriptionem ex Bellonio dabimus. Ejus inquit concha tribus conſtare fragmentis videtur (carina ſc. & lateribus, cum tamen una & ſimplex ſit) quorum latera utrimque ceu carinæ junctæ apparent, eâ ut plurimum magnitudine, quam ambæ manus, amplecti poſſunt, latitudine autem, quantum pollex cum indice comprehendat. Omnes autem non excedunt craſſitudinem membranæ pergamenæ ſtriisque in oblongum ductis ad oras crenis lacinitatæ ſunt, in formam rotundam abeuntes. Foramen autem per quod nautilus alitur atque exit de concha, magnum eſt. Hæc fragilis eſt lactei coloris, lucida admodum polita, omnino navis rotundæ effigiem referens. Navigat enim per maris ſumma, elatus de imo gurgite, affertque ſe teſtâ inverſa, ut facilius aſcendere poſſit & inani ſcapha exaviget, atque ubi inde emerſerit, tum concham invettit. Cæterum Nautili brachiis interjacet membranula, qualis eſt inter palmipedum digitos, ſed hæc magis eſt tenuis in telæ araneæ modum, robuſta tamen, qua aurâ etiam inſpirante velificat. Cirris, quos utrimque multos habet, pro gubernaculis utitur, atque ubi metuit tum concham protinus marino humore oppletam de mergit. Cœterum pſittaci roſtrum habet, ſuisque cirris polypi modo graditur, atque eodem modo acetabulis ſorbet.

Plinii deſcriptio ſuccincta magis ſed longe elegantiſſima ex l. 9. c. 29. huc meretur apponi.

Inter

Inter præcipua miracula eſt, qui vocatur *Nautilos*, ab aliis *pompilos*. Supinus in ſumma æquorum pervenit, ita ſe paulatim ſubrigens, ut emiſſâ omni per fiſtulam aquâ velut exoneratus ſentinâ facilè naviget. Poſtea duo prima brachia retorquens membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in aura, cœteris ſubremigans brachiis medin cauda ut gubernaculo ſe regit ita vadit alto liburmiarum ludens imagine; & ſi quid pavoris interveniat, hauſtâ ſe mergens aquâ.

Cornu Ammonis Ammons hörnlein. *Steherhörner.* eſt parva Cochlea tortilis inſtar cornu arietis. Belg. *Poſthocrentie* Poſthörnlein. Sicuti & foſſilia ita conformata oryctographis cornua Ammonis appellantur. Color exterius eſt ſine ſplendore albus, interius perlaceus.

Carina Holothuriorum refertur à Rumphio inter ſpecies Nautili, alii inter Neritas recenſent, quia in mari mediterraneo navigant, præbentesque concavam ſui partem & auræ opponentes per ſumma æquorum velificant ut perhibet *Plinius*, Belg. *Qualle booties*.

GENVS II.

Communem formam Cochleæ Belg. *Alykruik* habentium, & colore itidem perlaceo micantium.

Cochlea lunaris major. B. *Reuſe-ooren*, eſt hujus generis maxima, duorum pugnorum & amplius, ſic appellatur à ſua figura. Capite geſtat-

ſtat Clypeum magnum rotundum duritiei ſilicea, quo claudit ſuum orificium, qui refertur ad umbilicos marinos & dicitur Umbilicus veneris. Et ab hoc operculo ſuo rotundo, craſſo, ſiliceo exteriori facie lunam plenam figurante lunaris appellatur *mondauge.* Quia plura per teſtam diſperſa obtinet tubera, & aliquando viridi ſpectatur colore, Batavi nominant *den bunten Knobbelhooren. & den groene Knobbel-hooren.*

Cochlea lunaris minor. **Kleine Mohn Snecke** hæc ſimilem faciem habet, magnitudine tamen minor teſtâ craſſâ, orificium duplici quoque claudens Clypeolo qui umbilicus marinus dicitur, hujus quinque ſpecies recenſet Rumphius.

A. Cochlea ſulcata nigra. Schwarz gefürchte Meer-Snecke. Habens teſtam craſſam nigram profundè juxta gyros ſulcatam, nonnihil aſperam & quaſi ſquammoſam, unde elegantiam non habet, neque ſplendorem, interdum paucis maculis viridibus vel albis aſperſa, cum operculo exterius ſordide albido.

2. *Cochlea petholata* eâdem formâ ſed aliquanto minor, exterius omnino glabra, & coloribus variis ſpecioſa inſtar veſtis Petholæ vel ſerpentis oelar Pethola, fuſco inprimis nigris albisque maculis, interdum etiam viridibus, nonnunquam ſtriis, quæ rarior, inter currentibus diſtincto; interius ſublutea ad perlaceum vergente. Operculum ejus eſt ex pulcherrimis, ſuperius rotundum, inferius planum inſtar umbilici formatum, plerumque nigrum, circa oras viride a: rufum, oculi inſtar bovini micans.

3. Coch-

Cochlea lunaris aſpera, Ejusdem formæ ſed circà gyros aſpera, eminentibus ſquammis. Operculum minoris ſplendoris, potiſſimum nigrum margine rufo. Magnitudine ovi gallinacei, interius color argenteus matri perlarum æmulus, aliquando ad flammeum vergens, adeoque fornacem candentem referens. Batavis goutmonden, aurea ora, dicuntur.

4. *Cochlea lunaris nimima.* Magnitudine vix ad unguem pollicis accedens, colore ſpadiceo, non ſplendido, interius perlaceo, cum operculo rotundo ſubnigro non micante. Bat. Zilven mondies (argentea ora) & quæ maculas habet, Bonte Zilver monal.

5. Latinum nomen hactenus non invenit, niſi juxta idioma babarum magnam argenteam fornacem (groote Zilvere ovens, velimus appellare, ejusdem tamen formae eſt, colore exterius albonigroque picturata, interius argenteo, rarius invenitur.

Notandum, omnes cochleas longam tortilemque formam obtinentes ad oſtiolum occludi operculo carni firmiter adhaerente, quod repentes capite geſtant, intus retrocedentes verò retrahunt, eoque ita acuratè ſe claudunt ut de illis nihil conſpiciatur.

Umbilici Marini.

Meer-Nabel vulgò Meer-bohnen.

Haec ſunt praecedentium cochlearum coopercula, & appellantur umbilici marini à forma umbilici,

bilici, humani quam à parte interiore & plana obtinent. *Rondeletius* appellat univerſaliter Cochleam cœlatam ex qua deſumitur hic umbilicus. Cooperculum hoc ut dixi Capiti piſcis adnexum eſt, quo animalculum in fundum domicilii ſuï ſe recipiens tam exactè cochleæ ſuae claudit introitum, ut ne guttula aquae marinae queat intrare. Haec à varia conformatione diverſa accepeuent praedicata, ita.

1. *Auris Gigantum*, habens palmae diametrum interiùs plana, cortice fuſco tecta, exterius alba & convexa lentis inſtar, nonnullis locis propter depreſſas ſuperficies inaequalis. *Tornefortius* teſte *Pomelo* poſſedit umbilicum marinum, libram mediam ponderantem.

2. *Umbilicus marinus niger.* Omnium longè pulcherrimus, valde politus, & inſtar Oculi bovini ſplendens, habens Duccati magnitudinem circiter, colorem pleṛumque atrum viridi ruſoque inter ſtinctum. Eſt operculum ſuperiorum primae & ſecundae ſpeciei cochlearum. *Differt* ab umbilico maris mediterranei, qui quidem in interiori parte planus & inſtar umbilici formatus eſt, ſed à parte convexa notabili foveâ depreſſus colore ruſo ſeu aurantio.

3. *Umbilicus granulatus.* Operculum eſt primae & tertiae minoris ſpeciei, ad elegantiam priorum non accedens, ideoque nec inter rariores repoſitus. Dicuntur Batavis Maans-Oogen.

Umbilici marini habebantur olim pro rotundis & depreſſis conchis, *nabel-ſchnecken* & Augustino *Scilla* Tr. de corpor petrefactis referente *Dale* in zoolog. p. 49. videbantur eſſe tantùm immaturae

tiiræ & collapſæ conchæ, hodie verò extra omne dubium poſitum eſt, umbilicos marinos nil aliud eſſe, quam certarum cochlearum opercula. Antiquorum circa hos error fuit ſatis craſſus. Scribit *Suetonius* ſcipionem & lælium cum conchulis etiam umbilicos ad littora legiſſe, Commentator *Schildius* hos explicat teretes eſſe calculos littorales adinſtar umbilici formatos ideoque & ſic appellatos. *Salmaſius* adhuc ſpiſſius hallucinatus explicat fuiſſe herbam dictam Umbilicum veneris, quæ græcis Cotylædon appellatur, cum tamen, quæ iſti duo Conchilegi quæſiverunt nonniſi hi cochlearum Clypeoli fuerint.

GENUS III.
Cochleæ depreſſæ
Earumque duæ ſpecies.

1. *Cochlea laciniata*, cujus quaſi nativis ſegminibus, ſtriatis vel ſulcatis diſcretæ ſunt oræ, & illa antiquorum Collaria, lobbetjes appellata repræſentant, unde etiam id nominis apud Hollandos obtinuerunt, quam vis alii *Dolſyntjes* vel *baardmannetjes* malint nominare. Colore ſunt fuſco gryſeo interdum rubente mixto.

2. *Calcar. Spoor-Snecke.* Cortice undiquaque tenuibus & obtuſis aculeis obſeſſo calcaris formam refert magnitudine ſchillingi Hollandici colore exterius ineleganter gryſeo, interius perlæ et argentiformi candore, operculo parvo rotundo exterius nonnihil in foveolam depreſſo, inſtar marga-

ed by Google

ritæ ſubrubentis micante, unde forte apud Batavos nomen accepit *Kleine Sonne-booren.*

Trochi.

Sive Cochleæ formam trochi ſeu infundibuli inverſi obtinentes, ſive in acumen inſtar coni vel pyramidis faſtigiatæ.

Batavis appellantur *Tollen*, *pyramiden* vel etiam *Bagyne drollen.* Germanis *Kegel-Kreuſel-oder Straubſnecken pyramidal ſnecken.* Harum quatuor aſſignant ſpecies Curioſi.

Trochus primus ſive *maculoſus.* Signatus nigris rubeisque ſine ſplendore maculis, inferius trium vel quatuor digitorum latitudine, neque etiam altior. oſtiolum ex rotundo oblongum. Operculum rotundum admodum tenue, flexile, colore melino, multisque circulis in mucronem excurrens. *Tygerkreuſel.*

2. *Trochus ſecundus*, baſi non ita latâ, ſed cacumine altior, teſtâ granulata absque maculis, colore rubicundo palleſcente non vivido.

3. *Trochus Papuanus*, ſive etiam longævus, ita dictus quia in inſulis papuanis non in aqua marina, ſed ſcopulis adhærens reperitur ex quorum humido ſalino-nitroſo exſucto nutritur, quamvis etiam ad novem pluresque menſes absque nutrimento vivere credatur. Magnitudinem primæ ſpeciei habet, totus aſper & rugoſus, & ad anfractuum

fractuum marginem tuberculis obſeſſus, cortice craſſo & inſtar ſilicis duro, exterius colore leucophæo, viriditate aliquâ intercurrente, interius lævigato, haud tamen perlaceo. Clypeolus tenuis lamellæ, quem animalculum profundè introtrahit. Bat. Langlevende Tollen.

4. Trochus ſive *labeo Rumphii* ſic appellatus, quia os non, uti priores inferius, ſed ad latus habet ſitum, & craſſum geminumque labium, per quod introitus anguſtatur, magnitudine ſolidi Hollandici, rotundis anfractibus craſſisque granis obſitum colore rubeo - palleſcente, viridi gryſeoque mixtis, intus aliquantum perlaceo operculo tenui oblongo.

Harum dantur adhuc plures ſpecies, & faſciatæ, perlisque obſitæ, & circulis elatis tuberoſæ, & aculeatis apicibus faſtigiatæ, & varii coloris maculis ſtriatæ quas Curioſorum Conchyliothecæ exhibent.

CLASSIS II.
Cochlearum Univalvium

GENUS IV.
Cochleæ Valvatæ ſive ſemilunares.

Uti ſuperiores clypeo rotundo ſic hæ interius in circuitu oris circulo medio albo gaudent, qui lunæ dimidiatæ ſpeciem præſefert; unde ſemilunares appellantur, Mohnſnecken. Duplicis ſunt generis læves & ſtriatæ, & quidem.

Digitized by Google

Valvatæ læves.

1. *Valvata lævis* prima ſive vitellus, eſt cochlea rotunda lævis, colore vitellino, ut pro vitello haberi poſſet, niſi inferiorem anfractum alborum oculorum ſeries obſideret, qua præprimis ornatur, interius ſpecioſé candet. Clypeus ſemilunaris ita ſplendet & lævis eſt, ut fragmentum porcellanicum referat, marginibus tamen ejus paululum fimbriatis. *Eydotter gelbe einſchalige meerſnecke.*

2. *Vitellus pallidus.* Batavis de Joode, priori major, colore pallidior, ore extante anguloſo, operculo albo, ſuperius profunde ſulcatus.

3. *Vitellus compreſſus.* Hæc aſſimilatur vitello ovi compreſſo, lævis, colore hepatico, ore oblongo, gracili, clypeo fuſco.

Illarum adhuc plures recenſentur ſpecies, quæ partim nullo particulari nomine gaudent, partim á ſua conformatione, ut *Valvata tenuis*, partim à colore ut *Valvata albula*, partim à loco, in quo inveniuntur, ut *valvata fluviatilis rubella*, partim ab inſcriptis figuris quaſi antiquis literis Gothicis, *Valvata Gothica*, appellantur.

VALVATAE STRIATAE.

Hæ gaudent clypeo pariter ſemilunari, magis minusve per teſtam ſtriatæ. Curioſorum Muſæa ſequentes oſtentant

1. *Valvata ſtriata Alpina* in qua nigris quaſi punctis deſcripti ſpectantur montes. *Einſchaligt geſtneiſſete Alpes Snecke*, aliis *Spizbergen.*

2. *Val-*

2. *Valvata faſciata*, quam una, duæ vel tres circumdant faſciæ rubicundæ. Ein oder mehrmahlen bandirte einſchalige ſnecke.

3. *Valvata Undulata*, cujus teſta nigris undis interdum luteis picturata eſt, unde Batavis Camelottjes appellantur. *Schwarz und gelb gewaſſerte einſchalige meer-Snecke*, vulgo *Kamelotten*, & ſic porro Valvata granulata, valvata ſulcata nigra & alba, valvata compreſſa, dantur, quæ peculiari nondum nomine inſignitæ ſunt.

Valvata ſpinoſa Dornſnecke Bat. Rivier Doorentjes, quia non in oceano, ſed in rivis tantum inveniuntur ſpinis obſitæ, quibus etiam pedibus eas forte in rivis conculcantium inhæreſcunt. Ad hujus porro ſpeciei quisquillias pertinent omnes Valvatae minores, quae ungue non majores, cortice tenui, ore lato, variae figurae & coloris ad oras fluminum arenoſas reperiuntur.

GENUS V.

Univalvium comprehendens Cochleas formam Caſſidum obtinentes.

Harum numerantur quatuor ſpecies I. Caſſides tuberoſae 2. Verrucoſae, 3. Laeves. 4. Murices.

Caſſides tuberoſæ.

1. *Caſſis tuberoſa cornuta. Gehærneter Sturmhut oder Ochſenkopff* Belg. *gehoorende Stormhœden.* Iſthaec hujus generis omnium maxima, unius vel duorum pugnorum tandem & capitis virilis

 magni-

magnitudine cum quatuor vel quinque cornibus obtuſis diverſisque tuberculis, invenitur tantùm in arena ſepulta ad littora penitus ſabuloſa. Haec non eſt *Aporrhais Ariſtotelis* quamvis à nonnullis ſic fere deſcripta, haec enim magna Cochlea eſt, quae inſtar Congeriei aut cumuli lapidis ex ſcopulis pendet, quaſi per ſtillas inde delapſura, unde nomen accepit.

2. *Caſſis rubra*, priore minor ſc. duorum pugnorum, tuberculis rotundis non nimium elatis obſeſſa, inter quae teſta brevibus & craſſis coſtis ornatur. Colore phœniceo inſtar plumarum Gallinae picturata. Roſte geribbete Sturmhaube.

3. *Caſſis pennata gefederter Sturmhut*. Species prioris eſt, nulla habet in dorſo tubercula, nigro fuſco alboque colore inſtar plumarum gallinacearum vel chartae turcicae Variegata, omnium facile rariſſima. Unicam tantum per ſuam aetatem vidit *Rumphius*.

4. *Caſſis aſpera raw ſtachlichter Sturmhut*. Bat. Steeklige Kaskette, non major ovo, colore obſcure leucophaeo, denſé aſperis tuberculis ſpinas obtuſas aemulantibus, inter quae multae rugae atque tumuli ſunt obſeſſa.

II. *Caſſides Verrucoſæ.*

Haec ſpecies ex meris fere conflata tuberculis aemulatur vitra tuberoſa, quae Batavis appellantur *Pimpeltjes* ex quibus amant vinum crematum bibere *kleine Knœpſigte brantewein glaſer*, unde

de & idem nomen his caſſidibus tribuêre, ex iis primario recenſentur.

1. *Verrucoſa* (quam pro prima habent) *ceramica* hujus ſpeciei maxima, extante capite inſtar turbinis, reliquo corpore muricis inſtar formato, ſeptem obtinet eminentia tubercula & alia in dorſo minora, claudit os oblongo obſcurè melini coloris ungue ad ſuffimenta ſerviente. Ceramica dicitur, quia ad tractum Ceramicum meridionalem in littoribus inter nigros lapillos reperitur. Quare Hollandi eam appellent die getakte Zwitſers broek Curioſiores indagent.

2. *Verrucoſa ſecunda.* Magna inſtar ovi exprimens formam Volutae, extantibus octo in ambitu tuberculis, qnae quam in prioribus latiora obtuſioraqne. Illius unguis ſuffitibus pariter inſervit.

Septem adhuc alias ſpecies depingit Plinius Indicus formâ meliùs ex apotypis, quam verbis, cognoſcendâ miras enim cognominationes apud Batavos accepêre, ut *Haarige oorens*, *Paddetjes*, *Kikvorſchen*, *Knoddekens &c.* quas latine liceat dicere auriculas piloſas, cochleas bufonias, ranulas, nodulos.

III. CASSIDES LAEVES SIVE CINERIAE.

Rotundæ & læves inſtar cochlearum vulgarium ſed cum extante mucrone.

1. Caſſis Cinerea laevis. *Aſchgrawee Sturmhut grawes und glattes Caſquet.* Bat. Grauwe Ka-

 ſtetten.

ſtetren. 2. *Areola*, dicta à maculis quadratis lucide fuſcis in ordine inſtar areolarum hortenſium poſitis. 3. *Fimbriata ſtriata* quia; ad unum oris angulum fimbriâ latâ cum brevibus nigrisque faſciis ſignata eſt. *Streiffigtes ſacumlein*. 4. Fimbriata laevis, *glatte geſtreiffte*. Dantur aliae, quibus propter colorem & ſplendorem varia Caſſidum Bezoardico maculaſarum (gevlahte Bezoar) ſtriatarum (geſtreepte Bezoar) ferinarum (wilde Bezoar) nomina indiderunt fœcundi admodum & divites in ſuo idiomate Batavi.

IV. MVRICES
Purpur-oder Stachel Snecke

Sunt ramoſae & ſpinoſae caſſides, gezakte ſturmhute, quae habentur pro muricibus orientalibus quo ad formam, non quo ad proprietates. Recenſentur.

1. *Murex ramoſus*, hic omnium maximus & praecipuus eſt. Ejus clypeus verus eſt unguis odoratus, qui in Pharmacopoliis eppellatur *Blatta Byzantia*. 2. Murex ſaxatilis. 3. Murex minor 4. Scorpiolus 5. Hauſtellum *der Schœpfer*. i. e. vaſculum quo quid hauritur. 6. Tribulus *die Stachelnuſs*, Batavis ſpinnekob. verùm quia haec nomina â recentioris aevi Conchiliorum poſſeſſoribus attributa eſſentiales muricum differentias non explicant, hiſce pretium non eſt immorari, ſed tranſire ad

Muri-

d by Googl

Muricum Coopercula.

Operculum, quo murices oſtiolum ſuum claudunt à Dioſcoride appellatur Onyx marina, ſeu unguis marinus, vulgò unguis odoratus, quia baſis eſt thymiamatum per totam Indiam, non quod per ſe gaudeat grato odore (incenſus enim redolet cornu uſtum, ſive ut vult Plinius, caſtorium) ſed alia ſuffimenta addita, ut ligna, reſinae ſuccos odoriferos exaltet & durabilia reddat, unde quod in pilulis aloe in Muſica Baſſus, hoc apud Indos inter thymiamata eſt unguis odoratus ſeu marinus.

Refert D. Valentinus vulgus ſibi perſuadere, quod Materialiſtæ majores ruſticorum ungues (quibus hæ teſtæ fere ſimiles ſunt) coemant, propterea quod etiam candela accenſæ illos fœtore æmulentur, verum non unguem referunt humanum, ſed animalis ungulam. Videamus nunc illarum differentias Inter quas omnium maxima & notiſſima eſt.

Onyx major ſive *taurina*, cooperculum muricis majoris, magnitudine & craſſitie circiter imperialis, ex rotunditate utrimque excurrens in aliquale acumen, exterius colore gryſeo, cum aliquot ſulcis, interius læve & rotundum.

2. Onyx ex purpura, nonnihil priore odoratior, unde & moſchata dicitur. Operculum eſt muricis ramoſi minoris. Onyx 3tia ſeu apud alios quarta refertur ad Blattas, eſt operculum ex Buccina Tritonis, non adeo odorata, ſupplens tamen prioris defectum.

Onyx quinta eſt operculum ex Buccina *Arvana*, quia nullibi niſi in Aru & nova Guinea reperitur. Præfertur priori, eſt quoque *blatta*.

Onyx ſexta eſt ex prioribus muricibus, Hauſtello & tribulo, & ſeptima, octava & nona ſunt ex aliis muricibus minoribus, unde magnitudine, formâ, & pretio differunt.

Unguis tamen odoratus, onyx marina, conchula indica, & Græcis neotericis ſic dictum Blattion Byzantion, & in officinis Blatta Byzantia, ſynonima ſunt, quo ultimo nomine ſolum cœteris ſpretis utendum vult Pometus, ſed quia hæc rarior, infrequentior quoque illius in Medicina uſus eſt. Blattam Byzantiam tamen non à Byzantio, quæ Conſtantinopolis eſt, ſed à Byza quondam urbe Africæ, unde illa Blatta afferebatur, derivandam eſſe vult Rumphius. Plinius tamen quoque appellat Oſtracion l. 32. c. 10. à ſimilitudine teſtæ ollaris.

GENUS VI.

COCHLEAE GLOBOSAE

In hoc univalvium rotundatum genere ſeqnentes enarrantur ſpecies.

1. & 2. *Cochlea ſtriata* ſive *Olearia*. 3. *Cochlea pennata*, quia inſtar plumarum perdicis picturata eſt. Bat. *Patrys-hooren vel Kivitſey* ovum vanelli. 4. *Cochlea patula* Bat. *Wydmonder*. 5. *Rapa* Knobbel-ſeu knollhooren. 6. *Bulla*. 7. *Cochlea imbrium*, quæ ſæpe reperitur in montibus, ad quos ſub imbre vento impetuoſiore abrepta & delata

lata creditur, quamvis alii malint in iis ab imbre generari. 8. *Ficus.* ſpaniſche feige. 9. *Umbilicata*, Nabel-ſchnecke quibus omnibus à figura peculiari nomen inditum eſt. 10. *Arcularia* major & minor, quia ad arcarum ſtraminearum ornatum Indi iis utuntur, 11. *ſerpentuli.* ſic appellant cochleas inſtar ſerpentis convoluti depreſſas, quibus addunt Cochleas terreſtres ſeu lutarias. Erd-graſſ-grund-und garten ſnecken.

GENUS VII.

Buccina ſeu Cochleæ turbinatæ.

Wirbel-Snecken.

Buccino cauſa nominis inquit Plinius, quod ſit ad ſimilitudinem ejus buccini, quo ſonus editur.

Harum turbo reliquo corpore minor, vel ſaltem longior non eſt. Exterius magnam partem aſperæ ſunt & tuberoſæ. Ad has pertinent.

1. *Buccina Aruana* ab Inſula, *Aru* delata das *arvaniſche bloſs- aller poſaunhorn.*

2. *Buccinum Tritonis* ſeu turbo magnus Batavis *Kinkhoorens das Tritonshorn* Clypeum obtinet oblongum, qui onyx eſt ſupra memoratus. Ejus ſortis maximæ aliquando ſeſquipede longæ ſunt. Ita appellantur, quod Alphorezis & Tartaris tubarum loco inſerviant in caſtris ad convocandos vicinos, ut teſtatur P. *Martinus* S. J. Gallis dicuntur *Cornets de mer. Trompette marine.* Id nominis Kinkhooren acceperunt, quia orificio auribus admoto ſtrepitum edunt quaſi oceani flu-

ctuan-

ctuantis, qui præcipue ſub aere tempeſtuoſo obſervatur. Habent præterea hanc proprietatem, ſed cum aliis cochleis plerumque communem, quod ſub aura diutus pluvioſa quaſi ſudent guttis adhærentibus, quæ utut indies ad ſiccitatem abſterſæ redeunt. Ad vividum illarum ſplendorem conſervandum ſingulo ſaltem biennio aquâe ſalſæ per aliquot horas imponuntur, quod Batavi appellant: *de Hoorentjes te drinken geven.* Poſtea aquâ mundâ abluuntur, ad ſolem exſiccantur, panno laneo blande diuque fricantur, donec calefiant, inſtarque ſpeculorum reluceant.

Buccinum tuberoſum priori minus, longitudine palmæ, rugoſum, tuberoſum, absque ſplendore, exterius ſordidé album, interius porcellanice candicans. Ponitur inter rariora, appellatur *Hector.*

Buccinum tuberoſum rufum rohtes knorrigtes poſaunhorn. Priori adhuc minus, undiquaque tuberoſum, colore rufo, maculis nigris per tubercula punctato, calce obſita, ut diſſiculter queat mundari. Cognominatur *Ajax*, eo quod populi in Tombucco ſive celebes buccina illa, admodum expetant in bella profecturi, non absque ſuperſtitione, dum eorum orificiis zinziber aliasque radices, nec non literas cum certis characteribus indunt, lumbisque cingulo alligant, credentes ita ſe invincibiles in prælio futuros inſtar Herois Trajani *Ajacis.*

Pſeudo purpura, ſic denominata, quia purpuræ in mari mediterraneo formam quadantenus habent, interiusque carnem rubicundo-ſanguineam qualis in nullis aliis conchis ſpectatur, non aliter

ac

ac ſi turgeret cruore, aut ſucco Tincturali rubeo. Formam obtinet ex Murice & buccino mixtam, ut ad utramque ſpeciem poſſit referri; longitudinem quinque vel 6. pollicum latorum. Animalculum ejus inquilinum Clypeum geſtat. inſtar articuli digitalis oblongum & inſtar ungulæ brutalis incurvum, exactè claudentem orificium, Quæ optima cenſetur Onyx marina, *Malaiis* appellata *onyx moſchata*, utut moſchum non redoleat *Rumphius* tamen buccini prioris onychem huic præfert.

Sunt præterea buccina quæ fuſum referunt, unde ſuſus & fuſces brevis Bat. *cen. ſpit. ſtompe ſpit.* cognominantur, quaſi *Spindel-ſnecke* diceres. Recenſentur porro Buccina piloſa craſſa Bat. haairige diklipies, quod germanice reddere poſſes, *gehaarigte Dickmauler* ſive Haarige tromette. Horum ſunt diverſæ ſpecies. Omnes brevi craſſaque cauda, lato labio, toto corpore ſulcatæ, & diverſis ſetarum ordinibus obſitæ. Aſperæ & ſine ſplendore. Alia præterea ſpecies tuberoſa eſt, cui os parvum, interius rufum, operculo unguiformi clauditur.

Buccinum piloſum tenue creditur prioris fæmella, habet ſetas, quas facile amoveas, longas atque molles, quemadmodum antecedens fixas, *gehaartes Dünnſchaliges* buccinum oder *haarige rauche dicklippe.*

Mitra papalis. Die Pabſt Cron. Cochlea oblonga, Lævis corpore, alba, ſed rubris guttis, & plerisque quadratis denſe Conſita, quæ quodammodo pretioſos in mitra lapides ordinatim poſitos repræſentant. Superiores anfractuum mar-

margines ſpecioſè dentati ſunt, ut & oris labium. Hanc cochleam inhabitat animalculum venenatum ſumme noxium.

Mitra Epiſcopi Biſchoffs miter prioris formæ ſed longior graciliorque, rubeis maculis notata, animalculum pariter venenatum includit. Accedunt his.

Turris Babylonica i. e. Buccinum pyramidatum. Holland. *Pyramide. Buccinum granulatum planum & rotundum.* Bat. *Ryſtenbryhoorn, das knorrigte Blashorn. Buccinum aculeatum.* Rau geſtacheltes Buccinum Bat. *Diſtelhoorntje. Buccinum undoſum* meerwellen vorbildendes buccinum. *Buccinum lineatum mit kleinen ſchwarzen Streiffen umb wundenes* Blashorn. *Digitellus.* Ein halb finger langes dikſchaliges Blashorn. *Turricula. Turricula plicata das gefaltete thürnlein. Turricula filis cincta. Turricula granulata* id eſt. langwerſig, wie ein thurn zügeſpitztes - mit falten beſetztes-mit dunnen draten umbzogenes - mit körner beſeztes gethurnetes Blashorn. *Buccinum anguloſum.* dünſchalig ſcharff-winkligt Poſaunhorn. *Buccinum ſcalare*, mit vielen windeltraps weiſe umblauffenden flecken umbgebenes kleines weiſſes poſaunhorn verbo *die Wendeltreppe. Buccinum ſpirale, das allerkleinſte raw gerunzeltes gewundenes* Blaskörnlein. Hujus generis dantur adhuc plures ſpecies variæ figuræ & exiguæ magnitudinis, quas quisquilias & *ſchorri Morri* vocant, unde ſingulariter in conſiderationem non veniunt.

GE-

GENUS VIII.

STROMBI SIVE TVRBINES.

Batavis *Pennen*, Rumphio *Naelde Nadelen oder Federen.*

Sunt cochleæ tortiles graciles & longæ multis anfractibus in longum mucronem excurrentes inſtar lignei clavi. Appellantur quoque turbines. *Die gewundene.*

Duplicis ſunt formæ læves & tuberoſi. Pro varietate acuminum ſeu mucronum, quibus aſſimilantur, acceperunt cognomina. Inprimis recenſentur quinque ſpecies ſub appellatione ſtromborum, ſive ſubularum. Bat. *Elze of Marl-priem die pfrieme* nempe ſtrombus dentatus *die aufgezakte nadel.* Lanceatus. Bat. *Piekenir.* - granulatus - chalybæus. Bat. *Zeilnaelden.* - die Segel-nadel - Caudatus albus. B. *witte Tuitjes.* Die *weiſſe Schnauze* caudatus granulatus, weiſſ gefleckete penne. - tuberoſus B. *geknobbelde Tuitjes.*

Porro *Strombus tympanorum* ſey tympanotonos, ad ſimilitudinem ligni, quo tympana tenduntur. Raue trommelſchraube. Strombus angulosus - *fluviatilis* Reviernadel - *die fluht - oder Strommadel Paluſtris* moraſtige Nadelſpitze. *Terebellum* Cuipers boor aliis de geſtippelde boor, *der Faſsbohrer* terebellum punctatum. Cujus etiam variæ dantur configurationes.

Strom-

Strombus Mangiorum eſt turbo longitudine digiti groſſus, aſper, profundè, ſulcatus, viridis ſine ſplendore, pertinet ad faſciatas. Reperitur ad radices Mangy Çaſeolaris vel illis vicinos lapides. Datur quoque ex illa ſpecie acus omnium minima ex foliis arborum inprimis Mangii fruticantis pendula.

GENUS IX.

VOLVTAE

Bat. Tooten. Germ. *Wellen*, *Waltzen*.

Voluta mutuatum eſt ex Architectonica verbum ſignificans ornamenta circinnata columnæ jonicæ vel Corinthiacæ (*Blumenwerk der Schreiner*) quod lineam ſpiralem repræſentant, in cujus centro parvus eſt circulus, circa quem faſcia identidem ſemper latior circum ducitur à quorum ſimilitudine hæ cochleæ denominantur. *Habent* caput planum ex multis anfractibus in forma lineæ ſpiralis formatum, Corpus oblongum ex anfractibus anguſtis, convolutis, in auctum apicem excurrentibus; ita ut Capite ſtantes conum vel pyramidem repræſentent. Omnes ſunt absque operculo, & figurâ admodum variant, ut patet in ſequentibus.

1. *Cymbium* B. gekroonde Bakof Kroon hoorn. G. das gekrönte back-oder Kronhorn. Si hæc voluta erecta à tergo conſpiciatur repræſentat paludamentum regium ſuperiùs cum multis quaſi dentibus, qui in circulo locati coronam quaſi oſten-

oſtendunt, unde nomen ſortitur. Colorem habet ex fuſco luteum, magnis hinc inde ſubalbidis maculis interſtinctum, omnium maxima longitudinem 15. vel 16. pollicum, & latitudinem novem. Chinenſes inde parant varia utenſilia pelves. Cochlearia. &c.

2. *Meta Butyri.* B. *Boterweg.* inter volutas maxima, caput planum eſt, ſed in ambitu rotundum cum extante in medio apice ut in metam quaſi ſit faſtigiata. Germ. butterweck toto corpore butyri inſtar flaveſcens, vel fuſcis punctis ſeriatim poſitis notata.

3. *Voluta muſicalis* Muſickhoorn, capite plano, ut erecta ſtare poſſit inſtar coni. Teſta candidà, ſed characteribus craſſis nigris & quadratis, notas muſicas repræſentantibus ſeriatimque iuxta anfractus poſitis denſè obſeſſà. *

4. *Cereola.* Conica quoque ſed extante magis capite, ut ſtare nequeat, coloris cerei, niſi quod circa os maculam violaceam vel ſubnigram oſtendat.

5. *Voluta tygerina.* *Tygerbunte kegel-Snecke* non lata capite, ſed corpore longa. Circuli capitis conſtituunt aliquos foveolas. Corpus notatum magnis coloris caſtanei, interdum nigris maculis in fundo albo vel ſubrubeo. Hæ maculæ varias nubium, animalculorum, perſonarum mag-

* In America ad littora Inſulâ omnium ſanctorum inveniuntur cochleæ impreſſis notis muſicis inſignitæ, ad quarum ductum in muſica verſati melodiam aptam concinere valent Dapper. Americ p. 219.

magnam ciſtam portantium figuras pro ratione phantaſiæ ſpectantium repræſentant.

6. *Nubecula* Prioribus oblongiores, ſed capite aliquantum tuberoſæ, ore largæ, teſta tenues. Harum una ſpecies colore puniceo cum maculis albis, altera purpureo cum cœruleis albisque punctis gregatim intercurrentibus nubium inſtar. Hae priori longè ſunt pulchriores & rariores.

7. *Veſpertilio* ſic cognominata. Videtur ad murices pertinere ob cuſta rubera, teſtâ exterius ſubalbida, interdum ſubrubeâ, maculis nigris & undis aſperſa, ut alarum veſpertilionis colorem imitetur. Altera ſpecies oblonga eſt & ſubrubea cum fuſcis undis, ſpinarum loco obtinens obtuſa tubercula, tertia ſpecies eſt rubicunda.

8. *Harpa.* Voluta eſt etiam largo ore, omnium pulcherrima et ſecundum varias ſpecies diverſimode colorata. Aliæ quaſi cytharæ filis, aliæ, veluti floſculis, rubrisque maculis, aliæ demum ceu parvis feneſtris picturatæ ſunt.

9. *Voluta marmorata.* B. Marmer *hoorentjes das marmorirte Snekenhorn.* Hæ ſunt conchæ, in marginibus anfractuum denticulatæ, cum brevi mucrone in medio capitis, toto corpore maculis candidis conſperſæ in nigro ſubjecto inſtar Marmoris quod *lecuoſticton* dicitur. Appellant quoque *Ringhoorn*, quia indigenæ variæ ſortis annulos inde conficiunt.

10. *Voluta pennata.* Oblonga inſtar cylindri vertice non plano, ſed extante inſtar turbinis cum parvo & rubicundo mucrone. Hujus duæ dantur ſpecies. Una colore citrino, quæ dicitur *Attagenata das Birkenhun* quia per totum corpus picta

picta eſt plumis flavis cum nigris marginibus. B. *Korhoenders* item *goudelakens. das goldſtük* altera aliquantum minor eſt & gracilior inſtar cylindri inſtar plumarum quoque albo & punico picta Vulgo *Zilverlaken das Silberſtük.*

11. *Voluta maculoſa.* Concha quoque eſt cum acuto verticis mucione, largis in corpore maculis intenſè flavis interjecto atro vel livido inſtar aliquorum cattorum, punctulis adhæc Arenæ inſtar per ſeries poſitis aſperſa. Vulgo *geplekte Katjes. das fleckigte Kazlein.*

12. *voluta cinerea.* priori ſimilis, verum rotundior, ad margines verticis aucto apice, corpore Colore leucophœo & ſine picturis. Vulgo Bat. *Aſchepoeſters der Aſchenprödel.*

13. *Voluta ſpectrorum.* Priori ſimilis, ſed colore vitellino, characteribus macris & intercisis, figuras æmulantibus maſculorum, quibus chartarum luſoriarum confectores folia ſua picta exornant, vulgo. *Spookies.* i. e. lemures.

14. *Voluta maculoſa granulata.* Magnis maculis in teſta granuliſque pungentibus obſeſſa, eſtque duarum vel trium ſpecierum. granulirt- bund farbige Kegelsnecke.

15. *Voluta filis cincta.* Cylindrus brevis lato vertice, punica, nigris lineis ſeu filis circumdata. Rarius invenitur. *Kurze mit ſchwarzen draten umbwundene Voluta.*

16. *Voluta filoſa.* Cylindrus groſſus, obtinens corpus venis rufis incurvis filorum inſtar confuſorum & faſciis aliquot craſſis ſignatum.

17. *Voluta faſciata.* Polymorpha eſt, ſed commune omnium ſignum lata circa medium corporis teſtacei faſcia. *Bandſchnecke.*

18. *Voluta arenata.* Cujus ſpeciei una majora, altera minora punctula inſtar excrementi muſcarii obtinet, unde Bat. vulgus ſatis ridicule eas uliegeſchettjes, mügge ſcheetjes imo Vlooјeſcheetjes denominat.

19. *Muſica ruſticorum.* Brevis eſt & groſſior cylindrus, pollicis longitudine, teſta rubea, groſſis nigris quadratisque guttis in ſeriem locatis, ut notas muſicas referant, ſignata. Vulgo *Muſichoorn.*

20. *Voluta gryſea monachalis.* Vulgo *grauwe mönnicken of oude wyven*, teſta gaudet gryſea cum rugis. Schlecht grawfarbig getuntzelte voluta.

21. *Terebellum granulatum, der kornigte bohrer* per totam teſtam granulata, ſulcata & coſtata eſt voluta, colore ruſo, interdum cathorum inſtar maculata. *Terebratula* dicuntur Muſchelen mit hervorgehenden und durchbohrten ſnabel oder krumbgeſchnabelte muſchelen.

22. *Voluta fluviatilis* eſt ſpecies ex Voluta & mitra papali mixta, teſta tenui leucophœa, ſubtilibus circa coſtas ſulcis, ad quarum oras molles ſpinulæ, aliquando etiam obtuſæ. Dicitur quoque Ambonicis *Amarula.* Vulgo *Revier-Pauſſe* Kroon.

23. *Auricula Midæ*, eſt cochlea lutoſa longo gracili ore, corpore nigro fuſco reperibilis in Cœno ſtagnorum. *Midaſohren.*

GE-

GENVS X.

Alatæ

Die Flügelhörner.

Dicuntur *alatæ*, quia labium unum ſemper latius excurrit ad ſimilitudinem expanſarum alarum Ambonicæ avis *Tallau* quam Batavi appellant *Scheervogel.* Formam ex Buccino & Voluta mixtam habent; Vertex enim in mucronem deſinit ceu in Buccino, corpus verò oblongum inſtar volutæ cum longo gracilique ore. Signum peculiare hujus ſpeciei eſt, quod ad os habeant longum oſſiculum, colore & ſubſtantiæ marinæ onychi ſimiles. Alatæ ſunt duplicis ſortis, in nonnullis enim excurrens labium in diverſos ramos eſt diviſum, in aliis æquale & læve, quarum ſequentes ſunt ſpecies. Bat. Dicuntur *Krabben* exceptis nonnullis quas vocant *Labhoorns.*

1. *Harpago der Boots oder Schifshacken.* Hæc inter omnes hujus ſpeciei eſt maxima, manum vel ſpithamam longa, ſi rami unà ſumantur. Corpus eſt plana voluta, cujus venter in acutum turbinem terminatur; dorſum tranſverſim coſtatum & tuberibus obſitum, & maculis fuſcis variegatum ad os verò ſunt colore roſeo ad marginem poſſident ſex longas extantias ſeu proceſſus intos cavos & in acutum excurrentes. *Rumphius* judicat has ipſas eſſe cochleas, quas Plinius appellavit *Pentadactylos*, fortaſſis quod in mari mediterraneo tantum quinque mucrones oſtentent.. Cœterum *Dactylos* appellat ab humanorum unguium ſimili-

tudine, de quibus ſcribit: His natura in tenebris remoto lumine alio fulgore clarere, & quantò magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque etiam in ſolo atque veſte decidentibus guttis, ut procul dubio pateat, ſucci illam naturam eſſe, quam miremur. lib. 9. c. 61.

2. *Cornuta Hepta dactyli* apud *Plinium. Jonſtonus* Hiſtor. Piſc. inter murices ponit, & nominat *Coracoides*, eò quod mucrones referant roſtrum Corvi, quinque gaudet extantiis quibus ſi capitis & caudæ addas, ſeptem ſunt ſed inæqualis longitudinis. Bat. vulgo Krabben. *ein mit ſieben Spizen gehörnete Schnecke.*

3. *Cornuta Decumana* vel decies ponderoſior prioribus propter teſtæ craſſitiem, quæ ſeptem quoque habet breves proceſſus, ſi una computetur cauda. Ita rudis aſpectu, ut pro petra haberi poſſit. Die allergroſeſte mit 7. kurzen Zacken gehornete Meer Snecke.

4. *Cornuta Millepeda.* Bat. *Duizentben*, prioribus planior, dorſo rufis ſtriis variegato labio in 10 vel 11 breves ramos, eosque omnes recurvos diviſo. Dorſum gaudet diverſis tuberculis labia rubeis nigrisque ſtriis eleganter ſunt picta.

5. *Cornuta nodoſa* minima eſt hujus ſpeciei etiam in multos ramos ſeu extantias diviſa, inſtar digitorum in diuturna podagra tuberoſas, os coſtatum, atro-rubeo oblinitum, coſtæ verò eminentes candicant, rarius invenitur.

6. *Alata lata.* Hæc inter ſimpliciter labeatas maxima, dicta quod in latitudinem excurrat craſſa & anguloſa, labio interdum intus cavo, corpore

pore obſcurè luteo cum paucis maculis rufis, intus lævi & rubro. Hanc nonnulli appellant *Tallan.* Rariò reperibilis. *Breitlippe.*

7. *Epidromis.* Hujus labium maximè eſt latum. Ejus turbo eminet inſtar buccini. Plana dorſo coloris vitellini uniformi: nonnullæ cum parvis ſtriis ruffeſcentibus. Ad hanc pertinet *Epidromis gibboſa & minima.* B. *bizaantje. Das kleine Beſan.*

8. *Lentiginoſa.* Craſſa eſt labio, & lata, teſtâ tuberoſâ nigro, ruſo & viridi variegatâ, interius glabra ex luteo incarnata.

9. Pugiles. Malaicis *Bia Toenjokan* id eſt monſtratores, quia præter extantem in anteriori mucronem quaſi digitellum habent, quo quidpiam monſtrare videntur. Non latæ ſunt, ſed notabilem habent in capite turbinem et in poſtico caudam in altum recurvam. Species prima eſt leuco. phœa, intus ſubrubea cum venis candidis. Altera fuſca, teſtâ planiori in dorſo albis punctulis notatâ, intus eleganter rubicunda.

10. Pertinent ad hoc genus *Luhuana* & *canarium* ſic dicta, cujus quatuor vel quinque enumerantur ſpecies. *Der Canarienvogel.*

GENUS XI.

Porcellanæ Majores & minores.

Speciale genus eſt concharum forma ab omnibus præcedentibus differentium. Dicuntur *Porcellanæ* ad imitationem Græcorum, qui *Chœrinas* vocant. Apud utroſque nomen acceperunt à ſimilitu-

militu-

militudine membri muliebris, quod græci χοῖρον appellant, latini porculum, cujus aliquam ſimilitudinem refert unde & Concha venerea audit, & apud Ennium matriculus cujus appellationis rationem neſcivit *Aldrovandus* L. 3. de teſtaceis. c. 81. Majores ſunt.

1. *Porcellana guttata* maxima & pulcherrima hujus ſpeciei, magnitudine circiter pugni minoris rotunda valde & lævis dorſo, denſè nigris guttis aſperſa, quas aliæ minores fuſcæ & flavæ intercurrunt, longitudinem dorſi, ſed non in omnibus obſidet ſtria colore flavo-aureo, *Venus muſchel*

2. *Porcellana Montoſa* Diverſos repræſentat monticulos, non aliter ac montes promontorii bonæ ſpei pinguntur. Caret pulchritudine, colore pallida.

3. *Concha teſtudinaria* priori oblongior. In dorſo inſtar teſtudinis pulchre maculata, unde nomen accepit. *Die Schildkrotten Snecke.*

4. *Argus* Concha oblonga, inſtar hepatis fuſca, multis quaſi oculis argi inſtar obſita.

5. Aliæ quæ variis maculis inprimis nigro flavis pellis inſtar ſerpentinæ Conſpicuæ ſunt, dicuntur Capita ſerpentina, quarum minor articuli digitatis magnitudinem non excedit. Rarior ejusdem ſpecies eſt, quæ dorſum habet ſubcæruleum flavâ venâ pertranſeunte, reliquæ ejusdem conditionis ſunt ab externis tantum phœnomenis denominationem nactæ, ut *Talpa* à colore nigro. *Comeola* ab incarnato. *Porcellana ſalita,* cui dorſum gryſeo-fuſcum eſt, guttis albis, inſperſa ſalis grana repræſentantibus.

Porcel-

Porcellana literata ſive arabica â notis quibusdam quaſi literis Arabicis *Klip-Kauzen mit litteren. Porcellana lentiginoſa* variolosa, ita dictæ quod maculis quaſi lentigineis aut varioloſis ſignatæ ſint. *Ovum* à magnitudine ovi anatini & colore exterius undiquaque candido, ſpeculi inſtar lucente, interiùs violaceo, quibus propterea Ambonenſes Clypeos ſuos exornant. B. *witte Porcellein hoorn,* *

PORCELLANAE MINORES.

Præcipuæ harum ſunt, quæ pariter à conformatione appellationem ſortitæ ſunt. *Thoracia* vulgo cauri vel caudi, quarum quatuor referuntur ſpecies, Cauri alias appellantur *Schlangenköpfe*, quæ uſui veniunt ad Phaleras equorum ornandas *Bruſtücken*.

1. *Thoracia oculata Weisaugen*, á maculis albis oculiformibus. 2. *Thoracia ſtellata* á ſtellulis, quibus inſtar lapidis Aſtroitis, radiat. *Sternlein.*

3. *Thoracia cauricia* ſive vulgaris. *Gemeine gelbe Cauris.* Non excedunt unguem digiti ſunt famoſa illa pecunia, quæ integris navibus ex Inſulis Maldivis in Bengale & Siam aſportatur, ut minutæ pecuniæ locum ſubeat.

4. Thoracia quarta. Quibus accedunt à coloribus miris *Dracœne*, à colore luteo *Iſabellæ*, à

X 5 multis

* Unde & cochlea Clypiaria dicitur Bonanni inquit. Concha Venerea lattea Corſi detta poiche in tutta ſuperficie eſteriore imita il candore puriſſimo di latte, e più longe che un'ovo di Gallina &c. vid. Eph. G. cur. Dec. 2. ann. 5. obſ. 112.

multis oculis *Argi* ab Inſula Nuſſatello Amboinæ *Nuſſatellanæ*, granulatæ, *Reiskorn* ab hac porro concha nomen acceperunt pretioſa illa vaſa ſinuâ porcellanica dicta vel ob lævorem, vel quod antiquitus exiſtimarint illa é contuſis cochleis marinis albumini ovorum permixtis & in multos annos defoſſis confici, à parvitate, globulorum, Aſellorum, pediculorum cognominibus inſignitæ.

GENUS XII.
Cylindri.

Tortiles hæ ob formam oblongam ita denominantur teſtâ lævi & ſplendente anterius in brevem mucronem deſinentes Batavis *Rollen* vel *Dadels* dictæ, quia Dactylorum nucleis aſſimilantur. Nomina illarum à coloribus dumtaxat petuntur, ita à porphyritidis nigricantibus maculis *Cylindrus porphyreticus*, *die porphyrne Rölle*, à plane nigris *Sepulcralis*, à gryſeis *Monachalis*, à venulis inſtar acharis, *Achatinus*, à colore terreo *Cylindrus lutarius*, Slykrolle, *Schlamrolle* ut alia ridicula nomina taceam, appellantur.

GENVS XIII.
CONCHAE VNIVALVES NON CONTORTAE

die einſchalige ungedrehete Snekenheuſer.

Poſt Concharum Univalvium tortilium genera ſequuntur Univalves non contortæ, quarum duæ

duæ extant ſpecies. Prima ex uno tantùm latere obtinet teſtam quâ obtegitur, alterâ aperta petris ſeu ſcopulis perpetuò adhærens. Unde *Klip-kleevers* appellantur. Recenſentur ſequentes.

Species Prima.

1. *Lopas* ſeu *Lepas* ſive patella. Schüſſel-förmige. 2. *Auris marina*, Zee-oor ſive oorſchulpe, à forma auris oblongæ. 3. *Balani* Eichelen, qui magna ſæpe congerie navibus, lapidibus, lignis vel ſcopulis plano fundo Arctiſſimè affixi locum non mutant. Germ. Klipkleber. 4. *Verruca teſtudinaria.* Hic balanus nullibi niſi teſtudinibus majoribus affixus conſpicitur. *Schildkrottenlaus.* 5. *Opercula callorum* (per callum intelligitur caro durior) ſunt ſpecies limacis marinæ, quæ in arena vel fundis littorum lutoſis ſub ſabulo morantur, in dorſo opercula unguis inſtar geſtantes, quarum rurſus variæ aſſignantur ſpecies pro ratione conformationis operculi, nunc oblongum Clypeum, nunc patellam in circuitu acutam, nunc pernam referentis. Prætereo duas alias latio adhuc ignotas, quas Batavi ſuo idiomate *Nootedoppen* l. putamina ſeu teſtas Nucum) & *Viſchuiven* vel *Zotskappe* appellant.

Species Secunda.

Conchæ univalves non contortæ quæ appellantur *Solenes* Seepfeiffen, pfeiffhörnel.

Conſtant hæ tubulo longo in aliis recto, in aliis curvato, utraque extremitate aperto, ita tamen ut una extremitas gracilior ſit, inſtar abruptæ cuſpidis, ubi teſta eſt ſpiſſior.

1. So-

1. *Solen alenarius.* Sandpſeiffe. Batavis *Koedarm*, quia ſimilis eſt inteſtino bovis inflato communiter duorum vel trium pedum longitudine, plerumque incurvus, intus albus, & transverſim circulis notatus, hinc inde cum fiſſuris, non tamen in cavitatem penetrantibus.

2. *Solen lignorum.* Bat. *Boorworm.* Aſſimilatur inteſtinis gallinarum convolutis. Craſſitiem habet fiſtulæ tabacinæ. Nonnulli ſunt teneriores, ſed teſtâ duplici pergameno non ſpiſſiore, exterius circulis tenuiſſimis candidiſſimâ, creſcentes in putreſcente ligno tam navium, quam quovis alio, in quibus ita multiplicantur, ut integræ arborum cavitates hiſce tubulis impletæ reperiantur, per miros anfractus & contortuplicationes convolutis.

3. *Solen anguinus Hoornſchlange* ſunt tubuli anguis inſtar miris convolutionibus tortiles, ad maris ſcopulos, eorumque monticulos dumtaxat naſcentes ex quibus ore applicato nutrimentum capiunt, rarius tamen inveniuntur.

Huc pertinent tubuli admodum parvi, craſſitiem culmi ſtraminei non excedentes, ſed ſerpentinis flexuris, ad lapides fixi, & parte aliquâ liberi.

4. *Denticuli elephantis.* parvi ſolenes ſunt longitudine medii digiti, inſtar cornu arietis contorti, exterius coſtati virides & in apice ſubalbidi, ad littora Perſiæ communes vulgò Olyphantstanden.

Rondeletius ad imitationem Apulei in ſolenibus ſexum conſtituit, & appellat ſolenem maſculum, cujus teſta eſt ſubcœrulea vel coloris lapidis

pidis ſciſſilis, fæmellam veró, cujus teſta eſt alba, vel ſubrubea & quæ ordinarie cœteris minor eſt. Hæ ſpecies ſatis communes ſunt in mari mediterraneo. Pometus invenit adhuc ſolenis ſpeciem ad partes Normandiæ, coloris albo-purpurei, ſed craſſiores ſunt illis maris mediterranei, longi ſeptem circiter pollicibus, ampli uno.

CLASSIS III.

Conſpectus Concharum Bivalvium.

Zweyſchâlige S. Zweyſchuſſelichte Schûlpen. Bat. *doubletſchuilp.*

Dividuntur in ſex ſpecies, ſeu genera quæ ſunt 1. chama aſpera, 2. chama lævis 3. pecten 4. Telinæ 5. Muſculi, 6. oſtrea.

Chamæ nominantur omnes iſtæ conchæ, quæ fundo incumbentes patulæ ſunt. Incolæ de Ternate & Manado has conchas appellant *Kemas* uti antiquæ græci *chamæ*, quod latini reddiderunt *chama*. Sicuti ex vocabulum *chema* jam priſco in latio uſitatum fuit, ut patet ex verſu Apulei in Apologia ex Ennio.

Apriclum piſcem ſcito primum eſſe Tarenti ſurrentis chemas.

Hæ in duas ſpecies dividuntur à Plinio, in *Chamatrachea* & *Camelaa.*

Ge-

GENVS I.

I. De chamis aſperis

Gienende muſchelen.

Chamætrachea ſive chama aſpera eſt, quæ gaudet cortice aſpero ſive coſtis extantibus ſive ſquammis ſive unguibus, uti ſunt.

1. *Chama aſpera ſquammata* B. Nagelſculpen. Ex his ea magnitudine reperiuntur, ut ſex vel octo homines iis portandis requirantur, hæ tamen in oceani profundo ſemper morantur, ad littora vero minoris magnitudinis, quæ manum non excedit, inveniuntur, unde in *chamas decumanas* ſeu *pelagias* & *littorales* diſpeſcuntur. *Plinius* l. 33. c. XI. has ſpecies enumerat. *Chamarum genera* (libri impreſſi malè habent cancrorum) *chamatrachea, chameleos, chamapelorides, generis varietate diſtantes & rotunditate, chamaglycimerides, quæ ſunt majores quàm Pelorides Colycia ſive corophia*, alii legunt Copyica & Coriphæa. Gloſſatores ſic explicant. *Chamatrachea* teſtam duriorem habet, *Chameleos* teneriorem. *Pelorides* apud Athenaeum Conchae *Peloriades* ſapore dulces ſunt, dicuntur accepiſſe nomen à Pelorios id eſt magno, licet alii deducant à Peloro ſiciliae promontorio. Colyciam ſive *corophiam* alii veriſimilius reddunt *coryceam*. Athenaeus ſextam ſpeciem addit, quam chamaenigram, concham Molaenam, & melaeniten appellat.

2. Cha-

Digitized by Google

2. *Chama ſtriata.* 3. Teſtae quae ſunt conchulae rotundae craſſa & plana teſta magnis granulis extus obſita. *Geſtreiffte Gien-Muſchel.*

4. *Teſta pectinata* inſtar pectinum ſulcis in dorſo, maculisque nigris ſignata.

5. *Cartiſſa*, herzförmige, Bat. *venus hertjen*, omnium chamarum rariſſimae & pulcherrimae, teſtâ tenues, cordiformes extremitatibus acutae & plures inter illas dentatae, gezähnter venus-doublet. Alii *Bucanditas* vocant, herz-muſchelen. Ejusmodi *Cardiſſos* ſeu *corcula*

Rumphius ad Andream Aegerum ex Amboma raritatis cauſa in peculiari ſcatula inter alia exotica transmiſſit, ut memoratur in Epiſtola No. XII. quae extat apud Valentinum in Hiſt. ſimplic. Reformata part. 2. ſive India literata Ep. 13. ubi ſaltem appellantur albicantes conchae in medio dehiſcentes.

6. *Quadrans* 7. *Tendo*, plures non innotuerunt.

II. DE CHAMIS LAEVIBUS.

Hae aſperis minores ſunt habentes magnitudinem communis conchae, plerumque rotundae, teſtâ craſſa, qua à *Tellinis* differunt, quae omnes teſtâ tenues & oblongae ſunt at hae chamae fundo nudo incumbunt, aut non ſaltem profunde ſub illo. *Tellinae* vero ex arena vel ſubtus lapides eruendae veniunt, illarum ſunt ſpecies.

I. Chama laevis. B. dicta gladde gapers. *die glatte gienmuſchel* *Glycemeris* indica, rotundula eſt ſive ex rotundo trilatera, in poſtico habens angu-

angulum obtuſum, in antico colore tenuiter flavo, quia illius caro prae cœteris deprehenditur dulcior, pro *Glycimeride Plinii* non injuriâ eſt habenda.

2. *Chama lutaria* & coaxans. *Die quatſende erdmuſchel.* Bat. quakkers. Magnitudinem palmae habet obſcurè viridis, ita dicta, quod teſtam claudens inſtar ranae coaxatum edat.

3. *Chama optica.* Perſpectiv ſculpe, rotunda & gibboſa concha duorum pollicum latitudine teſtâ craſſâ & laevi ſubnigris picturis, circa marginem grandioribus, & ſequentibus magè parvis, centuleisque *die perſpectiviſche Gienmuſchel.*

4. *Chama cincinnata - geäugte Circul - oder Kreiß-muſchel*, cum duobus quaſi oculis, multis circulis & coſtis coloris fuliginei, aliquando nigris maculis, quaſi domunculorum & turricularum figuris punctata, aliis appellatur *Schild - Muſchelen.*

5. *Chama virgata.* Exterius obſcure viridis, cum Striis vel radiis fuſco - flaveſcentibus, interius colore milacco. *Die geſtriethdte Gien-Muſchel.*

6. *Chama literata oblonga.* B. letterſculpen longa 4. vel 5. pollicibus, lata tribus exterius circulis parallelis, in fundo lucide rufa ſtriis nigris literam W. exprimentibus. ſignata. G. langligte littermuſchel.

7. *Chama litterata rotunda.* Omnino plana ſed graſſa teſtâ fere rotunda, plena circulis, notis punctata nigris et W. repraeſentantibus. Rariſſimè invenitur.

8. *Chama pectinata.* Plana, teſta craſſa alba, in paucos ſed latos diviſa pectines per ſulcos lon-

longos ad poſtremam extremitatem excurrentes. *Die Kam-muſchel.*

9. *Chama ſcobinata* plano-rotunda & alba parvis ſquammulis per univerſam ſuperficiem obtecta *Die ſchuppigte muſchel.*

Huc accedunt 10. *Favus Wafeliſer die eiſenkuche-form.* 11. *Lingua Tigrina* 12. *Chama granoſa* ob acuta quibus obſidetur, granula. *Die kornigte Gienmuſchel.* 13. *Remies* quæ chama plana cum protuberantibus circulis, non picturata. 14. *Kapja* quæ ſpecies chamæ literatæ, exterius aliquantum aſpera cum picturis leucophœis montium vel regionum, illarum uſus eſt iis, qui Capſulas in India & Chinâ, auro vel argento obducunt.

GENUS II.

Pectines qui plani. *Die glatten und kleinen Jacobs Muſcheln.*

Pectunculi, qui Gibboſi ſunt. *Kamm-Muſchelen.*

1. Pecten primus ſive vulgaris. Jacobs Muſchelen. Græcis Chtenia ab antiquo græco vocabulo. *Ctenes.*

2. *Pecten.* 2dus priori minor & gibboſior cum punctis nigris & leucophœis.

3. *pecten tenuis* ob teſtæ tenuitatem ſic dictus.

4. *Amuſium.* Aemulatur planum pectinem, coſtas extantes non habet, ſed læve & glabrum eſt, ſtriatum tamen. Vulgo *Compaſs ſchulpe*, à ſtriis in ſuperiori cortice colore hepatico tranſparentibus, in cardine conjunctis & ad circumferentiam excurrentibus, ſicuti in pixide nautica.

5. Radula. 6. Pectunculus Vulgaris, ab oris pectinis inſtar denticulatis. 7. Fragum à tuberculis fragorum inſtar rubris. 8. *Pecten Virgineus* 9. *pecten granoſus.* 10. *Pecten ſaxatilis.* 11. *Pecten bullatus.* 12. *Teſta* propriè appellantur parvi rotundi pectines craſſis & planis teſtis magnitudine nummi Hollandici, quem doppeltie vocant, exterius magnis granis obſiti. *Scherblein.*

13. *Teſta pectinata.* Teſtulæ pariter rotundæ inſtar prædicti nummi, Cortice craſſiori ſulcato ſordide candentes cum maculis ſeu notis nigricantibus. *Wilde Scherblein.*

GENUS III.
Tellinæ
Tell-Muſchelen.

Hac claſſe comprehenduntur omnes conchæ oblongæ & cortice tenues, ſive læves ſive ſtriatæ quarum ſunt ſpecies.

1. *Tellina arenoſa*, quia ad extremos littorum margines ſub ſabulo ad profunditatem pedis ſub-

ms

tus horizontem effoditur. *Die ſandigte tell-muſchel.* 2. *Tellina ſaxatilis*, quia ſcopulis affixa & crinita. *Die Stein- oder Kliptell-muſchel.* 3. *Tellina Gari.* Quia garum eſt Ambonicum cum antiquorum garo, quod ex inteſſimis piſciculorum parabatur, conveniens. *Garum oder bocaſtan tell-muſchel.* 4. *Tellina violacea* à colore cum ſtriis latis albidis. 5. *Tellina Cultriformis* anteriori extremitate acuta, recurva utriumque inſtar acinaris, cortice fuſco vel rufo. 6. *Tellina picta.* Conchula nonnihil ſtriata, granulata & regionibus ac turriculis gryſeis vel nigricantibus adumbrata. 7. *Tellina virgata* vulgo *Sonnenſchalen.* 8. *Tellina lævis alba rotunda. Die glatte runde und weiſſe tell muſchel.* 9. Folium. 10. *Petaſunculus* à figura parvi petaſonis. 11. *Petaſunculus ſtriatus. Der ſtreiffigte Schniken.* 12. *Volſella* vulgo bartkniper. *Das Bartzanglein.* 13. Lingua felis.

Ad hanc claſſem fortè referendi ſolenes bivalvii, ungues, dactyli vulgo Vaginæ, quia ejus habent formam. Bat. Orgelpypen. Græci moderni appellant *ſulinees*, Itali languetti. *Jonſtonus*, ſcribit apud venetos appellari *Cappa longa*, Bononiæ *piſce Canella*, apud *Rondeletium* Concha longa. ſunt enim conchæ oblongæ binis ſuis valvis fiſtulam longam exhibentes. Sicuti ſolenes ſolidi, de quibus ſupra, ex uno tantùm tubo conſtantes.

GENUS IV.
Muſculi, alias mituli vulgo Farb- oder Mahler-Muſchlen.

1. *Muſculus anatarius* fuſcus nonnihil, rugoſus, quo alunt anates. Endtmuſchelen.

2. *Muſculus vulgaris* major, ad fuſco-cœruleum colorem vergens.

3. *Muſculus* ſaxatilis minor, ad articulum digiti longus, ſed latior, inſtar auris formatus exterius rugoſus & granuloſus, in ambitu hirſutus, ſcopulis adhæret. *Steinmuſchel.*

4. *Muſculus Arenarius*, quod ſolenum inſtar totus in ſabulo abſconditus lateat.

5. *Pholas Steinſcheide.* Oblongus niger muſculus, longitudinem & latitudinem digiti, interdum palmæ, habens in magnis coralliorum lapidibus creſcens.

6. *Avicula.* Mitulus niger, qui expanſus ſimilis eſt aviculæ volanti ſeuhirundini cum cauda tonga. Creſcit ad ligna diutius oceano immoratae rarae ſunt conchae.

7. *Pholas lignorum.* Pariter in putrefactis, Oceani palis generatur, colore fœdus gryſeo-cortice fragilis. Aſſimilatur extremo digiti articulo, nempe in antico obtuſus, in poſtico ſubplanus

d by Googl

planus, rotundo foramine in duas partes ſe aperiens. *Stok-Auſter.*

GENUS V.

Pinnæ B. Holſterſchülpen.

Hae peculiarem figuram obtinent à cœteris quibuscunque conchis differentem, nempe trilateram, longam, planam, ſuperius latam apertam, inferiùs acutam et in acumen deſinentem.

Dividitur in pinnam oblongam & pinnam latam *Plinio* pernam & pinnam albam, quae ambae pro fœmellis habentur Dicitur quia pernae Weſtphalicae valde aſſimilatur, cortice externo nigra audiamus de illa elegantiſſime diſcurrentem *Plinium* lib. IX. c. 42. Concharum generis et prima eſt. Naſcitur in limoſis ſubrecta ſemper, nec unquam ſine comite, quem *Pinnotherem* vocant, alii *Pinnophylacem*, is eſt ſquilla parva, alibi cancer dapis aſſectator (Hollandi garneeltie vocant) Pandit ſe pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piſcibus praebens. Aſſultant illi protinus, & ubi licentiae audacia crevit, implent eam. Hoc tempus ſpeculatus index morſu levi ſignificat. Illa, ore compreſſo, quidquid incluſit, exanimat, partimque ſocio tribuit. Quò magis miror quosdam exiſtimâſſe aquatilibus nullum ineſſe ſenſum, ita *Plinius.*

GENVS VI.

Oſtrea Auſtermuſchelen.

Variae ſunt oſtreorum formae, ſed in hoc omnia conveniunt, quod exterius aſperum, ſquammoſumque corticem interius argenteum ſeu perlaceum obtineant neque locum mutent. In Inſula Ambona ſequentia reperri tradit *Ramphius*.

1. Oſtreum radicum ſive lignorum. B. Stokœſters, omnium longe maximum oblongum, variæ formae, à loco, ubi arborum radicibus adhaerent, acquiſitae. Habentur pro *Tridaenis Plinii* moderni Graeci appellant *chaderopoda* à ſimilitudine pedis aſinini.

2. *Oſtreum ſaxatile* quae ſilicibus variorumque ſaxorum fragmentis adhaerendo creſcunt *Stein-Auſter*.

3. *Oſtreum placentiforme* ſive Ephippium B. *Zadelſchülpen*, quae inſtar placentae plana Ephippiis anglicis ſimilia ſunt. *Engliſche ſattel*.

4. *Oſtreum plicatum* majus & minus quod conſtat elatis plicis, teſtâ craſſâ, dorſo ſquammato aſpero, aliis ſulcatum dicitur.

5. *Oſtreum Ghinatum*, quia aculeis inſtat Echini marini obſeſſum. Dorn-Muſcheln. Igels-Muſcheln. *Stachligte Auſteren*.

6. Oſtreum

6. *Oſtreum diviſum.* Figuram habet mediae crucis ſive literae T.

7. *Oſtreum tortuoſum gewundene Auſteren.* 8. *Oſtreum electricum Agtſtein Auſteren.* 9. *Mitella Muzlein.* Species balani inſtar mitrae planae figurata. 10. *Oſtreum pelagium.*

Color Oſtreis diverſus eſt. Ruſae ſunt in Hiſpaniâ, ſuſcae in Illiria, in mari rubro flammeis ita diſtinguuntur zonis, ut varii coloris temperaturâ ad iridis accedat ſimilitudinem Aelianus l. 10. c. 13.

Memorabile eſt, quod adducit *Rumphius* anno 1645. In Inſula Principis ſic dicta (Princen Ecland) inventam oſtrei teſtam in circuitu ſeu circum ferentia ſeptem ulnarum, ſive in diametro duarum & unius quadrantis, nec non in *Java* inveniri trecentarum librarum pondus æquantia oſtrea. Ad quorum magnitudinem tamen non accedunt geminæ illæ oſtreorum teſtæ raritatis cauſa in Muſæo Regis Daniæ teſte Olig. Jacobæo ſpectabiles, quarum utraque ſexaginta libris pendet.

SYNOPSIS CONCHARUM PLINIANA

quæ eſt in XXXIII. Claſſes ſeu ſpecies diviſio.

Plinius Hiſtor. Nat. l. 9. c. 33. Conchilia ſciogra-

 gra-

graphico hoc compendio admodum ſcite complexus eſt hoc textu.

Concharum genera, in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucrones emiſſo, foris effuſo intus replicato: jam diſtinctione virgulatâ, crinitâ, criſpa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expanſa, dentata, porrecta, ſinuata, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis ad Buccinam recurvis, navigant ex his venereæ præbentesque concavam ſui partem & aurae opponentes per ſumma æquorum veliſicant, ſaliunt pectines & extra volitant ſeque & ipſi carinant.

Exegeſis Rumphiana.

1. Concha *plana*, ſunt conchæ quæcunque planæ ut plerique pectines & oſtrea plana.

2. *Concava*, ut pectunculi & oſtreum echinatum. Stachligte Auſteren.

3. *Longa*, ut ſolenes.

4. *Lunata*, inſtar lunæ dimidiæ ut chama ſquammata.

5. In

5. *In orbem circumacta* ſeu perfectè rotunda inſtar orbis, ut quædam ſpecies chamæ literatæ vulgo Schildmuſchelen.

6. *Dimidio orbe cæſa*, quaſi mediæ lunæ pars foret abciſſa, ut Chama ſtriata, quadrata, pecten Virgineus.

7. *In dorſum elata* ſeu gibboſa, ut lingua tygridis, pectunculus granoſus, & inter cochleas quæcunquæ caſſides.

8. *Lævis*, ut Chama lævis, porcellanæ.

9. *Rugata* ut Chama aſpera. *Runzel-Muſchelen*

10. *Denticulata*, ut omnes ſpecies chamæ aſperæ.

11. *Striata* ut chama ſtriata, pectines. *Die Schiffer-Muſchel.*

12. *Vertice muricatim intorſo* ut pſeudo-purpura, turbo caudatus, voluta aculeata.

13. Margine in mucronem emiſſo, ut pentadactyli & Heptadactyli Pliniani.

14. *Margine foris effuſo*, quorum margo extrorſum reflexus eſt, ut Caſſides majores.

15. *Margine intus replicato* ut omnes porcellanæ.

16. *Diſtinctione Virgulatâ*, ideſt vel ſtrys vel punctulis ſignatæ, ut conchæ & cochleæ literatæ.

17. *Diſtinctione crinitâ*, tenuiſſimis ſtriis capillorum inſtar pictæ, ut cochleae arabicae & conchae literatae.

18. Diſtinctione criſpâ, ut cochleae literis quaſi arabicis inſcriptae.

19. *Undata canaliculatim*, quae magnas habet plicas aſcendentes deſcendentesque inſtar fluctuum maris, ut concha ſquammata.

20. *Undata pectinatim*, quae inſtar pectinum ſtriata, ut omnes pectines, & ſic appellata fraga.

21. *Undata imbricatim*, quarum teſta in plicis denticulata inſtar imbricis vel tegularum cava, vulgo, *Tag-Muſchelen*.

22. *Cancellatim reticulata*, in forma rhomborum tornata, ut inter chamas ſic dicta lingua Tygridis & vulgo. *Wafel-Iſer*.

23. *Expanſa in obliquum*, quae angulum facit excurrentem, ut pecten Virgineus & Tellina.

24. *Expanſa in rectum*, quae anterius expanſa, ut oſtrea.

25. *Denſata* uti caſſides Verrucoſae.

26. *Porrecta* id eſt in longum extenſa, *uti Batavis* dicta fuſa & turris Babylonica.

27. *Sinuata* ut Biakris, vulgo *Mezkramer* rara hujus figurae oſtrea, quorum pauca inveniuntur. Rumphius hujus ſpeciem in ſcatula ad Cleyerum deſtinata tranſmiſit. vid. Ind. literat. Valentin. Ep. 13.

28. *Brevi nodo ligata*, quae brevis & rotunda eſt, ut Hollandis dictae Alykruiken.

29. *Toto latere connexa*, quae uno latere non aperitur, ut ſolenes, Pinnae, Tellinae.

30. *Ad*

Digitized by Google

30. ***Ad plauſum*** (credo ad pulſum) ***aperta*** nempe quae ſi pulſentur, ſe aperiunt, quarum ſpecies hactenus non innotuit.

31. ***Ad Buccinam recurva***, ut loco tympani ſervire valeat, ut Buccina Tritonis.

32. ***Saliens ex aquis & ſe ipſam carinans*** ut Pectines, Nautilus, qui elatus de imo maris gurgite enavigando ad ſumma emergit.

Non eſt dubitandum, quin plures Cochlearum concharumque ſpecies forte adhuc ignotas recondat in aquarum abyſſo inperſcrutabilis oceanus, ſaltem plures ex ſupra rudi calamo delineatis efformari poſſent. Potiſſimæ quas mittit orbis indicus, & mare mediterraneum graphice deſcriptae ſunt. Si quid in his deficit, ***Aldrovandus***, ***Bonannus*** italus Muſaei Kirkeriani Cuſtos, ***Lyſterus*** Anglus, ***Rondeletius*** Gallus, ***Rumphius*** Hollandus curioſis harum maris exuviarum ſcrutatoribus facilè ſuggerent. Breviſſimus hic ſaltem index & Elenchus eſt, ex aliorum vaſtis operibus extractus, in quo ceu horarum ſubciſivarum parergo ſi quid fortè erratum, benevolus iſtius theſauri thalaſſii poſſeſſor ex Autopſia corrigere & emendare non gravabitur. Ego coronidem hiſce impono elegantiſſimo Caſparis *Barlæi* Epigrammate.

Oceani Spolium, quales Tritonia conjux
Sub vitreo ſenſim gurgite format opes
Tot procul Eoo detritas aequore conchas
pulchraque tortilibus corpora turbinibus.

Aſpice

Aſpice non laevis oculis Barlaee, tuoque
Quae repſère prius, pollice tange domos.
Exuvias animalis habes vacuosque penates
Et picturatis limina tincta notis.
Mutus in his nuper vixit penetralibus hospes
Ex graciles illic delituêre ferae.
His lituis, his ipſe tubis ſua praelia Triton
Inchoat, hoc Nymphas convocat ore ſuas.
Non haec lucrinis veniunt conchylia ripis,
Littoribus cattus non habet illa ſuis.
Miſit in arctoum Ganges locupletior orbem
Auriferisque vomit torridus Afer aquis.
Quid tectis Dis Haga tuis trabibusque ſuperbis?
Aut pretium celſas credis habere domos?
Plus nitidos Cochlêis tribuit natura penates
Splendidior ſpretis piſcibus aula patet.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
Quæ in tribus Tomis continentur.

Numerus Romanus Tomum; Arabicus paginam; Præf. Præſationem; Ep. præl. Epiſtolas præliminares Tomi ſecundi denotat.

A.

Abbatum Werthinenſium & Helmſtadienſium Perioche hiſtorica. I, 98.
Abulabaz Elephas Carolo M. donatus I, 48. 49. 50. 55. 62. 64 65. præf. pag. 18. dubia ejus proſapies I, 55. obitus & locus funeris I, 48. 50. 64.
Academia quid? II, 13. 14 Burdegalenſis I, 128. 146. Leidenſis II, 16. Monaſterienſis. II, 2. 15 ejus fundatio. ibid. Diploma Imperatorium II, 3. 12 Inſtauratio II, 15. 20 Ep præl. pag 10 futura exinde Emolumenta II, 23 Inſcriptio II, 20. 30 Sceptrum Academicum II, 18. 19. 31. 32.
Academiæ variæ, earumque fundatores II, 14. 15. 28.
Achates, gemma S. Maximiniana ab erroribus vulgi expurgata I, 101
Adamantes in Weſtphalia reperti II, 189.
Adæ monumentum I, 102.
Aelg. Vid. Alces.
Agni paschalis ſignificatio III. 4.
Alces, animal. I, 21. 32. 33. 42. Vid. Elo & Schelo.
Alchymica Opera I, 259. 261 ſeq.
Alpenſchoß I, 72.
Altburga Walberti Conjux III, 116.
Altenburgum ibid.
Amaſinum flumen Auri - & Argentiferum II, 189.
Ammonis Cornu. Vid. Cornu.
Ammons Hörnlein III. 299.

Amphi-

Amphitheatrum gloriæ, Panegyris de Domo Auſtriaca I, 270.
Amuletum. II, 255. 258. ejus uſus interdictus 252.
Analecta Weſtphalica. I, 246.
Animalia varia cornuta I, 15. 16.
Annuli conſtellati. vid. Talisma.
Anthracodendra III 162.
Apollinis cognomenta varia III, 99. 110. Granni ſive Granii Mogouni etymon III, 99. 100 ſeq. Inſcriptiones 100. 101. 103. 114.
Apollonius magicæ ſuperſtitionis Anteſignanus II. 82.
Aqua potus univerſalis II, 171. ſalubris II, 138. ejus color varius unde II, 114. rubra ſcaturiens II, 100.
Aquarum varia Nomina unde? III, 112
Aquæ Diis conſecratæ III. 112. Graniæ ibid.
Aquæ quibus injecta mutantur in Lapides III. 144
Aquis granum I, 49. ejus etymon III, 102. 110. 111. 112. Thermarum inventor III, 111. 112.
Arbores ſub Terra repertæ. III, 161. 162 Conchiferæ III, 246. 247 Viſciferæ III, 281. in quibus nata frumenta III, 291.
Arborum varia Connubia fœdera et adoptiones III. 285. 286. 287. 288. ſeq. varia ex iis præſagia III, 285. 286 ſeq.
Archeus febrium faber & medicus I. 201. 202. ſeq.
Ariſtarchus numismaticus I, 103.
Arrographia ſpagyrica I, 247.
Arundo in Elephantis ventriculo nata III, 253
Aſinus ſylveſtris I, 21.
Attilæ Regis nummi I, 73. 79. 105.
Auri Anima I, 249. 250 particulæ ex variis ſubjectis ſeparabiles III, 86.
Aurifodina ænigmatica II, 191. 197
de Auro & Argento proceſſus varii I, 259. 260 ſeq.
Averendorpium quondam Partheno I, 100.
Aur-Ochs I, 26. vid. Urus.
Azoth quid? III, 41.

Digitized by Google

B.

Balenæ herbis conſitæ III, 255.
Belemnites, lapides fulminares I, 72. variæ ſpecies ibid. Virtutes I, 73. 79.
Benthemo - Crene, ſive kurze Abhandlung von dem geſundheits brunnen in der Graffſchaft Benthem. I, 140. 141 ſeq.
Benthemicum Talisma I, 105. II, 71.
Berg-Tár I, 82.
Bibaculorum & bibulorum, familiarum Romanarum cognomina II, 168.
Bibliothecarum antiquitas III, 206. 207. 208. 236. num publicæ fuerint? III, 199. 206. 224. 226. 230. 234. 237. Univerſalium ſcriptores III. 190.
Bibliothecæ Epigraphe III, 65. Oxfordienſis fundatio III, 235. publicæ Conditio III. 178. Emolumenta III, 181. 236 Leges III, 165. 191. 227 Requiſita III, 195.
de fundatione Bibliothecæ publicæ Philomachia Epiſtolica I, 269 III, 168. 169. 170. ſeq. usque 238
Bier. Biera Bira II, 158. 174. ejus Etymologia II, 159. 174. Doppel-Bier II. 183 ſcharff-Bier II, 161. 236 ejus ſalubritas ibid. vid Cereviſia.
Biſon. I, 25. 26 27. 38 39. 40. ejus cibus I, 40. Differentia à Bubalo, Cervo & Uro. I. 26. Etymologia. I, 25. Natales I, 28. Venatio. I, 27 28. 40.
Biſon major. Urus I. 26. minor. Wieſter ibid.
Biſontis Cornu. vid. Cornu.
Bitumen. I, 80. 81. varia ſub terra producit. ibid, liquidum I, 82. bituminoſi Ceſpites. vid. Ceſpites.
Blatta Byzantia. III. 312.
Bleſtia Bleché II. 203.
Bos prægrandis I, 39 ejus Cornu mirabile I. ibid.
Broht, vocis etymon II, 116. 131.
Bubalus I, 26
Bucholdica minera aurifera II, 189.
Bufo in Virgine generatus III, 256.
Bullebac. I, 63. 64. de eo Proverbia I, 55.
Buodo ſive Dodo criticè expenſus I, 109.

Burde.

Burdegalenſis academia I, 128. præmia ibid. fundata I 146.

C

Calculi veſicæ remedium Anglicanum examinatur. I, 236 de eodem Epigramma I, 238
Canonicæ ſanctimoniales. III, 148. 216
Canonici Monachi III, 148
Capnopægnion, ſive ſerius in fumis luſus I, 242. 243
Capſulæ atrabilariæ anatomicè & chymicè recluſæ I, 152. operis encomium I, 160. fata 158
Cardiolithi in variis animalibus naſcuntur. I, 3
Caro ſuilla apud antiquos in pretio? II, 154. ejus præparatio II, 153 appetitus ægrotorum. ibid. vid. Petaſo.
Carolus M. Reliquiarum cultor. I, 101 an ſciverit ſcribere. I, 102 Elephantem dono accipit. I, 48. 49. ſeq. inſignia ab eo Friſiæ collata, II, 204. ejus locus natalis I. 101. imagines genuinæ. I. 103. Monogramma III, 9 ſorores I, 102 uxores I, 120.
Caroli VI Imago ſymbolica I, 193. 194. 195.
Celia & Ceria, potus. II. 183.
Cenotaphium III, 121. 122.
Cenſoris idonei requiſita II, 50. 52. 53. Imperiti deſcriptio II, 50. 52 55. 58. ſeq.
Cenſori perverſo nihil à criſi exemptum. II, 55.
Cenſura inepta II, 52. 61. in eam Inſcriptio II, 55.
Cenſuræ comparatio II, 56.
Cereviſia quid. II, 158. potus antiquus II, 174. 181 neceſſarius II, 236 Salubris II, 160. 167. 174 180 Anglica II, 164 Bremenſis II, 183 Brunswicenſis Mumia, II, 184 fermentata III, 71 76 gruttata III, 69. 73 Hannoverana, ſeu Breuhana II, 178 ejus inventor. ibid. Laus. ibid Koytha Hamburgenſis II, 175. 180 Schoneflietana II, 176 Lullium Balvicum II, 177 Mindenſis II, 179. 180 Myrthea III, 77. 82 Monaſterienſis Keuta II, 169 Pariſienſis, des gobbeleins III, 141 Steinfurdenſis II, 176 tenuis II, 170. ex vino. I, 185. Weſtphalica II, 158. 161. 174.
Cereviſiale vectigal III, 75. 82.

Cerevi-

Cereviſiam fermentandi jus III, 71. 80
Cereviſiæ bonitas & diverſitas unde? II, 170 antiquæ à moderna differentia I, 160. 161. III, 82 Etymologia II, 167. 176. 183 Inventio II, 172. 236 propagatio II, 173 Laudes II, 166. 167 præparatio II, 159. 181 III, 71. 73. 82. 83 aquæ ad eam idoneæ III, 141 Vituperium II, 163. 180. 182. 183 III, 141. 142
Ceſpites bituminoſi, I. 81 II, 194 eorum uſus inſtar ligni II, 203. vid. Turffa. inſigne Friſiorum II, 204
Chamomilla inter cornua Cervi enata, III, 252
Chymiatrica opera varia I, 247 usque 267
Chymici Characteres explicati III, 37 ſeq.
Citha, potus III, 76
Clementis Auguſti Panegyris I, 199
Clemens Wertha III, 13. ejusd lapidis fundamentalis inſcriptio. ibid. Epigramma. III, 34.
Clericorum Agapetæ & neptes II, 117. 120.
Clericus deperrucatus I, 189. ſeq. Medicaſter I, 267.
Cobern, Vicus II, 275 priſci funeris reliquiæ ibidem repertæ II, 273. ſeq
Cochleæ propriè dictæ III, 296. communem formam habentes III, 299. ſeq. Alatæ III, 323. ſeq. Bivalves III, 331 Buccina, ſeu turbinatæ III, 313 ſeq. Caſſides læves, ſive cineriæ III, 309. Murices 310. Tuberoſæ 307 verrucoſæ 308. Chamæ asperæ III, 332. læves 333. Cylindri. III. 328. depreſſæ. III, 303. globoſæ. III, 312. Mitra papalis. III, 315. Episcopi. 316. Nautili III, 296. 297. ſeq. notis muſicis inſignitæ III, 319. Porcellanæ, ſive venereæ III, 325. 327. ſolenes III, 329. 330 ſtrombi, ſive Turbines III, 317. Trochi. III. 304. Umbilici marini. III. 301. Valvatæ, ſive ſemilunares III, 305. Læves 306. ſtriatæ ibid. Univalves III, 305. 307. 312. non contortæ 328. Volutæ III, 318 vid Conchæ, Muſcheln, Schneckenſchalen.
Cohauſen (Joh. Henr.) I, 91. præf. pag. 2. 4. ejus amicitia cum Nunningio I, præf. pag. I, 6. commercium literarium ibid. III, 89. Ejus encomium. I, 261. 279. Præf. pag. 2. 4. 6. ad eundem Epiſtola Academiæ Burdegalenſis I. 147 ejus Epiſtola ad Provincialem Dominicanorum I, 191, ad Secretarium Acad. Burdeg. I, 152.

155. binæ Literæ ante obitum III, 131. 132. obitus ibid. Epitaphium III, 133. Epicedium ibid Opera varia I, 121 ſeq. usque 237. Manuſcripta I, 252. ſeq. usque 278

Cohauſen (Sal. Ern. Eug.) I, 114 II, 68. Ep. præl pag. 6. Profeſſor Treviris III, 201. ejusd. Epicedium in funus Joh. Hugonis Archi Episcopi Trev. II, 26. Epiſtola de pulte, Cereviſiâ Weſtphal. & Talismate Treverico II, 229. de urnis ſepulchralibus & nonnullis curioſis II. 261. Hiſtoria de inventis nummis aureis in agro Weſalienſi II, 297.

Colonia ſancta. III, 27. 28.

Commercii literarii utilitas I, 111. in Tomo primo & ſecundo exhibiti criſis II, præf pag. 1. 2. 7. Ep præl. pag. 4 10.

Conchæ III, 332 Chamæ asperæ ibid. Chamæ læves III, 333. Muſculi, Mituli III, 338 Oſtrea III, 340. Pectines III, 335 Pectunculi, ibid. Pinnæ III, 339. Tellinæ III, 336. Synopſis Concharum Pliniana III, 341. Exegis Rumphiana III. 342. de Conchis epigramma III, 345 vid. Cochleæ, Muſcheln, Schneckenſchahlen.

Conchæ fruticescentes I, 253. III, 339. 340. ſeq.

Conchiferæ arbores III, 246. 247.

Coneb, ſive Comob in nummis. I, 104

Conſpectus ſciographicus Teſtaceorum III. 296.

Corallia varia adnata III, 240. 241. eorum ortus III, 246.

Cordiformis lapis vid lapis.

Cornu quid denotet I. 12. 14. 79.

Cornu Ammonis I, 10 ſeq Præf. pag. 14 ejus figuræ variæ I, 17. Inſcriptio I, 17. præf. pag 15. Materia I, 70. 78. pondus varium I, 11. 19 70. Cornu Arietinum I, 13. 15

Cornua Ammonis inter Aethiopiæ gemmas relata I, 10. 70. 77 diverſæ ſpeciei I, 69. 70. 78. Cervi. III, 251. 252. Linchotti mirabilia. I, 69.

Cornu Biſontis petrefactum I, 16. 20. 29. 35. ſeq. præf. pag. 16 17. 18 de eodem Epigraphe 43. Oldenburgenſe I, 34. ejus uſus ibid.

Cornu-

Digitized by Google

Cornuta animalia varia I, 15. 16. Deorum & Heroum capita I. 11. 14. Principum & Imperatorum I, 79. antiquorum Saxonum ibid. Tyrannorum. I, 14
Cornuti homines I, 14. 15. 16. præf. pag. 14.
Cornutum Caput Attilæ Regis. 14. 74. 75. 79. Jovis I, 13. præf. pag. 14. Moyſis I, 12. 14. præf. pag. 14.
Creutz, vid. Crux
Crux Chriſtianorum inſigne. III, 14. fuga Doemonis III, 22. 23. antiquis in pretio III, 44. loco ſceptri uſitata III, 21. 22. Cabaliſtica III, 34. Characteriſtica III, 32. 34 Conſtantini M. 13. duplicata. 20. Gregoriana ſeu nigra 2. Heraldica varia 2. 15. 23 ſeq. Hermetica III, 34. Hieroglyphica III. 16. 34. 41. Hieroſolymitana III, 25. 26. Icuncularia III, 2 Medico-chymica III, 37. 38. ſeq. Monetaria varia III, 10. 11. 15. ſeq. patibularia III, 1. Paſſionalis I, 2. pectoralis 2. Phyſica, ſeu naturalis III, 5 36. 37. Roſea III, 17. ejus ſocietas. ibid. Taliſmanica, 34. Triangulo impoſita 27.
Crux in ære III, 13. 35. ædificiis III, 13. 14. 20. Diplomatibus III, 11. globo & pomo Imperiali III, 20 44. Inſignibus & ſcutis III, 8 13. 15. 23. ſeq. Nummis III, 15. 16 ſeq. Sigillis III, 9. 10 18. 24. Veſtibus Ordinum Equeſtrium III. 13. 19. 22.
Crucis ſymbolum III, 4. 34. 40 uſus frequens & antiquus III, 12. 13 14. de cruce Tractatus I, 108
Cruces Tacken dictæ III, 2. quadratæ III, 3. 4. gemmatæ III, 5 Inverſæ III, 6. prodigioſæ II, 107. III, 2. 5 35. Sanguineæ II, 107. ſeq.
Crucifixi imago in achate III, 37. in ære III, 35. ex argento in Minerâ III, 37 in fago ibid. lapide III, 36 Marmore ibid. ex radice nata. ibid ſanguinem ſudâſſe falſò credebatur. III, 56.
Cutis mortuorum mirè exſiccata. I, 59.

D

Dagoberti M. Diplomata ex Autographis S. Maximini I, 109
Dalbergianæ Gentis encomium III, 63.

Dann Hirſch. I, 26.
Dentritæ. III, 164.
Deorum Capita cornuta I, 11. 13. 14. præf. pag. 14.
Deorum Dearumque varia cognomenta. III, 99. 105. 109. aquæ iisdem conſecratæ III, 112.
de jure Diffidationis I, 108
Diana Arduina III, 105. 111
Diploma Alfridianum I, 99. Henrici II, propugnatum I, 100.
Diplomata varia Caroli M. vindicata I, 87. 98. 109
Donner-Keil I, 72.
Drackenſtein I, 71
Droes vocis ſignificatio I, 63.
De centrali dulcedine ſymbola & Lemmata varia I, 253. 254. ſeq.
Düvelsſtene II, 38.

E

Ebrietas diverſa à Cereviſiâ & Vino II, 159. 178.
Eccardi impugnationes Vindicatæ I, 87. 88. 98.
Eccleſia catholica à calumniis malevolorum defenditur III, 360. 361.
Eiffliacorum cibi II, 232. 233. Puls. ibid. potus ſalubris. II, 218.
Eleg. Aelg. Elgar. vid. Elend.
Elend. Elend-Thier. I, 21. 22. ſeq.
Elephas animal omnium maximum. I, 53. quam ætatem attingat? I, 64. bellum ejus cauſâ excitatum, I, 56. homines timore innocuo percellit. I, 63. 64. Regio honore afficitur I, 56. an monſtrum? I, 66 ejus affectus varii in alieno ſolo I, 65. artificia & exercitia varia I, 53. 54 61 62. Epitheta, I, 54 fœtura & partus I, 53. Laudes. I, 57 58. de eo mirabilia I, 61, præf pag. 21. in ejus Ventriculo arundo radicata III, 253.
Elephas Antverpianus I, 47. Carolo M. donatus, vid. Abulabaz. Henrico III, Angliæ Regi. I, 47. Leoni X. Hanno dictus. I, 61. 63.

Digitized by Google

Elephantum olim copia I, 61. 62. uſus in pompâ & Triumpho I, 52. 61. Os fœmoris Elephantini I, 45. 60. ſeq. præf. pag. 19. in idem inſcriptio I, 57. 66.
Elo & ſchelo I, 21. 22. ſeq. idem quod Alce ein Elend I, 32. ejus mentio in diplomatibus I, 22. 23. 24. ejus cornuum uſus I, 34.
Emblemata varia I, 254. ſeq.
Enoſti lapides I, 36.
Epicedium Medici anonymi I, 204.
Epigrammata varia I, 83. 35. 185. 222. 224. 238. 242. 257. II, 19. 31. 159. 164. 182. 188. 249. 295. 296. III. 34 289 295. 345.
Eruditorum ſocietates. vid. Societates.
Eſſendienſis hiſtoria. I, 99.

F

de Febribus curandis. vid. Archeus.
Ferdinandi Epiſcopi Monaſt. encomium II. 2,
Fermentescere vid. Gören.
Fermentum cereviſiale III, 71. 79. 80. ſeq. Mumiale I, 239 240. de cauſa multiplicationis in fermento I, 162.
Ferri æſtimabilitas III, 87. Transmutatio III, 84 ſeq. neceſſitas 86. 87. uſus noxius ibid.
Fibulæ urnis ſepulchralibus illatæ II, 284. 285.
Figuræ variæ in gemmis, Lapidibus, Lignis, & metallis. II, 85. 90. 95.
Flötz-recht. III, 67.
Fredenſe Monumentum vid. Monumentum.
Friderici Chriſtiani Epiſcopi Monaſt. encomium I, 130. ſeq.
Friſiæ inſignia & libertas. II, 204 205.
de Fruticeſcentiæ in conchis origine III, 244
in Fumis Luſus ſerius I, 242.
Funeris antiqui reliquiæ II, 273. 275. 278. 285. 289. Ritus II, 279. 285. ſeq.

G

Gamahæa II, 84. 90.
Gas. I, 240.

Digitized by Google

Gazophylacium Alchymico-Philoſophicum I, 261. Chymiatrico-practicum I, 252.
Geiſmar (L. B. de) I, 99.
Gemmæ Aethiopiæ I, 10. 77. Signatæ, earumque virtus II, 251.
Genii Mimigardici poſt luctum duplicata gaudia, panegyris I, 198.
Gerbſtadium. I, 100.
Germani veteres venatione delectati I, 33. eorum cibus II, 128.
Germania antiqua I, 32. 33. ejus varia ferarum genera, ibid.
Gigantis oſſa prægrandia. I, 46. giganteum os femoris ſaxeum I, 16.
de Gladiis literatis Apotelesma I, 106.
Globi cruce ſignati III, 20. 21.
Gloria Boica, Panegyris I, 196.
Gloriæ Auguſtæ obeliscus, panegyris I, 272.
Gloſſarii Cangiani auctarium I, 99.
Gloſſopetræ Natterzünglein, quid I, 1. 2. 5. præf. pag. 7. 8. 9. in Gloſſopetram anthiteſis critica I, 5. Inſcriptio 2.
Gören quid? II, 175.
Granius Dux Thermarum inventor. III, 111. 112.
Granni, ſive Granii etymon III, 99. ſeq.
Granum, ſabulum III, 110. Turris III, 112.
in Granio humano variæ enatæ plantæ III, 261. 26. ſeq.
Grüſinck, potus III, 72.
Grutæ etymon III, 66. 69. 73. 79. 82. uſus III, 69. 71. ſeq. de Grutâ opiniones variæ III, 68. 69. 70. ſeq.
Grutandi, ſeu grutæ jus III, 66. 67. 68. 73. 76.
Grut-Ampt III, 76. 154.
Grutaticæ Domus, Gruit-Hauß III, 66. 67. 154.
Gruth-Geld III, 68. 69. ſeq. Grut-Herrn III, 77. 82.
Guſtus ſcientificus, bon goût II, 59.

H

Haim- ſive Stillgericht I, 108.
Hauß-Recht I, 108.

Digitized by Google

Hedera inter cornua cervi enata III, 251.
Heidenſe monumentum II, 34. 38 ejus Schema II, 38.
Helenenpfenning I, 137.
Helmontii perſecutiones. III, 261.
in Helmontii ſenſationes epigrammata I, 185. ſeq.
de Helmontii liquore Alcabeſtino Diſſertatio I, 184.
Helmontius Ecſtaticus I, 183. 184. III, 201. 221. 222.
Elucidatus I, 249.
Henrici II, Diploma I, 1 o. ejus & Cunegundis vindicata caſtita ibid.
Herbæ variæ animantibus adnatæ. III, 252. 253 ſeq. in locis, in quibus nunquam viſæ. III, 269 270 290. ſeq. marinæ III, 245 255. Murales III, 277. 279. Transplantatæ III, 283.
Hercinia ſylva I, 28. 33. 38.
Hercule Polynimus. I, 104.
de Hermeti aquinâ formâ ponticâ Diſſertatio I, 184.
Hermippi Epitaphium I, 21 2. 215. ejus criſis ibid.
Hermippus redivivus I, 209. 210. ſeq.
Hiegel (Joh. Craffto II, 265. ejus amor in Principem ſuum II. 266. 268 Bibliotheca, Manuſcripta & curioſæ collectiones II, 265 Epitaphium II, 268. Diſſertatio de Urnis ſepulchralibus Coberinis II, 265. 269. ſeq ad authorem epigrammata II, 295. 296.
Hieroglyphicæ figuræ apud Aegyptios cur uſitatæ III, 44.
Hildeshemienſe Roſetum I. 394.
Hiſtoriographo quænam obſervanda? III, 223.
Hoffrechte I. 08
Homo, quo ſenſu Microcosmus dicatur III, 256. eidem cur inditus cibi & potûs appetitus. II, 71.
Hominis variæ partes in lapidibus repræſentatæ I, 36. 68.
in Homine animalia generata III, 256. 260. plantæ variæ enatæ III. 257. 258. 259.
Homines cornuti I, 15. 16.
Hoppa, Humulus III, 71. 74.

I

Ignis alimenta varia II, 195. 201. 202. III, 145. 162.

Inſcriptiones: in Academiam Monaſterienſem II, 20. 30. ejus ſceptrum academicum II, 32. Cornu Ammonis I, 17 Biſontis I, 30. 43. in cenſuram ineptam II, 55. Gloſſo petram I, 23. Lapidem cordiformem I, 2. 4. præf. pag. 15. Laridum & Petaſonem Weſtph. II, 156. mineram 191. panem atratum 173. pultem Weſtph. 145. in Monumento Liemari Archi-Ep II, 49. Comitiſſæ de Manderſcheid I, 275. in Nunningianum Muſæum. I, præf. pag 21. Officinam ferrariam Bucholdenſem III, 85. os femoris Elephantini I, 56. 66. Vanitatem Talismatum II, 95.

Johannis Hugonis Archi-Ep. Trevir. Epicedium II, 267. pro felici translatione funeris votum II, 293.

Jovis Caput cornutum I, 13. præf. pag. 14. vicilini Etymon III, 108. 109.

Iris II, 62.

Iridis Patellæ ibid. vid. Nummi

de Jure Diffidationis I, 108. fermentandi cereviſiam III, 71. 80 grutandi III, 66. ſeq. grutiæ III, 67. Prædiorum Curiali I, 108.

K

Keenholt, Lignum foſſile I, 201.

Keutum Koyta vid. cereviſia.

Kriebbecke Rivus I, 71. varia ejus Lapidaria. ibid.

L.

Lachrymæ in funere mortuorum II, 289. 290.

Lancea inter inſignia Imperatorum II, 242.

Lancea quâ Chriſti latus perforatum ibid.

Lapidaria varia curioſa I, 2. 4. 36 71. 81. II, 90.

Lapides Belemnites, fulminares I, 72. eorum variæ ſpecies ibid.

Lapides Enoſti dicti I, 36. variis humanis partibus ſimiles I, 36. 45. 81. in quibus figura Crucifixi II, 90. Monachi. ibid.

de Lapide Sophico arcana varia I, 261. 262. ſeq.

Lapis cordiformis I, 3. 4. 9. in eundem antitheſis critica I, 8.
Lemmata varia I, 254. ſeq.
Leo X Elephantem dono accipit I, 61. ſalutatur ab eo ibid
Librorum copia inutilis III, 185. 186. 187.
Liemari Archi Ep. monumentum II, 43. 44.
Ligni inopiam varia ſuplent. II. 195. 201. 202 III, 145.
Lilia in ſcuto Regum Franciæ II, 243.
Linchotti cornua I, 59.
Linguæ germanicæ poliendæ ſocietates III, 57. 58. ſeq.
Literarum emolumenta II, 31.
Literarii commercii utilitas I, 111.
Literarius magnetiſmus III, 88.
Litteratorum quorundam fata III, 220.
Luchsſteine I, 72.
Lucina Ruyſchia, ſive Muſculus uteri orbicularis ad trutinam revocatus, I, 206. ſeq.
Ludovici Imper. Nummus II, 243. 244.
Lumen novum Phoſphoris accenſum I, 146. 149.
Luppemunda hodie Veſalia I, 45.
Luppulus, cereviſiæ condimentum, III, 75. 80. ſeq.

M

Magicæ imagines II. 82. 94. magicarum actionum fundamentum ibid vid. Taliſma.
Magici libri noxii II, 252. 254.
Magnetiſmus an inſit Uſneæ III, 263. ſeq. Literarius III, 88
Maltha. Bergtår I, 92.
Manuſcriptorum abuſus III, 93. 94. fata I, 232.
in Mari vegetabilia varia III, 245.
Martis Taliſma II, 72. ſeq.
Mauſeolum gloriæ. Panegyris Friderici Chriſtiani Epiſcopi Monaſt. I, 129
viſa Medicaminum poteſtas I, 183.
Medicæ artis difficultas II, 262. 263.

Medicinæ medulla enucleata I, 223. ſeq.
de Medicinis Mercurialibus I 249.
pro Medico practico cautelæ II, 235.
Meerſchnecken. vid. Conchæ. Schneckenſchalen,
Meginhardi Codex manuſcriptus III, 110. in eum notæ criticæ I, 107
Meinderſii Epiſtola ad Nunningium I, 31.
de Merveldt Comitis Epiſtola I I, 134. ſeq.
Meſſis uberrima ſine ſeminatione III, 274.
Metalla an planetarum vires attrahant? II, 75. 81. 84 91. ſeq.
Metallorum arcana I, 252. characteres explicati III, 37. 38. ſeq Tranſmutatio I, 263. III, 41. 84 85. ſeq.
Metallotheca Weſtphalica I, 105. II, 224. ſeq.
Mimigardia docta I, 91 ejus viri illuſtres 91. 92. 98. illuſtris emortua, ſive Mauſcolum virorum nobilium I, 93 eorum nomina I, 94. 95. 96. 97. Sacra I, 90. ejus contenta ibid.
Minera Weſtphalica ænigmatica II, 191. in eam Inſcriptio ibid. Martialis III, 81. ſeq.
Mogounus & Mogus, vocum explica io III, 109. 106.
Monaſterienſis Academia vid. Academia.
Monaſterienſis Patriæ terræ metalliferæ II, 190. *Viri illuſtres* I, 17. Urbis laudes II, 22. ejus *ſitus Academiæ commodiſſimus* I, 4 21.
Monetæ auro & argento ſuperinductæ II, 63. III. 137.
Monogrammata I I, 8. 9 10.
Monumenti deſcriptio I, 17. Elogium II, 39 41.
Monumenta in honore habentur II, 33. varia Weſtphalica diruta I, 33. 34. ſeq III, 125. 136. 214. ſeq
Monumenta Baſilicæ D. Pauli II, 47 48. Borcenſis Eccleſiæ II, 34 47
Monumenta Monaſterienſia I, 88. operis encomium II, 57. Ep. præl pag. 1 2.
Monumentum Baſilicæ Vredenſis II, 38 39. III. 100. 214 215. ejus ſchema II, 40. de eo verſus varii II, 42. III, 198. 201. 2 8. Heidenſe II, 34. ejus ſchema II, 38. Liemari Archi Epiſcopi II, 43. ejus Schema II, 44.

44. Parochialis Georgianæ II, 45. 46 ejus Schema ibid. Vredenſe, comitiſſæ de Manderſcheid I, 274. ejus inſcriptio gallica I, 275. ſeq. Walberti Comitis II, 36. 50. II, 115. ſeq.
Morbus polaris II, 167.
Mortuorum Corpora olim ad vias publicas depoſita II, 288 cremata I, 279. Lachrymis ſuperfuſa II, 289. 290. Vid. ſepulchrales ritus.
Moyſis caput cornutum I, 12. 14. præf. pag. 14. ejus Nummi ſymbolici I, 15.
Mulieres cornutæ I, 16.
de Mumiâ Diatribe I, 240 mumiale fermentum I, 239
Muſca Taliſmanica II, 78.
Muſchlen III, 332. Auſter⸗Muſchlen III, 340. gieſ⸗nende III, 332. glatten oder Jacobs Muſchlen III, 335. Kamm⸗Muſchlen ibid. Holſter⸗Muſchlen III, 339. Farb⸗ oder Mahler⸗Muſchlen III, 338. Tells Muſchlen III, 336. Venus-Muſchlen III, 326. 327. vid. Conchæ, Muſchlen, Schneckenſchalen.
Muſcus III, 264. 265 vid. usnea.
Muſeum Nunningianum I, 106. ejus elogium I, præf. pag. 23.
Mylium. III, 83.
Myrthus III, 83.
Myrthus Brabantica III, 81.

N

Naharval piſcis I. 29.
de Pica Naſi Diſſertatio Satyrica I, 167. 168. ſeq. III, 93. in idioma germanicum tranſlata: Sehnſucht der lüſ⸗tern Naſe I, 174. de Tabaco naſali luſus ſatyricus I, 175.
Naſus picans peccans I, 178.
Natterʒünglein I, 1. vid. gloſſopetræ
Nautili, conchæ, deſcriptio III, 298. duplex ejus ſpecies III, 296. 297.

Neo-

Neo-thea I, 135. 137. ejus varia editio I. 136. ſeq. III, 91. 92. monita deſuper, ibid.
Nichte, Nichtelgen, olim Neptes Clericorum II, 117.
Nickel, vocis ſignificatio II, 117. 121. Kupfernickel II, 127. pumper-Nickel II, 115. ſeq.
Nix cœrulea II, 103. nigra II, 102. rubicunda ibid.
de Nobilibus & Nobilitate I, 244. 245.
Nobilis Weſtphalus, ſive Aelius Papyrius Pætus in lucem productus I, 244. III, 229. 235.
Noſtalgia, morbus I, 65.
Nottulena flammis abſumpta II, 49.
Novellæ Medico chymicæ I, 249.
Novus ſolis coloſſus, Panegyris Imperatoris & Imperatricis I, 229.
Nummi olim variis in locis ſepulti II, 280. ærei Imperatorum græcorum auro obducti II, 63. 64. ſeq. III, 137. Attilæ Regis quinam genuini? I, 73. 74. chorales III, 3. 149. cornutas facies referentes I, 11. 14. 15. 73. cruce variâ ſignati III, 15. 16. ſeq. Paſſionis Chriſti Inſtrumentis III, 2. 3. diverſimode contranotati. II 283. 284. Ori mortuorum impoſiti II, 281. ſeq. Patellæ Iridis dicti, ſive ſcutulati II, 62. 63. 64. ſeq. III, 137. Tumbales III, 24. Unici, urnis ſepulchralibus illati 281. ſeq.
Numiſmata quædam ex Nunningii Metallothecâ Weſtph. II, 124. Imperatorum in curru Elephantino I, 52. 53.
de Nummis ſchediaſma I, 105. antiquis inventis hiſtoria II, 297.
Nummus Benthemico-Taliſmanicus II, 71. ſeq. ejus ſchema 74. Conſtantini M. III, 19. 20. Euthimi Nicka I, 104. Gothicus vid. Patellæ Iridis. Julii Cæſaris I, 53. Ludovici Imperatoris II, 143. Oddonis Regis III, 31. 32. Ottonis Imp. II, 63. ejus ſchema 64. III, 138. 150. Philippi II, Francorum Regis II, 243. Piligrimi Archi Ep. Colon. III, 27. ſeq. Pipini Regis III, 30. ſyracuſanus II, 62. ſeq. III, 137. ejus ſchema II, 64. Tyberii Imp. & familiæ Maciliæ II, 278. 283. Schema II, 275. Thor, ſive Thurgutluntis I, 104. Trajani II, 281.

Nun-

Nunningius I, 279. præf. pag. 2. 3. ejus amicitia cum Cohauſeno I, præf. pag. 1. 2. varium commercium literarium cum viris eruditis I, præf. pag. 2. 5. eorum nomina recenſentur I, 112. usque 120. Collectanea varia Numismatum & rerum naturalium I, præf. pag. 6. II, 208. 213. 224. eorum jactura unà cum ſupellectile II, 208. 209. 220. de ejus Bibliothecæ deſtinatione I, 269. II, Ep. præl. pag. 11. III, 63. 168. ſeq. Manuſcripta penes Bibliothecam tum depoſita tum dedicata I, 117. Diſſertationes eidem inſcriptæ I. 116. ejus laudes I, præf. pag. 5. 6. II, 216. 224. Ep I, præl. 1. 2. Muſeum I, 106. III, 171. Elogium eidem inſcriptum I, præf. pag. 123. Vici Curtis II, 213. 218. opera edita I, 86. 87. 88. 89. inedita I, 90. usque 102. opuscula in rem Numismaticam I, 103. 104. 105. Miſcellaneorum volumina I, 105. usque 110.

ad Nunningium carmina varia II, 186 188. III, 201. adhortatio de cura Manuſcriptorum ſuorum III, 91. ſeq. de ſervandis ab interitu monumentis antiquis II, 35. 36. Epiſtola Meinderſii I, 31. Comitis de Merveldt III, 134.

O

Onomantia II, 254. ejus vanitas II, 255.

Onyx varia III, 311. 312. 315.

Orbis Weſtphaliæ antiquus I, 246.

Os femoris Elephantini I, 44 ſeq. gigantæum I, 36 oſſa varia ſub terra inventa ibid.

Oſilegium hiſtorico - phyſicum I, 86. 180. ejus encomium II, 264.

P

Pacis lætæ - Præludium ſymbolico - epigrammaticum I, 193.

Panegyris de Carolo VI. I, 193 195. Clemente Auguſto Episcopo Monaſt. & Paderb. I, 199. ejus ædificiis I, 272. Domo Auſtriaca I, 270. Franciſco Imperatore & Impera

peratrice I, 229. Comitiſſâ de Manderſcheid I, 273. 274. ſeq Philippo Mauritio Episcopo Monaſt. & Paderb. I, 196.
Panis etymologia II, 131. vid. Brodt. cibus & alimentum univerſale ibid. Medicamen vitæ I, 247. 248. ejus forma I, 125. præparatio II, 126. ſpecies variæ II, 123. de eo arcana & experimenta chymica I, 247. II, 129. mirabilia II, 131.
Panes cruce ſignati III, 3.4. Blomilii ibid. magni parvis meliores II, 133.
Panis Hungaricus II, 120. Divi Marci II, 116. Nicolai ibid. atratus Weſtphalorum, Pumper-nickel II, 115. 116. ſeq. III, 138. 139. ejus etymologia II, 117. 129. encomium II, 119. 124. 132. 133. III, 139. forma & pondus II, 125. 134. nutrimentum II. 129. 133. ſeq. præparatio II, 126. 128. 129. 133. Vituperium II, 117. 118 123. 125. 133. in eum Inſcriptio II, 137.
Paſſions-Creutz III, 2.
Patellæ Iridis, vulgo ſchemming, ſive Hollmüng. I, 107. II 62. 63. 64. ſeq III, 137.
Patriæ bonum promovendum III, 84. 88
Pernæ olim Advocatis donatæ II, 154. vid. Petaſo.
Perſia Elephantum Patria I, 53.
Peſtis tumulus recluſus I, 239.
Petaſo Weſtphalicus II, 49. III, 138. Jambon de Mayence unde dicatur? II, 233. ejus encomium II, 149 151. ſalubritas II, 154. uſus medicus II. 234. in eum Inſcriptio II, 156.
Petrefacta eorumque origo III, 163. 164. Petrefacta non ſunt omnia, quæ animalis figuram exprimunt I, 67. 68. Authores de petrefactis III. 165.
Philomachia Epiſtolica circa fundationem Bibliothecæ publicæ I, 269. III, 168. usque 238.
Phosphoris novum lumen accenſum I, 146. vid. novum lumen
Phythelita III, 164.
de Picâ naſi differtatio I, 167. in linguam germanicam translata I, 174.

Pictu-

Picturarum antiquarum elogia III, 217.

Plagium literarium I, 233. ejus remedium ibid. ſacrum, ſive pia reliquiarum furta I, 110.

Planetarum influxus II, 79. 81. 84. 86. 90. III, 35. ejus vanitas II, 255.

Plantæ variæ animantibus innatæ III, 251. 252. ſeq. ſalici III, 283. 284. in hominibus enatæ III, 257. ſeq. in mari III, 245. 246. murales III, 277. 279. ſaxis adnatæ III, 242. 243.

de miro Plantarum commeatu in corpora humana III, 256. ortu aut metaſtaſi in corpora animalium III, 254. proventu in corporibus mortuis III, 261. in locis, quibus antea nunquam viſæ III, 268. 285. 286. deſuper ominis, & præſagia veterum Romanorum III, 284. ſeq. Vid. Transplantatio.

de ſede Plantarum annomala & miro in fundos peregrinos tranſitu I, 234. III, 89. 90. 219. ſeq.

Pluvia lactea II, 107. lapidea II, 103. 107. picea III, 274. prodigioſa paſſionis Dominicæ II, 107. 108. 109. ſanguinea II, 98. 99. 103. 105. 107. ſeq. III, 151. ejus cauſa II, 101. 110. III, 152. 153. ſeq. Semina varia ſtillans III, 274. Triticea ibid.

de Podagrâ triumphus I, 221. epigramma libello præfixum ibid.

Troſt der Podagriſten. ibid.

Porcina caro apud antiquos in pretio II, 154. ejus nutrimentum II, 152. appetitus ægrotorum II, 153.

Porcus Trojanus II, 149. candidus Diis oblatus II, 155.

Poſt = Hörnlein, cochlea III, 199.

Potus Aegyptiorum II, 172. antiquorum Germanorum II, 158. 174. variarum Nationum II, 184. 185.

Praxeos clinicæ Theſaurus attalicus I, 279.

Præſagia veterum Romanorum III, 284. 285. ſeq.

Proceſſus varii chymici & Philoſophici I, 261. 262. ſeq.

Prodigia varia II, 98. 100. 101. 103. 107. 109. 111. 112. III, 151. ſeq. frequens eorum vanitas II, 100. 106. 112. III, 156. 291.

Digitized by Google

Puella toto corpore hirſuta lll, 251.
Puls edulii genus antiquum ll, 140. 141. ejus nutrimentum 141. 142. 147. oblatio ll, 148. uſus medicus ll, 142. 231.
Puls Eiffliaca ll, 232. ejus Uſus Medicus ibid. Weſtphalica ll, 139. ſeq. 230. ejus varia præparatio ll, 141. 142. 231. Hiſtoria de ejus uſu contra hoſtes ll, 143. virtus medica ll, 142. 231.
de Pulte carmen ll, 147. Inſcriptio ll. 145.

Q

Quercus uvas ferens lll, 289. 290. 291. Viſci ſedes lll, 280.

R

Rangifer Renthier l, 21.
Rappenſteine l, 72.
Raptus Ecſtaticus in montem Parnaſſum, ſive ſatyricum novum in abuſum Tabaci ſternutatorii l, 175.
Rauchſpiel von den Kräfften, Gebrauch und Mißbrauch des Rauch-Tabacks l, 243.
Reges varii cornuti l, 14. 79
Reliquiarum furta pia vid. plagium ſacrum.
Rolefincii Libellus de Weſtphalorum ſitu ac *moribus lll,* 94. 95. ſeq.
Romanorum veterum ſedes inter Rhenum & Moſellam lll, 111. præſagia & omina lll, 284. ſeq. vagatio per orbem lll. 105.
Roſæ variæ mirabiles lll, 292. 293. 294.
Roſetum Hildeshemienſe lll, 294.
Rus Myrthifolia Belgica lll, 81.

S

de Sale dulci emblemata & lemmata l. 254.
de Salis tartari volatiliſati præparatione l, 251.
de Salm, Comitum hiſtoria l, 100
Sambucus ſalici innatus an remedium antiepilepticum? lll, 283.

Sancti-

Sanctimonialium varia nomina III, 216.
Sangvinea pluvia. vid. pluvia.
Sanguineæ cruces II, 107.
Sanguineus ros II, 100.
Sarg⸗Pfenning III, 24.
Sauſeia lex. II, 168. Sauſei varii. ibid.
Sceleton Petrefactum I, 46. ſerpentinum in lapide. I, 78.
Sceptra regum olim haſta & lancea II, 242.
Schalem, ſchelo, vid. Elo.
Schemming, ſive Hollmüntz I, 107. vid. Patellæ Iridis
Schneckenſchalen einſchälige oder gewundene III, 296. einſchälige ungedrehte III, 328. flügelhörner. III, 323. Muſchlen, III, 332. Auſtermuſchlen III, 340. gienende III, 332. glatten und Kleine Jacobs⸗Muſchlen III, 335. Kamm⸗Muſchlen ibid. polſter⸗ſchülpen III, 339. Farb⸗ oder Mahler⸗Muſchlen III, 338. Tell⸗Muſchlen III, 336. Venus⸗Muſchlen III, 326. 327.
Kegel⸗greuſſel⸗ ſtraub⸗ pyramidal⸗ſchnecken III, 304. Meer⸗Nabel, Meer⸗Bohnen III, 301. Kleine Mohnſchnecken III, 300. Mohnſchnecken III, 305. Nadeln, oder federn III, 317. purpur⸗ oder ſta⸗chel, ſchnecke III, 310. rollen III, 328. Wellen, wal⸗tzen III, 318. wirbelſchnecken. III, 313. Zweyſchälige ſchülpen III, 331. vid. Cochleæ, Conchæ.
Schnieb⸗Brey II, 143.
Schooßſteine I, 72.
Scientia myſtica ſtellarum & numerorum II, 73.
de Sede plantarum anomala III, 237. ſeq.
Sehnſucht der lüſtern Naſe I, 174. Vid. Pica naſi.
Sepulchrales Inſcriptiones II, 287. 288. ritus 279. urnæ II, 263. 273. ſeq.
Sepulchretum Weſtphalico-Mimigardico-gentile. I, 86. ejus encomium II, 57. 188. 264.
Sepulchrum, quid? III, 121.
Serpens æneus Moyſis I, 78. 91.

Serpentis pellis in homine innata I, 59.
Serpentum petrefactorum Species Verſteinigte ſchlangen. I, 70. 78.
Sigilla Francorum Regum diſcuſſa & explicata I, 109. Planetaria II, 85. 95. 253 illorum vanitas II, 253. 255. ſeq. Talismanica vid. Talisma
Sigillum Salomonis II, 96. 97.
Signa varia metallis inſculpta vid. Taliſma.
Silices in hominis figuram formati I, 36. 44.
Simaronbæ cortex III, 175.
Societas Abbreviatorum III, 57. Leopoldina III, 59. *ejus* membrorum cognomenta. III, 46. 47. Roſeæ crucis. III, 17. 35.
Societates eruditorum III, 45. earum conditiones. III, 50. finis III, 45. objecta III, 48. 52. 53. 54. ſubſidia III, 53. Symbola III, 48. utilitas III, 48 52. 55. 61. variæ ſocietates recenſentur. III, 48. 52. 54. 55. 57. ſeq. de iis erigendis conſilia III, 58. 59. 62. 63.
Solitudinis laus II, 223.
Spanferckel II, 149.
Stauffenberg, mons ſtoponis I, 99.
Studium antiquitatum & Inſcriptionum laudabile III, 108 viri in eo excellentes III, 109.
Studiorum inſtitutio & reſtauratio Principi *glorioſa II*, 108.
à Stralendorff Imp. Vice-Cancellarii Laus II, 13.
Südden ſive ſchabben II, 203.
Suilla caro II, 154. 152. 153.
Syderum influxus II, 79. 81. 250. 253. ejus vanitas 255. ſeq.
Symbola varia I, 230. 231. 254.

T

de Tabaci fumatione opus epigrammaticum I, 242. 243.
de Tabaci ſternutatorii abuſu I, 167. 175. 178.

ars Talismanica II, 72. 84. 86. ejus origo II, 87. vanitas II, 252. III. 138. 151. in eam Inſcriptio II, 95. vid. onomantia.
Talismatis deſcriptio & etymon II, 71. effectus & vires. II, 76. 77. 81. 88. 250. 251. Materia II, 249. 250. Muſca Telismanica II, 78.
Talisma Benthemicum II, 71. ſeq. ejus ſchema 74. conſtellatum II, 71. 258. Martis. II, 72. ſeq. ejus poteſtas II. 76. 77. 79. 80. 88. 249.
Trevericum II, 240. ſeq. ejus ſchema ibid.
Tentaminum phyſico-Medicorum curioſa decas de vitâ prolongandâ I, 122. ſeq.
Terra bituminoſa varias plantas & curioſa lapidaria generat I, 81.
Terra Morina II, 203.
Teſtaceorum conſpectus ſciographicus III, 296. ſeq.
Teuffelsfinger I, 72.
Thee, Taffel vid. Neothea.
Thermæ variæ III, 111. 112.
Thier Theod. Abbas I, 99.
Torff. vid. Turffæ.
Torffifodinæ, Tombaires I, 81. II, 196. 205. III, 158
de Transplantatione vegetabilium III, 238. 244. 285. ſeq.
Treverica Urbis & Pontis conditor II, 141. 245. in deſtructione pontis laminæ Talismanicæ repertæ II, 240. ſeq. Inſcriptio in ſaxo reperta examinatur. II, 264. Pontis reſtitutio II, 248. Carmen & epigramma. ibid.
Trevirorum nomen unde II, 241. ſeq.
Trevirenſis Patriæ felicitas III, 140. 143. vinum copioſum & aquæ ſalubres ibid.
Trias Lucillarum, Helenarum, Fauſtinarum I, 103.
Trio cognomen Familiæ Romanæ III, 107.
Triguetra, ſiculorum ſymbolum II, 69.
Triumphus de Podagra I, 224.
Troſt der Podagriſten ibid.
Tuisco literarum latinarum inventor II, 245. ſeq.
Tumulus peſtis recluſus I, 239.

Turffæ (Torff, Turff) I, 81. II, 197. 198. ſeq comparantur aurifodinæ II, 191. 194. ſeq. differunt à Electiâ & Terrâ Morinâ II, 203.
Turffarum Inventio, & origo II, 194. 195. III, 155. 156. 158. ſeq fertilitas ex cinere II, 206. modus parandi in India II, 202. ſpecies variæ II, 199. III, 160. 161. uſus II, 195. 201. exinde proventus ærarii 195. 201. 205.
Twarff-ſteine I, 72.

U

Ubiorum nomen unde? II, 141.
Umbilici marini III, 301. 302.
Unguis marinus, odoratus III, 311. 312.
Unicornu foſſile I, 60. petrefactum I, 46.
Univerſitas Vid Academia.
Univerſitates unde dicantur II, 13.
Upſalienſis ſcientiarum ſocietas II, 52. 53.
Urnæ ſepulchrales coberinæ II, 261. 269 ſeq. earum inſcriptiones II, 278 287. 291. Nummi, vaſcula, aliaque in iis contenta 275. 278. 279.
Urnæ in agro Moguntino repertæ II, 273. intra muros confluentinos II, 170.
Urus I, 26. 39
de Usneæ in graniis humanis proventu III, 261. 262. ſeq. usneæ virtus examinatur III, 263. ſeq. duplex ejus ſpecies III, 263.
Uſtrinæ Romanorum II, 280.

V

Vaſa funeraria II, 278. 287. lachrymalia II, 289. 290.
Vegetabilia varia in mari III, 242. in animantibus III, 251. 252. ſeq. hominibus III, 257. ſeq.
de Vegetabilium tranſitu in fundos peregrinos III, 89. 269. 285. ſeq. Transplantatione III, 244. 283. 285. 286.
ex Vegetantibus in fundo peregrino ſubnatis omina & præſagia veterum Romanorum III, 284. ſeq.

Vento-

Ventorum effectus mirabiles III, 157.
Verſteinigte ſchlangen I, 70.
Vertumnus chymicus de metallorum transmutatione I, 259.
Veſalia, olim Luppemunda I, 45.
Veſo. vid Biſon.
Veſontium I, 25.
Veſtes variæ ordinum Equeſtrium III, 7. 8.
de Veſtibus ſacris & literatis Diatribe I, 106.
Vieſter I, 26.
de Vitâ humanâ prolongandâ I, 122. ſeq.
Vini abuſus III, 140. Laudes II, 238. 140. 142. qualitates Medicæ II, 238. Moſellani Virtutes III, 142.
Vini aduſti vituperium III, 143.
de Viſci generatione & proventu tum naturali, quam artificiali III, 280. ſeq.
Viſciferæ arbores III, 281. de iis gentilium ſuperſtitio III, 283.
Viſci Corylini virtus medica III, 281. 282.
Vitis in quercu enata III, 289. 290.
Votum funebre II, 292. 293.

W

Walberti Comitis conjugium & poſteri III, 116. 117. ſeq. oſſa an Sacra? III, 128. Monumentum II, 36. 50. III, 115. 116. 119. ſeq. ejus Inſcriptio III, 120. 122. in agro Weſalienſi nummi antiqui reperti II, 297.
Weſtphalia docta I, 91. in eam Inſcriptio II, 30.
Weſtphaliæ auriſodina ænigmatica II, 191. felicitas in victu. II, 155. 165. Monumenta antiqua II, 38. 39. vid. Monumenta, terræ metalliferæ. II, 190. Adamantes II, 189.
Orbis Weſtphaliæ antiquus graphicè delineatus I, 246.
in Weſtphaliâ ſcriptores pauci II, Ep. præl. pag. 3. 4. hiſtoria Patriæ neglecta II, 187. 188. Illuſtres viri I, 91. ſeq. II, 16. 17. III, 47. 49. 210. 220. quare ignoti? II, 26.
de inſtituendâ per Weſtphaliam Eruditorum ſocietate III, 45. usque 65.

Digitized by Google

Weſtphalica Analecta I, 246.
de Bibliotheca Weſtphalicâ edendâ Conſilium I, 21. 34.
Weſtphalorum indoles II, 119. 135. 191. Ep. præl. pag. 3. III, 47. 94. 139. Idioma II, 28. III, 107. ejus emendandi remedium II, 28. fortitudo II, 124. 148. Sanitas ibid. mores II, 162. Laudes II, 119. 120. 135. III, 51. 56. 94. ſeq. Apoſtolatus & legatio per orbem III, 94. 95. ſeq. Roleſincii fabula III, 95. Panis atratus II, 115. ſeq. Cereviſia II, 157. ſeq. olera II, 234. Petaſo II, 149. ſeq. Puls II, 138. ſeq. III, 138.
Nobilis Weſtphalus, ſive Aelius-Papyrius Pætus in lucem productus I, 244. III, 298. 233.
Weſtphalicum Judicium Haim= oder Still=Gericht I, 108.
Wetter=Strahl I, 72.
Wickinghovium I, 3. II, 190. Monumentum eidem ſacrum I, 89. Gloſſopetræ, & ſilices quaſi adamantini, ibidem reperti II, 190.
Wild oder Wald=Eſſel I, 21.
Wildeshuſa III, 117. 119. 120. 122. ſeq.
Wiſon I, 25.

Z

ad Zoilum Epigrammata I, 83. 135. 254.
Zythus, potus II, 158. 173. ſeq.

Digitized by Google


P. 38



Digitized by Google


4.
6.

Digitized by Google



C.v.Binghen

d by Google




Eccleſiæ meridiem
A° 173 ſublatis

vB

Ad pag. 23.



Tab. I. pag. 278.



Digitized by Google


Fecit F.

Digitized by Google

Digitized by Google

3 2044 050 504 323

ents a day
th

itized by Google

Digitized by Google